




PORTA
DE
MIR NAT
















La première édition de ce curieux traité, est de l'année 1558.- L'auteur était alors bien jeune, s'il est vrai qu'il soit né à Naples en 1540.-(il y est mort le 15 fév. 1615)
Le mot Magia impitoyablement raturé par une main du XVIme Siècle très probablement, est la cause première des nombreuses taches d'encre dont ce curieux volume est maculé. Ce mot terrible avait condamné à l'avance le livre innocent de Porta, le fondateur de l'Académie de' Segreti, l'ami de Peiresc, le fondateur d'un des premiers cabinets d'histoire naturelle qu'l'on ait connus, passa comme tant d'autres pour un Sorcier. Magicien il ne l'est pas à coup sûr mais il croit en parlant des curiosités de la nature à une sorte de Magie!






[redacted] NATVRALIS,

SIVE

DE MIRACVLIS RERVM NATVRALIVM, LIBRI IIII.

IO. BAPTISTA PORTA NEAPOLITANO AVCTORE.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA CHRISTOPHORI PLANTINI:

M. D. LX.

PRIVILEGIO REGIS.



[redacted]

Regali Priuilegio conceſſum eſt Chriſtophoro Plantino, Vt ille poſsit imprimere, & diſtrahere Librum qui inſcribitur

[redacted]aturalis, *ſiue*, De Miraculis rerum Naturalium Libri IIII. Ioan. Baptiſta Porta Neapolitano Auctore.

Datum Bruxellis, 25. Octob. 1559.

Ph. de Lens.



PRÆFATIO AVCTORIS
AD LECTORES.



N præcox opus Lectores candidi, cui si ornamenti id addidissem, quod sanè animo constitueram, fortasse pleniori obsequio abditarum naturæ rerum, literarumq́; præauidos demererer. Hæc enim dum experiri cœperunt, nonnulli ex aliorum laboribus gloriam aucupantes, cum tale sibi ascriberent munus, diuersæ, vndique scripta cudebant, & tam maleuolorum potuit liuor, vt cùm auidius inuestigarentur, mutilata, inordinatáque in hominum lucem citius prodirent, quàm putaramus, vti studiosus quisque animaduertere poterit, sic multa de philosophorum famigerato pharmaco illo, non iniucunda, inutiliaq́ue omittuntur, pensiq́; maioris, quæ cùm longum expostulassent tempus, in via erant. Multaq́; præterea acri censorum virga nimis seuerè examinata delentur, lacerantur, & tolluntur, non sine meo dolore, quæ potius admirando, & philosopho ingenioso dignißima, quàm profani erant operis: vnde cùm illud non poßim, quod velim, id necesse est velim, quod possum.

Mihi cùm ab ineunte ætate hæc audiendi, cognoscendiq́ue innatum fuerit desiderium, adeò creuit, vbi ætas inualuit, vt accuratius pertinaci studio perdius, atque pernox, si qua extarent nostrorum maiorum monumenta reuoluerim, & si verbum protulerint, denotarim: nec minus aures adhibuimus sedulas, si qui hæc percallerent, vel ea cognosci aliquo modo possent, & lecta, auditaq́ue diuturna experientia explorabam, ne intentatum aliquod remaneret, cùm sæpe Ciceronis sententiæ meminissem, qui sic inquit: Par est eos, qui generi humano res vtilißimas, & perpensas, exploratasq́ue memoriæ tradere concupierint, cuncta tentare, & nun-


quid ea experientiæ reſponderent, denotabam: animo potius vera, quàm falſa reperiendi: cùm planè perſpicerem non vana eos lucri ſpe, aut inanis gloriæ affectatione ea futuræ poſteritati ſcriptis mandaſſe, quæ perpetuò eſſent duratura, ſed vt vera eruerent naturæ ſecreta, patefacerentque, haud ſine minimo ſcribendi, inueniendique labore, & vbi veritati retuliſſe conſona reperiebamus, non ſanè id mihi tam erat carum, quàm quod eandem curam animos illi anxiſſe, ac ſollicitauiſſe comperierim. At poſt longum naturalium rerum periculum, crebra eſt animaduerſione perſpectum, clareque nouimus in ſcribendo potius, quàm explorando auidiores eos extitiſſe, cùm à veritate multa longè aliena ſcribant, ex alijs alio commutuante, ac ſi ardua eſſet eorum operatio.

Narrat Cato hederaceum vaſculum ſuapte natura vinum propalare, an habeat immixtam aquam, cum vinum id, quod aquam habere putas, eodem mittas: ſi enim dilutum fuerit vinum, effluere, & remanere aquam, cùm vinum hederacea materia non contineat: & antiquitus vaſa fingi ſolita, quæ dilutum vinum explorarent, ad detegendas vindemiatorum fraudes excogitata. Tranſcribunt ab eo Plinius, & omnes ferè, neque eſt aliquis tam longa ſucceſsionis ſerie, qui id experiatur, nam contrarium apparet, nec ſcimus qua ratione, aut experientia fuerint ducti. Ridet Galenus omnes protuliſſe, quod tritum ocymum celerrimè ſcorpiones generet, ipſe enim inanibus experiens ollis, quotidie ad Solem concalefaciens ollas, maxima arte falſum deprehendit, & tamen leniter contuſum lateribus humido loco, Soli expoſitum, eos procreat paruulos, qui tum in dies augeſcunt, nec ibi alios odore allectos acceſſiri. Quis credat inſignes in noſtra ligna authores Plinium, & Albertum ſæpiſsimè falli? quorum alter nobilis, ruſticus alter mendax dicatur, cùm ille aliorum teſtimonio fretus tranſcribat, hic ſuapte authoritate mentiatur, nec in dicendo ſibi ſatis conſtet, nec quæ dicat de his, nouerit, & paginas ſæpe repleat, cuiuſmodi ſolent vetulæ effutire? Quid cæteros commemorem authoritate clariſsimos viros, qui ſi qua protulerint, ea non præſenti ſolum inſpectione, res & ſimplicia nouerunt opus ſubingredientia, ſed alienis traditionibus conato, & importuno quodam adijciendi ſtudio edocuerint, ſic ſucceſsiuè errores propagantur, & in immenſum poſtremo augeſcunt, vt ne veſtigium quidem eorum appareat, & ægrè à primis cognoſcantur, atque vt non ſolum difficilis experimenti, ſed ne ſine riſu quidem frequenti legi poſsint? Præterea multos omittimus, quos in præſentia recenſere opus eſſe non duximus, qui circa ſalem, fabam,

& enigmatum quibuſdam inuolucris, parabolis, & verborum commentis, data opera maximas tenebras offuderunt, dum mira ad poſteros noſcenda tranſmittunt, & montes pollicentur aureos: quis enim ſciet, vtrum talia nouerunt, vel aliud, & diuerſum ſæpenumero ſcribant, quàm creditum ab eis ſit? vnde ingenia, quæ ſubli-miora, & diſcendi cupidiora ſunt, longiſsima temporis intercapedine detinentur, & tandem eorum animaduertentes inſcitiam, quod ſe illa aſſequi poſſe diffidant, ſeſeque operam, & oleum contriuiſſe intelligant, deſperatione actos, conteritos ſerò pœnitet: alij deinde alieno periculo ſapientes facti, prius hæc odiſſe diſcant, quàm noſſe. Multi quoque dum mira narrant, ne verbum quidem proferunt vnum, vnde aliquid occurſet lucis, vel ingenioſi habeant, vnde inueſtigent: ſed vti habent (credo) ex alijs, ita exhibuêre, cauti, ne vno detecti verbo, ſuam imperitiam prodant. Quod ſi me tali via vſurum exiſtimetis, multa profectò repleuiſſem volumina, & in infinitum excreſceret eorum numerus: quare hoc abſit, ſed quæ ex noſtris naturalibus ſcientijs elegimus, quantulacunque fuerint vobis dedimus, nec tam pro eis vtilia, quàm anſam maiora excogitandi, conficiendique præbeant: incomprehenſarum enim rerum infinita eſt multitudo, & in immenſum ſe porrigit, maiorq; eſt, quam ab omnibus conſiderari poßit. Ipſi enim omni ambitione omiſſa ambiguitateque, ſine fuco, & fallacijs ea prodimus, quæ tacuerunt diu, vel ſcientis inuidia, vel noſcentis inſcitia, & quo tegebantur, dilacerauimus velum: vt quæ hactenus prodigioſæ naturæ gremio, & promptuariis teſtatiſsimorum virorum delituerant, in lucem emergant, & quomodo explorari quæque poßint, vbi non iactantiam, non verborum inuolucra audietis, non aliorum authoritati confiſus ſum, nec nobis eſt viſum honeſtè errare, optimos ſequendo duces, ſed rudius, & planius, vt potuimus, ſumus loquuti, ſimplicia circumlocutionibus, & diſtinctionibus nominauimus. ſine quo, multum tenebrarum effundi ſolet: legant hæc omnes, quanquam me ſcio ex hoc, calumnia non cariturum, ſed doctiorum aures offenſurum, ait enim Plato ad Dionyſium: Philoſophiam videntur ridiculam facere, qui agreſtibus & prophanis viris hæc tradere conantur. Sed reiiciatur hæc ambitio, profligetur hæc inuidia, generoſi enim animi non ſunt, & vincat poſteris iuuandi voluntas, ſcio enim eis profutura, nec parum fructum ſtudiis allatura. Transfert Cicero à Platone nobis ſolùm non eſſe natos, ortusq; noſtri partem patriam, partem parentes, partem amicos vendicare. Id tamen non inficior, obticuiſſe me, aliqua tranſpoſuiſſe, verborumque anfractu celaſſe, non ſic tamen, vt ingenioſus quiſque non detegat,

& percipiat: nec ab re id me potius fecisse censeatis, ne prophana turba, nec dum philosophiæ sacris initiata assequi ea poßit, néue ad eorum manus delata vilescant, id præcipuè in nouis, quæque maioris fuerint ponderis. Vos autem, qui thesaurum præ manibus habetis, addite, demite, & quod facile vobis fuerit, germanum sensum eruite, & si experimenta occurrunt, aut vilia, aut nota, sine nausea prætermittantur, vobis enim non scripsimus, sed aliis, vt quæsitum quisque hauriat sibi cibum.

Accipite igitur, studiosi Lectores, labores longos non sine studio, vigilijs, sumptibus, & incommodis plurimis, quo elargiuntur animo, & intellectus, animique ambiguitatem omnem, atque inuidiam, tollite, quæ mentis aciem præstringere solent, & veritatem impedire, rectoque iudicio res perpendite, dum ea periclitamini, quæ scripsimus, nam veritatem comperientes, meis fortasse studijs æquiores fueritis. Quanquam me non lateat inscios multos non defore, & omni seria re feriatos qui hæc horrescant, iisque inuideant, & hæc non solum falsa, sed ne posse quidem fieri temere affirment, dumque argumentis, & infinitis disputationibus verum eruere nituntur, faciunt næ intelligendo, vt nihil intelligant, & eorum prodatur inscitia: isti veluti prophani à Magiæ nostræ liminibus arceri debent. Qui enim naturæ miraculis fidem non adhibent, ij modo quodam philosophiam conantur abolere, quod si aliqua prætermisimus, & inconcinnè diximus, scio nil esse tam ornatum, quod expoliri non poßit, nec tam plenum, quod incrementum recipere nequeat.



EXPERIMENTORVM

[redacted] NATVRALIS

INDEX.

Bſconſæ rerum proprietates. Folio 7
A cælo & ſideribus vim naſci. 18
Aes,& eius medicinæ. 100
Aes coquere. 96
Aëtitis vires variæ 130
Amethyſti vires variæ. 130
Amorem conciliare quomodo poſſimus. 85
Amygdala & citria dulciora fiant. 36
Amygdala vt inſcripta naſcantur. 40
Amygdaloperſicum quomodo producatur. 33
Animalia ex diuerſis commixta quomodo generentur. 78
Animal viſu,& tactu inficiens generandi ratio. 79
Anſer iam viuus excoctus. 56
Antidotus ad elephantiaſin. 68
Antidotus contra hecticen 69
Antidotus contra plagam tactu inductam. 67
Antipathia rerum. 10.11.12.13.14
Antiquorum opiniones de Magia. 3
Anuli Platonis,& catena Homeri quid. 4
Apium hortenſe ocyſſimè producatur. 30
Aqua ardens quomodo fieri poſſit. 49
Aquæ ad magonizandam faciem. 61
Aqua faciem denigrans. 62
Aqua ſalſa quomodo potabilis reddatur. 56
Araneus ſuſpenſus collo, quartanis circuitibus medetur. 130
Arbores necare. 45
Argenti viui aqua. 94
Argenti coagulati fixatio. 108
Argenti viui congelatio cum caſſide ferrea. 107
Argenti viui congelatio cum æneis pilis. 107

Argentum viuum,& eius medicinæ. 107
Argenti viui congelatio cum odore. 107
Argenti viui congelatio cum oleo. 108
Argentum in aurum tingere. 106
Argentum in calcem vertere. 95
Argentum vel aurum diminuere. 100
Argentum viuum congelatum in aurum tingere. 107
Argentum viuum è plumbo extrahere. 96
Aſtantes ſine capitibus videantur. 65
Aurum argentum,& eorum medicinæ 106
Auricularis abortiui digitus prohibet concipere. 130
Aurum augere pondere, 99
Aurum ex argento. 100
Candela ardens ſub aqua deferatur. 58
Canes ne latrent. 72
Canini dentes à canum morſibus defendunt. 129
Capilli in ſerpentes vertuntur. 80
Capillos,barbam, & ſupercilia tingere. 59
Cinaræ,ne ſpinis horreant. 39
è Cinnabari fixo argenteam barbam eligere. 109
Cinnabarim figere. 109
Coloratum cubiculum lichnijs quomodo videatur. 64
Compoſitio ſimplicium huius operis. 25
Conuiuiorum & epularum miri apparatus. 54
Conceptioni,quæ proſint. 70
Conuiuæ ne accumbentes edant. 72
Corallium in formulas digerere. 111
Coralli virtutes variæ. 115
Corallus confirmat ſtomachum. 130
Cryſtallus vt fuſilis fiat. 113
Cucurbita vt in craſſam,exiliens , latam, oblongam, & in reuolutam anguis figuram excreſcat. 45.& 47
Cucurbita ſine ſemine. 35
Dentifricia quomodo fiant. 61
Domum argenteam & luminoſam videre. 64
Draco volans quomodo conſtituatur. 57
Electiones inſcribendis lapidibus neceſſariæ. 134
Elementorum virtutes,& qualitates, 67

Equina

Equina,vel aſinina videantur aſtantium capita. 65
Extractiones aquæ & olei. 92
Faces,quæ ventis non extinguntur. 49
Facies fucata palleſcat. 62
Facies inſignis videatur maciei & palloris. 64
Faſcinationes quomodo fiant. 87
Ferrum,& eius medicinæ. 103
Ferrum æris colore tingere. 104
Ferrum auri colore tingere. 104
Ferrum in æs commutare. 104
Fœtus diſcolores quomodo gignantur: 76
Ficus æquè alba,& nigra quomodo fiat. 40
Ficus iſchiadas ſomniferas,vel purgatiorias facere. 43
Flammam eminus proijcere. 50
Flores & fructus præcoces vel ſerotinos producere. 29.30.31.
Florum & fructuum conditura. 33
Flos tingatur diuerſis coloribus.40.Friabile tollere. 97
Fructus è diuerſis compoſitus,quomodo fiat. 32
Fructus & flores ſuauiores, & odoratiores reddere. 36.& 37
Fructus varij. 40
Fructus creſcentes figuras omnes & impreſſiones ſu-ment. 39
Fructus exos & enucleatus. 34
Fructus omnes augere. 38
Fructus perpetuo habere. 36
Furem cognoſcere. 72
Furfures à facie abſtergere. 61
Gemmarum compoſitiones. 115
Gemmarum virtutes & imagines. 130.133
Gemmæ fictitiæ quomodo fiant. 114
Genarum liuorem abſtergere. 60
Grandines imminentes & tempeſtates abigere. 72
Helioſelinon geſtatus ſolarem facit ſpiritum. 130
Hernioſo crepitent teſticuli. 73
Hirundinum lapilli comitialibus proſunt. 130
Homines & mulieres ligare, vt ad concumbendum im-potentes ſint. 72
Homines

Homines longa ſaltatione quomodo torqueri poſſint. 73
Hyacinthi virtutes variæ. 130
Iaſpidis virtutes variæ. 12
Iaſpis collo ſuſpenſus ventrem confirmat. 129
Imagines debent effigiari lapidibus debitis. 132
Ignaria diuerſa parandi ratio. 46
Ignium compoſitiones variæ. 47
Ignea mixtura, quam Sol accendere poteſt. 48
Ignem accendere phiala aquæ plena. 125
Igne tueri aliquid ne comburatur. 50
Ignitus totus videri. 50
Inſomnia inducere. 83
Iris quomodo videri poſſit. 119
Indiuiduo noſcunt virtutes. 15
Lactucam ſeminibus multis conſitam naſci. 38
Lampadum experientiæ. 66
Lamiarum vnguenta, quæ per aëra deferri videre faciunt. 85
Lampade noctu ranæ taceant. 66
Lampada quis accendens reformidet. 66
Lapis ignem humido quouis excitans. 47
Lapidum virtutes. 131
Latex in tenebris refulgens. 50
Licium quod arcta imminente manu peruratur, laxa verò extinguatur. 66
Ligna, quæ attritu ignem concipiunt. 46
Lilia ſemper vegeta ſeruentur. 43
Lilia rubea, & purpurea. 41
Literarum experimenta multa, variæque ſcribendi & legendi latebræ. 51. 52. 53.
Lumen quo aſtra vagari videantur. 66
Locorum & fontium proprietates aliquæ. 23
Lumen quo homines gigantum forma ſpectenrur. 66
Lupi ſtercus ſuſpenſus cœliacis prodeſt. 130
Lyræ, cytharæ, aliáue inſtrumenta vento pulſentur. 83
Lyræ proprietates variæ. 81
Lyræ ſurdus audiat ſonum. 83

Lyra pulſata, alteram eiuſdem toni recubantem mo-
uet. 83
Lyra ſomnum concilians. 82
Magia quid. 1
Magum qualem eſſe oporteat. 1
Mandragoram fingere. 40
Magnetis virtutes variæ. 59. & 89
Mammillarum incrementum prohibere. 61
Margaritas itidem confractas in vnam conglobare.
112
Mechanica experimenta. 59
Metallorum medicinæ ſecundi ordinis. 108
Metallorum medicinæ tertij ordinis. 109
Metalla in corpus reducere. 97
Metalla quomodo fiant ponderoſa. 98
Mirabilia experimenta quorum neſcitur cauſa. 71
Mixturæ pondus inueſtigatio. 26
Monſtra quomodo gignantur. 77
Muliebria remedia. 62
Mulier an caſta ſit experiri. 73
Mulier an intacta coitu, vel puerperio maculata ſit no-
ſcendi ratio. 75
Mulieres pulchros pariant filios. 77
Mulieres vt valde lætentur. 72
Mulieribus lotium compeſcere. 71
Mulier in ſomnis patrata narret faſcinora. 76
Mulierum coſmetica. 59
Murena eodem tempore frixa, elixa, toſtaque. 56
Myrtum vertere, vt baccas ſine nucleolis producat. 36
Oculorum colorem permutare. 60
Onyx collo ſuſpenſus auget triſtitias in ſomno. 120
Ouorum excubatio citra gallinam. 79
Ouorum oleum. 94
Ouum vt hominis caput ſuperet magnitudine. 56
Ouum vt in aëre aſcendat. 58
Pauones albos procreare. 77
Pecudes diſcolores gignere. 76 (130
Pæoniæ radix collo ſuſpenſa liberat à morbo comitiali

è Per-

è Persico,& nucipersico malum componere. 33
Persicum sine osse producere. 35
Phisicæ ligaturæ 129
Phœbi,& Pythonis pugna. 111
Pilos cito nascere,quæ faciunt. 60
Pisces carta frigantur. 57
Plumbum,& eius medicinæ. 104
Plumbum in aurum tingere. 104
Plumbum in calcem vertere 95
Plumbum in stannum vertere. 105
Poma in arbore diu immorari. 45
Poma artificio eueniant rubra. 54
Poma in vigore diu maneant. 44
Poma vt insitione eueniant rubra. 42
Pomum somnificum. 71
Præstigia per elichnia. 64
Pruna purgatoria,& somnifera. 43
Psilothra. 59
Pullus gallinaceus è palumbo,& gallina commixtus. 77
Pullus gallinaceus quaternis alis enascatur, quaternisque pedibus. 78
Puluis pyrius in bellicis instrumentis mira operans. 50
Punica dulcescere. 37
Rosa diuersis tingatur coloribus. 41
Rosa & iasmes flauescant. 40
Rosæ & lilia vegeta seruentur. 44
Saphyrus suspensus ardores refrigerat interiores. 130
Schædulæ non tactæ situm permutent. 58
Selenites lapis suspensus lunarem efficit deferētem. 130
Simplicia scatis exerceri, & parari debere temporibus. 21
Simplicium præparationes. 26
Simplicium regiones considerandæ. 22
Smaltum vulgo quomodo effingatur. 340
Smaragdi virtutes variæ. 330
Smegmata mulierum. 60
Somnia grata excitandi ratio. 84
Soporifera medicamenta. 70
Somnos

Somnos conciliare. 71
Specula. 118
Sorba,& pyra ſeruare. 45
Specula quomodo confluentur. 128
Speculi concaui è planis portionibus pluribus imaginationes. 124
Speculis bracteola quomodo inducatur. 127
Speculis concauis ignem accendere. 150
Speculis planis vt caput deorſum, pedes verò ſurſum ſpectentur. 121
Speculis planis & pluribus vt ea cernantur, quæ longè alienis in locis geruntur. 122
Speculo concauo effectus varij 149
Speculo cylindrico conuexo quis intuens alterius rei penſilem imaginem in aëre videat. 123
Speculum conſtruere quo multæ imaginum diuerſitates videantur. 126
Speculum è planis componere in, quo imago vna veniens, in altero recedens videatur. 121
Speculum è planis,in quo vnius rei plures imagines appareant. 121
Speculum è planis,quomodo conſtituat,quo imaginem volitantem in aëre aſpiciat. 123
Speculum multiuidum conſtruere. 121
Speculum quomodo conſtituatur, vt nil imagineris,niſi quæ volueris. 122
Stannum & eius medicinæ 105
Stanni ſtridorem tollere,& mollitiem. 105
Stanno ſurditatem adimere. 106
Stannum in plumbum vertere. 106
Sublimationum modi. 94
Sulphuris oleum. 94
Talci oleum. 93
Teſtudinis pes ſuſpenſus podagrici dolores ſedat. 130
Varij fructus & vina medicata. 42
Vas ventum proijciens. 59
Venena quomodo præcaueri poſſint. 67
Venereis in caſtris militare. 62
Veneris

Veneris deſideria obtundere. 63
Ventris rugas à partu abſtergere. 61
Vetonicæ coronariæ flos in ceruleum commeet. 48
Vini hauſtu nimio ne inebrietur accumbens. 54
à Vino aquam ſegregare. 55
Vinoſos abſtemios facere. 55
Vinum an habeat ammixtam aquam. 55
Viperæ laqueus faucium apoſtematibus medetur. 129
Vires rerum abditæ vnde. 4
Vires ineſſe poſt mortem. 16
Vitis botryones albos afferat, & nigros acinos. 33
Vitis theriaca, propomata. 43
Vua in vite ſeruetur. 45
Vuas & punica ſeruare. 45
Vua plenum domicilium ellychnijs videatur. 65



IOANNIS BAPTISTÆ PORTAE NEAPOLITANI MAGIAE NATVRALIS LIBER PRIMVS.

Quid sit [redacted] naturalis.

CAPVT I.

Magiam à Perside nomen, & originem duxisse, Porphirius, & Apuleius inter Platonicos astruunt non obscuri: quanquam Suidas à Maguseis traxisse putet, illosque Magos appellitant, quos Latini Sapientes, Græci Philosophos ab vno Pythagora, Indi Gymnosophistas græcè, Aegyptij Sacerdotes, Cabalistæ Prophetas, Babylonij, nec non Assyrij Chaldæos, Celtæ Galli Druydas, & Bardos, qui & Semnothei appellabantur: & tandem Magia diuersas apud gentes diuersis scatet nominibus. Plerosque in ea fulsisse viros rerum naturæ callentißimos reperimus, qualis fuerat Zoroaster Oromasi filius apud Persas, Numa Pompilius apud Romanos, Thespion apud Gymnosophistas, Hermes apud Aegyptios, Budda apud Babylonios, Zamolxis apud Thracas, Abbaris verò apud Hyperboreos. Ipsam bipartitam faciunt, infamem alteram, ac immundorum spirituum incantationibus concinnatam, & nephariæ curiositatis esse afformatam, quam reconditioris literaturæ Græci γοητεῖαν vel Theurgian vocant, cui omnes aduersantur, vt quæ præstigia, & phantasmata porrigat, quorũ mox vestigium non remaneat. Na-

A   tura-

turalem alteram, quisque veneratur, & colit, vt nil altius, niliue bonarum literarum candidatis plausibilius: nec aliud esse putent, quàm naturalis Philosophiæ consummationem, summamq; scientiam. Hæc plurimæ compos potestatis, abditis scatet mysterijs, ac delitescentium rerum contemplationẽ, qualitatẽ, proprietatem, ac totius naturæ cognitionem elargitur, vt apex, & fastigiũ totius Philosophiæ. Docetq; rerũ adminiculo, & earum mutua, ac oportuna applicatione opera efficere, quæ vulgus putat miracula, omnem admirationem, humanumq; captum excedentia. Ideo maximè in India, & Aethiopia vigebat, vbi animantium, herbarum, lapidum, cæterorumq; ad id spectantium multa suppetebat facultas. Vnde qui visuri acceditis, nil aliud Magiæ Naturalis opera credatis, quàm naturæ opera: ars autem illius est ministra, ac naturæ sedulo famulatur. Sicubi enim aliquid naturali cognationi deesse noscit, per vapores, numeros, qualitates oportunis illud instaurat temporibus. Vt in agricultura ipsa Natura herbas, plantulas, & segetes parit: ars autem præparat. Vnde rectè Plotinus Magum naturæ ministrum, non artificem vocat. Quali autem fungatur officio, et literatura minister hic, in sequenti demonstrare intendimus.

De Magi Institutione, & qualem oporteat esse Magiæ naturalis professorem.

CAP. II.

Nunc peruulgare fas est, quæ meminisse, & nouisse toto hoc opere Magum oporteat, vt omniquaque instructus, latentes, & mirabiles Naturæ effectus pertingere auspicetur. Iam ipsam actiuam, & naturalis Philosophiæ absolutam portionẽ de-

descripsimus. Iure quidem primùm qui tanta debet maiestate pollere, exactum, & consummatum in Philosophia, rerumq; Naturæ disertißimum optarem. causas enim, principia, & rerum elementa rimatur, mirificas earum dotes depromit, mutuum elementorum nexum, combinationem, vnde mixtorum scaturigo, et interitus, meteoriam, maris æstus, cæcos motus terram concutientes, animantium, quadrupedum videlicet, aëriuagorum, aquatilium, & omnium vita fruentiũ, & metallorum naturas, loca, & nomina, in quibus oportet multùm versatum esse, vti legentibus liquidũ fiet. nam nominum diuersitate, similitudine, & ambiguitate, diu in aliquibus operibus, vehementerque laborauimus. Neque enim id artifici inconuenientius esset, quàm instrumenta ignorare, quibus operatur. Medicinæ quoque haud ignarum, hæc enim huic arti multum congener, & simillima est, eamque sub hanc speciem irrepsisse, & hominum mentes sic allectasse aiunt: & præsidia multa præstat: docet enim mixtiones, temperies, & compari modo, ad ea peragenda componere, & applicare. Inde profluit stirpium notitia, vt herbæ diligenter inspiciantur aduenæ, indigenæque, necessaria admodum, vt hinc omne dependeat. Mathematicas nouisse disciplinas oportet. nam sidereo calore, multiuagis cælorum flexibus, & habitudinibus, quas docet Astrologia, multa sunt, quæ operandi, patiendique vim protrahunt, rerumque occultæ manant proprietates, & virtutes. Magia Opticam continet facultatem ad oculos pertinentem, quomodo subinde oculos fallat, visiones in aquis, procul, in speculis, in orbem conglobatis, concauis, extensis, diuerseque efformatis,

è quibus pars magna naturalis Magiæ dependet. Omnibus perpensis, has ipsa asseclas, & adiutrices artes sibi adsciuit: quique has ignorauerit, penitus hinc secludendus est, nec Magum esse quempiam existimandum, nisi disciplinis his insigniatur. Sit Magus naturæ dono artifex, & sciens valde: nam sine artificio sciens, aut ignarus artifex, si quid naturale forte non habeat, adeò coniuncta sunt, vt frustra terat operam, nec optato potiatur. Sunt autem quidam ita Naturæ muneribus in ijs rebus habiles, et scientes, vt à Deo ficti esse videãtur. Neque hæc ita dico, vt ars aliquid limare non poßit, et quæ bona sint meliora fieri non posse, & quæ non optima aliquo modo acui & corrigi posse. Lynceis oculis perpendens, quæ se sibi demonstrant, vt re inspecta sedulo operetur, hoc dicere volui, vt si inscius fallitur, nobis vitio ne vertat, sed suam culpet inscitiam. hæc non tradentis, sed professoris imbecillitas est. Nam si hæc in manibus alicuius minus ingeniosi versabuntur: derogatur scientiæ fides, fitque, vt fortuita videantur, quæ verißima, ac necessarijs eueniũt causis. Sic debita actiua paßiuis addes mira produces: & si mirabiliora quæsieris, haberique vis, eorum sufficientis causæ cognitionem tollito. Nam qui causas nouerit, nimiũ authoritati derogat, illud enim mirum: cuius causa latet spectantem, eatenus rari, insuetique illud retinens, quatenus causæ abditæ sunt. Quidam lucernam extinxit, ac rursus muro, vel lapidi admouens accendebat, ceu rem mirandam, & tunc illud mirum videri desijt (inquit Galenus) cum sulphure contactum reperiêre. Et Ephesius inquit: Miraculum inde soluitur, vnde videtur esse miraculum.

Sit

Sit quoque diues: difficulter enim operamur, si opes non suppetunt. oportet enim ditari, vt philosophemur, non autē philosophari, vt ditemur. Sumptibus ne parcat, sed perquirendo prodigus, dumque attentius, examinatiusque perquirit, patiens reuocare ne grauetur, nec laboribus parcat: ociosis enim, & ignaris Naturæ secreta non panduntur. Vnde rectè Epicharmus dictitabat: Deos mortalibus omnia laboris precio vendere. Et si descriptioni non respondet effectus, aliquid defecisse scito, non enim rudibus, & tyronibus, sed ingeniosis, & artificibus breuiter perscripsimus.

Antiquorum opiniones circa mirabilium operationum causas. CAP. III.

QVos sæpè intuemur Naturæ effectus, in causarum dignotione sic accendit priscorum philosophorū animos, vt in eo non parum insudarint, & hallucinati sint, ac varij varias dixerint opiniones, quas antequam vlterius progrediamur, referre censuimus. Principiò, vt ab vltimis opiniones repetā, Aegyptij omnes, quos primùm liquet cælorum effectus scrutari, & metiri ausos, postquam perpetuæ serenitatis obsequio, in camporum patentium æquoribus habitantes, cùm è terra nihil emineret, quod contemplationi cæli officere posit, æterna semper clara, perspicuaque sidera deprehendentes, omnem curam in siderum cognitione influxuum posuerunt. cumque ociosos valde perterreret causarum aucupium, cælo, & sideribus ascripsère cuncta, vt inde duceret vnumquodque fatum, cælique influxum in exortus hora, & interitus, stellarum reciprocationibus,

nibus effectus producebant miros. vnde certis sub horis, statis temporibus, & aspectibus omnia parari, colligique cœpêre: nec vltra progressi suam tuentur opinionem. Alij deinde Philosophi ab elementis omnia progredi, eaque statuerunt principia, & causas: vti Hippasus Metapontinus, & Heraclides Ponticus ignem: Diogenes Appolloniates, & Anaximenes aërem: Thales Milesius aquam: Hesiodus terram: Hippon verò & Critias horum vapores: Alij qualitatibus ascripsêre: vti Parmenides frigido, & calido: magnaque medicorum pars per frigidum, humidum, calidum, & siccum: quando simul conferuntur ex eorum victoria, has mirabilium radices statuêre: quæque in medium protulêre experimenta, ijs componi, ac causas reperiri posse credunt. Addidit Empedocles Agrigentinus elementis, vti non sufficientibus concordiam, & litem, ex vna res gigni, & corrumpi ex altera. Citticus Zeno materiei Deum: quorum efficiendi vnum, patiendi alterum fecit principium. Recentiorum verò philosophorũ ætas, inspecta re, id tueri non posse iudicauêre, nam contraria sæpe qualitatibus operantur, ac vltra elementa, & qualitates, aliquid aliud esse coniectarunt. Plato enim, & Aristoteles, qui philosophiæ culmen tetigêre, finemque imposuerunt, altius rimati, multaque reperierunt ex elementorum qualitatibus, vti virtutes substantialibus formis connatas: sic per se vnum, per accidens aliud, & multa, quæ in sequentibus aperiuntur.

Vnde rerũ vires patentes, abditæque eueniant.

CAP. IIII.

Iam

IAm antiquorum quisque in patentibus, abditisque rerum virtutibus est digladiatus: nec eos redarguere opus esse censui, cùm communi omnium præceptore, ac summo peripateticorum Principi fuerint affatim confutata. Nunc autem, vt enucleatius patescant omnia, æquum est meminisse, à quibus vires nanciscamur, non minimum in reperiendis nouis, componendisque profuturum, vt separare, & discernere discant, ne omnem veri seriem conturbent. Cùm ex eodem mixto plures fluitent effectus varij admodum & diuersi: ex vno autem peroriri principio est omnibus in confesso, cuiusmodi multa in processu leguntur exempla. iamque vnde proficiscantur apertè dicturis paulo altius exordiendum est. Cuiuscunque naturalis substantiæ (nam substantiam voco id, quod est ex vtraque compactum) compositioni materia, formaque vti principia eueniunt: nec qualitatum functiones eijcimus, quæ ex primordijs in elementis latitabant, ternumq́; simul replent numerum. Cùm elementa ipsa in alicuius efformatione veniunt, retinet efformatum qualitates præexcellentes aliquas, è quibus quanquam cunctæ in effectuum productione concurrant, à superioribus totum peruenisse creditur, cùm sibi reliquorum vires ascribant: si enim æquè omnes decertarent, inconspicua esset eorum virtus. Nec materia quodammodo viribus est viduata: non illa princeps, simplexque est, qua de memoro, sed quæ ex elementorum vi, substantijsque enata est, è duobus maximè patibilibus, terra videlicet, & aqua. & quas aliquando solet Aristoteles secundarias qualitates, & corporeos effectus appellare: nos materiei functiones,

ſiue vires, ſiue alio vocabulo gaudent, cognominemus: vti rarum, denſum, aſperum, leue, durum, fißile, materiei gremio penitus conſtituta, ab elementis tamen omnia veniunt. Rectius igitur cenſui ne confundantur, qualitatum effectus à temperatura, materiæ verò à conſiſtentia effluere. At formæ tanta vis ineſt, vt quos omnes intuemur effectus, ab ipſa primum progigni nemini ſit non cognitum, diuinumq́ue habeat exordium, veluti ſuperior, & præſtantißima per ſe, ſine alterius adminiculo, eis vti inſtrumentis vtitur, vt citius & commodius actionem expediat. quique animum minimè addictum, aſſuetumq́ue ſpeculationibus habet à temperamento, materiaq́ue omne effici poſſe putat, cum ijs tanquam per inſtrumenta fiant. Opifex enim ſi in alicuius conſtructione ſimulachri aliquo vtitur ſtylo, vel ſcalpro, non vt agens vtitur, ſed ſuppeditando vt nauiùs expediat. Tres igitur cum in vnoquoque ſint efficientes cauſæ, non feriari, aut ceſſare putes, ſed fœtificantes omnes, remißiùs vnam, validius reliquam: omnium verò maximè forma ipſa id efficit, reliquas corroborans. & ſi deficeret, irritas faceret, & fruſtrarentur: cùm non ſufficiant cæleſtibus muneribus capiendis. Et quanquam ſola exprimere eos non poßit, quin reliquæ ſuos depromant, tamen nec confunduntur, nec diuerſæ fiunt, ſed ita inter ſe colligantur, vt mutuo indigeant opere. Qui rectè id rationis indagine cernere nouerit, obſcuritatis nihil habet, nec veri ſcientiam confundet. Vnde vis ea, quæ rei dicitur proprietas, non à temperamento, ſed ab ipſa euenit forma, & vt omnium præſtantißima, cõpari quoque euenit loco: à ſuprema igitur vertigine, proximè,

huic

huic ab intelligentijs illis, denique ab ipso Deo, sic quæ formæ eadem est, & proprietatum origo. Nam Deus, vt sentit Plato, cùm primitus cælos, sidera, ipsaque rerum primordia ortus, & interitus vicißitudine marcescentia, suæ diuinitatis omnipotentia, apto modulamine condidisset, dein animantium, stirpium, & inanimatorum genera, ne illa eadem cum cælo conditione forent, cælorum, elementorumq́ue viribus accitis, per gradus aßignauit, inferiora supernis ancillari fatali lege sanciuit, & formam vnicuique suam sidereo lapsu viribus cumulatã immisit: & ne continua rerum desisteret procreatio, singula semen proferre iussit, & formã præparatis fœnerari. sic ab ipso cælo deuenientes formas diuinas, & cælestes esse necessariò pronunciabis, in qua formarum exemplar, & nobilißima consistit causa, quam Plato idem Philosophorum Princeps mundi animam vocat, summus item Aristoteles vniuersalem naturam: Auicenna autem formarum datorem. Ipse non de re vti caduca, sed ex se eliciens, & immittens, primo intelligentijs, stellisq́; impartitur, deinde elementa tanquam per instrumenta materiam disponentia aspectibus informat. Quis est ergo tam demens, tam malè à Natura informatus, vt si hæc ab elementis, cælo, intelligentijs, & denique ab ipso Deo veniat, cælestem dicat, quod naturam illam non sapiat, & diuinam quodammodo maiestatem non redoleat, & quum tanta sit cum eo affinitas, opera efficiat, quibus nil admirabilius, aut fingi, aut cogitari poßit? Multa fastidientis lectionis argumenta relinquimus, siquidem singulatim vires vberius sumus explanaturi.

Quid

Quid Platonis anuli, & Homeri catena.

CAP. V.

HÆC *igitur rerum combinatio, hæc series, & ordo diuinæ deseruiens prouidentiæ, vt quæ reguntur inferiora hæc omnia, ab ipso Deo primitus seriatim procedant, & operandi virtutem suscipiant. Deus enim (vt Macrobius ait) qui prima causa, & rerum princeps, & origo, suæ maiestatis fœcunditate mentem creauit, hæc autem animam, quæ partim rationem, quam diuinis rebus, vtpote cælo, & sempiternis ignibus impartitur: (ideo enim diuinis dicuntur animatæ mentibus) partim quoque, & sentiendi, & crescendi caducis rebus vim largitur: id Maro sentiẽs mundi animã his mentem vocat.*

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus.
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Homo igitur cùm medius in vtroque consistat, & à cælo nobilitate recedens, et rationis particeps, qua meretur cæteris præstare animalibus, & sentiendi vim retinet. reliqua deinde animalia, vt ab eo degenerantia, duo tantum retinet remanentia, sentire, & crescere. Arbores autem quia sensu, rationeque carent, cùm crescẽdi tantùm indigeant vsu, hoc potiri, solumque crescere, & hac parte viuere dicuntur. id deinde exprimit Poëta paulò pòst:

Vnde hominum, pecudumq; genus, vitæq; volantum
Et quæ marmoreo fert mõstra sub æquore põtus. &c.

Cùm ergo ab ipso Deo mens, à mente anima proficiscatur, & ipsa omnia quæ sequuntur animet, vt conueniat cum bruto planta vegetatione, cum homine brutum sensu, hic autem reliquis intellectu, sic vt à prima

ma causa, tanquam funiculus à cælo ad infima vsque hæc tensus, mutua quadam colligantia, & continuitate, vt superior virtus radios spargendo, ad hæc veniet, quod si extremum vnum tangatur, tremat, & reliquum moueat, iurè hunc nexum anulos, vel catenam dixerimus, & Platonis anulis, & Homeri aureæ catenæ congruere videbitur, qui diuinarum omnium inuentionum fons, & origo, sub figmenti nube id sapientibus intelligi dedit.

Εἰδ' ἄγε πειρήσασθε θεοὶ ἵνα εἴδετε πάντες,
Σειρὴν χρυσείην ἐξ οὐρανόθεν κρεμάσαντες,
Πάντες δ' ἐξάπτεσθε θεοὶ, πᾶσαί τε θέαιναι,
Ἀλλ' οὐκ ἂν ἐρύσαιτ' ἐξ οὐρανόθεν πεδίονδε
Ζῆν ὕπατον μήστωρ'.

Vt primò Deus rerum opifex ipsius fecit prouidentia, vt inferiora hæc omnia necessaria quadam naturæ lege à superioribus regantur. Hæc noscens Magus, vt agricola vlmos vitibus, sic ipse cælo terram, vel vt apertius loquar, inferna hæc superiorum dotibus, mirificisque virtutibus maritat, & inde arcana, naturæ gremio penitus latitantia, veluti minister in publicum promit: quæque aßidua exploratione vera nouerit, vt omnes cunctorum artificis amore flagrantes, sui conentur omnipotentiam laudare, & venerari.

De elementis, eorumque virtutibus.

CAP. VI.

HActenus de substantialis formæ ortu, rerumque serie. Nunc autem quæ occulta eueniunt proprietate, dißident simultate, & amicitiæ nexu conuinciuntur, & quo modo experienda per similitudinem, & reliqua docere conandum: sed ne ordinem conturbemus, à rerum elementis orsi, quæ primige-

migenia rerum ſemina ſtatuit Natura, ad cætera paulatim deueniemus, quæ noſtro opere cognoſci, & ſciri neceſſaria videbuntur. Rerum hæc cunctarum ſemina elementa, ſimplicia corpora (nunc autem illegitima, ſpuria, & adulterina: nam alijs mixta vti magis & minus tranſmutantur) materiale principium naturalis ſunt corporis, perpetua viciſsitudine alterabilia, & vertibilia agitantur, atque intra ingentes cæli fornices ita ſunt conglobata, vt totum hunc ſublunarem repleant mundum. Ignis enim leuiſsimus, puriſsimusq́ue, vt viſum effugiat, in altum ſe ſuſtulit, & ſuperiorem ſibi adſciuit locum, quem æthera appellant. Huic proximum elementum ſpiritus, quem Aërem vocant, paulò igne ponderoſior, immenſa amplitudine circumfuſus, per cuncta meabilis ad ſuam nos reddit qualitatem, nunc in nubes denſatur, nunc cogitur in nebulas, & reſoluitur. Succedit his aqua, inde vltimum ex defæcatis elementis abraſum, coalitumq́ue, quod terra dicitur, cunctisq́ue ſubſternitur, vaſta, impenetrabilis, & ſolidiſsima, vt nil tangi poſſit ſolidum, quod terræ ſit expers, & nil vacuum ſine igne. Ipſa medij ſpatio æquilibrata, obuallatur omnibus, immobilis ſola reſidens, alia nanque rotata vertigine motu orbico circunferuntur: Singula tamen vicinia, veluti quibuſdam vlnis complectuntur, & contrarijs diſsident qualitatibus. At natura ſagax rato modulo, miraq́ue oportunitate hanc machinam architectata eſt. Cùm binæ eſſent in vnoquoque qualitates, in aliquibus iugabilis ſocietas, in aliquibus verò diſcrepantia, talem ſingulis de duobus alteram dedit, vt cui adhæreat, agnatam ſibi, & ſimilem habeat qualitatem:

litatem: vti aër, et ignis, alter enim calidus, & siccus, alter verò calidus, & humidus: siccum enim & humidum contraria sunt, conciliatione tamen socij caloris copulantur: Sic terra frigida, & sicca est, aqua autem frigida, & humida, quæ & si per siccum & humidū sunt aduersantia, connectuntur tamen frigiditatis societate, aliter enim difficilis esset eorum concordia: sic ignis paulatim in aërem vertitur, per calidum, hic in aquam per humidum, aqua in terrā per frigidum, & terra igni per siccum coniungitur, & ita prouidissimè gradiuntur: inde ordine præpostero, denuo transmutantur, & ex se inuicem fiūt, faciles tamen transitus, cùm communem nacta sunt qualitatem: vti ignis, & aër per caliditatem: quæque autem ambabus sunt opposita qualitatibus, vt ignis, & aqua tardius difficiliusque vertuntur. Hæc igitur tanquam fundamenta statuātur mixtorum omnium, è quibus multæ veniunt operationes.

De qualitatibus elementorum, & eorundem operationibus. CAP. VII.

QVatuor iam præfatis corporibus quatuor insunt qualitates elementariæ, quæ mutuò inter se commeant, è quibus omnia, quæ ortum, & interitū agnoscunt, gignuntur, & perimuntur: scilicet caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas. & principes dicuntur, cùm ab elementis elabantur primò, & ex ijs secundarij emanent effectus, quarum duæ effectrices sunt, caliditas, & frigiditas: quæ plus ad agendum, quàm patiendum natæ sunt, patiuntur aliæ humiditas, & siccitas, non quòd prorsus oriantnr, sed quia ab alijs conseruentur & inducan-

ducantur. Secundariæ dicũtur, quaſi primis inſeruientes: & ſecundo operari dicuntur, vt emollire, maturare, reſoluere, tenuiorem reddere, vti cùm calidum in mixtũ aliquod agens, educit impurũ, & dum ſuæ actioni idoneũ reddere tentat, vt ſimplicius fiat, euadit tenue: ſic frigidum conſeruat, conſtringit, & cõgelat: ſiccum inſpiſſat, & exaſperat: nam dum exedit in illius ſuperficie humidum, quæ conſumere non valet, indurat: vnde ſuperficiei ſcabrities inducitur, nam vacuitate depreſſa, & eleuata duritie, partium fit aſperitas, & prominentia euenit. Sic humidum auget, corrumpit, & plerunque per ſe vnum facit, per accidens aliud: vt ex maturatione, conſtrictione, expulſione, & iјs ſimilibus lac, vrinam, menſtruum, ſudorem euocat: quæ tertiæ à Medicis dicuntur qualitates, ſic ſecundis inſeruientes, vt illæ primis, & quandoque in aliquibus operantur membris, vt caput corroborare, renibus conſulere: quas & nonnulli quartas vocant. Hinc multa eueniunt experimenta, vt paſſim in opere conſpicitur: ad explendam tamen hiſtoriam earum ab re non fuit cõmonuiſſe, ne aliquid deſiderari poſſit, vt inſtructus artifex ritè noſcat vires, & operandi ſemitam.

Abſtruſæ rerum proprietates variæ, quæ ab ipſa eueniunt Forma. CAP. VIII.

MVltæ ſunt rerum ἰδιοσυγκρισίαι, *id eſt occultæ proprietates, viresque: non ex elementorũ qualitatibus, ſed à forma ipſa vti diximus, & cùm ab ea eueniãt, materia exigua maximum demonſtrat effectũ, quod materiei contrariũ eſt: vt enim promptiùs agat, maiorẽ expoſcit materiẽ. occultæ ſunt, quia certis demonſtrationibus ſciri non poſſunt. Ideo*

anti-

antiqui sapientes illi terminum quendam constituendum esse decreuerunt, vltra quem rationibus progredi non possent, cùm multa sint in Naturæ penetralibus, occulta plena energia, quorum causas indagare nec potest, nec capit humanæ coniectura mentis: Naturæ enim obscuritate, & abdita maiestate latent, potiusq́ue hæc admirari quàm sciri voluit. Vnde ait Theophrastus: Qui de omnibus rationem quæritat, simul cum ratione scientiam tollit. & Alexander multa dicit esse, quorum nulla ratio reddi potest, modum penitus humani ingenij excedentia, Deo duntaxat cognita immortali, qui omniũ parens rerum atque author est: quæ cùm elementorum naturam, & vires superẽt, demonstrationibus arctari minimè possunt: sic quæ à veteribus Philosophis reperta potius admirati relinquere, quàm rationem efferre conati sunt. Nec solum mirati animalia quæque creasse, & varijs differre figuris & magnitudinibus, sed secundùm speciei quoq; varietatem vnicuique proprietatem quandàm, & peculiarem tribuisse, qua cæteris moribus & operationibus distent. exempla proponemus eorum multa, quæ fortasse lectoribus voluptuosa, et non iniucunda erunt. Veluti cùm ferox Taurus fico arbori alligatur mitescit, domaturq́; & illitis rosaceo naribus, rotata vertigine concidit. vt Zoroaster ait, qui ex delectis veterum placitis Geoponica scripsit: & tenerescit Gallus, qui ex eadem arbore pependerit. Vultures & Scarabeos rosarum odore extingui tradit Aristoteles: Si capræ barbam, quam aruncum vocant, è grege manibus apprehenderis trahens, tota subsistitur grex, pabuloq́ue relicto obstupent omnes, nec prius admirari desinunt, quàm rei gnarus

ille

ille reliquerit, vt Aristoteles ait, decepti multi de eryngio herba protulêre, aruncum enim κρύγκον *Græci dicunt, & vocabuli conformitas erroris causa fuit, cùm experientiæ non respondeat. Hyæna si hominem canemúe soporantem aspexerit, suum iuxta illud protendit corpus, síque dormientis corpus superarit, deliriũ efficit, & ne sibi obsistat, manus erodit: si proceritate superabitur, celerem arripit fugam: vti Nestor in sua tradit Panacæa. Si quoque sæuiens hyæna occurrit, caue ne illam à dextra excipias: stuporẽ enim inducit maximũ, cui obsistendi non amplius facultas dabitur, nec tibi ipsi poteris auxiliari, si è læua inuaseris, stupore obreptã enecabis: eius vmbra canes elingues reddit, & obmutescere facit, quod sentiens insecuta aduerso sideris lumine currit, & infestantum ora canũ verberat vmbra. Febricitans leo vorata simia liberatur. Capræ, hircíque culturæ veneno sunt: nonnullas enim satas oleas, vitesq; corrumpunt, vt sterilescant, sic non iniuria factum, vt Libero patri vitis repertori hircus immolaretur, et Minerue capra vt capite pœnas daret. Olea virginea manu decerpta, & plantata vberiores præbet fructus: si à meretrice sterilescit. Serpens vel vipera calamo percussa torpet, si denuo percusseris, sese recolligens aufugit. Apuleius sic ait: Serpens cauernã subiens, si sinistra manu fuerit detracta, paruo extrahitur negocio, si verò dextra extrahi nequit. Vipera, ramulo fagi in eam cõiecto, obstupet. Formicæ, ne condita frumenti acerua foras pullulent, medullã extrahunt. Struthiocamelus occultiore vi ferrum concoquit, & in alimoniã cõuertit. Gallinacei, surculo è sermentis collo ipsorũ addito, non canunt. Sic marina stella tam*

con-

concoquendi vi prædita est, vt cochleas integras, & stellas deuoret, & comminuat. ἐχενηΐς à Latinis Remora, & Remiligo, paruus admodum pisciculus gubernaculo adhærens, velificantes naues, & secundo vento concitatas, robusto fræno remoratur. is, ruant venti, sæuiant procellæ, vires omnes compescit, immobiles reddit, ac si anchoris, firmisque vinculis alligarentur. Torpedo tantam vim stupefaciendi habet, vt è longinquo capta, fuscina, hamo, seta, arundine contingendo, piscatoris artus obtorpescant, piscibusque quibuslibet, quos cupit, & veloces, stupore eos afficiens, vescitur: capiti tamen admota, dolores lenit, & compescit: frequenti vsu, Platonis, Aristotelis, Galeni, & Aeliani testimonio comprobatum. Marinus lepus spectantes omnes nauseabundos facit, vt facilè vomituriant, prægnantibus noxam abortiendo defert. Pastinacæ radio nil in mari execrabilius, vt si in viridem, & vegetem arborem defigas, statim enecet: dentes excutit, & eorum dolores lenit. Laurus & ficus è cælo nō tanguntur, nec vituli marini tergus, nec hyænæ pellis, nec alba vitis: quare nautæ ijs vela muniunt, ne fulmine icta deflagrent, & decidant, hoc Octauius se muniebat Augustus: lauro Tiberius Cæsar, quam pro corona gestabat, ne tonitru afflarentur: non enim solùm fulminis impetum euadunt, sed aduersam, fulminis ictum retorquentem naturam habent, & Tarcon albis vitibus domum sepserat. Corpus, quod fulmine icitur, incorruptum permanet, vnde cadauera ipsa siderata, veteres vrere non curabant, nec terra obruebāt, cùm corruptionem non sentiant: sed putredine immunia durent. Sic obiurgatione vates dignos existimamus: qui

B cæle-

cælestis aurigationis rectorem Phaëtontem de cælo tactum, in vallibus computruisse cecinerunt. Rupicis auiculæ conspectu regius sanatur morbus. Tanta est lysimachiæ vis, vt discordantibus iumentis iugo imposita, asperitatem cohibeat. Buglosson herba in vinum coniecta, animi voluptatem auget, vt Euphrosianum dicant. Ocymum, vti Theophrastus prodidit, maledictis, & conuitijs lacessitum, dum seueris, vberius & celerius nascitur. Vnde ex eodem fonte manasse puto id, quod prouerbij loco apud nos iactatur, Ocymum serito, & fortasse Persius huc alluserit senariolo.

Cum bene discincto cantauerit ocyma vernæ.

Nec minus Rutam iniurijs siquis prosequitur, prodesse certissimum est: immò melius furtiua prouenit: vt veteres crediderunt. Idem euenit apio, quanto magis pedibus proculcatur. Adamas Indicus, duris quibuslibet resistit, dum hircino sanguine proluitur, mollescit, & frangitur. Rhabarbarum ex humoribus solam purgat bilem, Etiphymum atram, Agaricum pituitam. Nec minus admirationis habent: quæ ex medelis animaliũ medicorum cura sunt reperta: vti canis vomitione ex herbis quibusdam aluum purgat, & Ibis Aegyptia curat. Capræ in Creta venenatis infixæ sagittis, & sauciæ herbam quærunt, quam Dictamũ vocant, eamque gustantes, sagittas è corpore eijciunt. Marinæ aues exulceratis rostris, cunila medentur. Testudo serpente depasto infirmata, eius venenum origani esu aufert: & contra eum dimicatura hoc se munit. Cùm mandragoræ mala vrsi gustauerunt, eunt obuiam, ne malum in perniciem conualescat, & moriantur, formicas comedendo. Et ceruus vbi venenata aduertit pabula,

bula, sibi cinara medetur herba. Elephas chameleonte iam depasto, qui frondibus concolor immoratur, suo veneno occurrit, oleastrum desumens. Pantheræ veneno deuorato carnibus insperso à venatoribus, ne extinguantur, humanum stercus inueniunt, quo sibi medentur. Palumbes, graculi, & merulæ lauri folio. Columbi & gallinacei helxine pasti, annuum fastidium deducunt. Chelidoniam visui saluberrimam hirundines monstrauerunt, vexatis pullorum oculis illa medentes. Sic putrescēte terra animalia quædam in alienigenam deficiunt naturam. Eruca ascitis alis in papilionem desciscit. Erucæ in fico enatæ, in cantharides mutantur. Hydrus iam lacubus, vel stagnantibus aquis exhaustis, in serpentem degenerat. Alia in temporibus eueniūt: vti accipiter, vpupa, erythacus, & phœnicurus in æstate mutantur sæpe. Ficedula, & atricapilla, quæ Græcis Melancoryphos mutuò commeant, vt quæ fuerit ficedula autumno, vindemiarum calce in atricapillam vertatur. Sic triticum in lolium, & ex lolio rursus in triticum, & ex semine in auenam mutatur. Ocymi semen si frequenter seratur, Martialis affirmat, modò in serpillum, modò in sisymbrium mutari. Galeni quoque patris testimonio, cùm triticum & hordeum diligenter selecta, quo certò cognosceret, seminaret: in tritico loliū, in hordeo parum inuenit. & multa quoque refert, hæc tamen sufficiant enarrasse.

De Sympathia, & Antipathia, & vt per eas rerum virtutes experiri, & reperiri possint.

CAP. IX.

E*X proprietatibus quoque occultis animantibus, vegetabilibus, & speciebus omnibus inest (vt*

ita dicam) compassio quadā, quam Græci συμπάθειαν, & ἀντιπάθειαν, nos tritum consensum, dissensumq́; dicimus: quædam enim mutuo connubio sibi associantur, & tanquā fœdere deuinciuntur, aliqua verò sibi ipsis infesta, & simultate dissentiunt, acerbisque laborant discordijs: vel horribile aliquod, & destructiuū habent, quod rationibus vllis & probabilibus, nec quæri, nec arctari possunt: nec prudentis erit huiusmodi consortium auxilio probare, nisi quod spectaculo eo fuerit Natura ipsa delectata, nec aliquid placuit esse sine pari, & nil esse in Natura occultiv, quod arcana quadā proprietate non vigeat, & peculiari: quorum admiratione ductus Empedocles, omnia per litem, & concordiam fieri, & dissipari affirmauit, at illa rerum omnium semina esse, & reperiri in elementis, per qualitates sibi inuicē dissidentes & consentientes, quas diximus: ac denique in ipso cœlo, vti Iuppiter, & Venus planetas omnes diligunt præter Martem, & Saturnum: Venus amica est Martis, cui Planetæ cæteri aduersantur. Est & alia amicitia, inimicitiaque, per oppositiones domorum, & exaltationes. Flagrant enim odio signa, & amicitia nexu conneciuntur, vt canit Manilius.

Quin etiam proprijs inter se legibus astra
Conueniunt, & certa gerunt commercia rerum,
Inque vicem præstant visus, atque auribus hærent,
Aut odium, fœdusue gerunt, conuersaque quædam
In semet propria ducuntur plena fauore, &c.

Et latius patent in Astrologorum libris, sed magis in animantibus perspicua. Vti homines, & serpentes adeò irreconciliabili dissident simultate, vt statim viso serpente homo expauescat, & fœmina vterum ge-

rentis

renti occurrens, partum abortu vitiet. Nec minus ieiuni hominis saliua scorpiones interimit. Crocodilus Niliacus, & panthera sæua homini sunt: hæc illum deuorat, sed ab hyæna maximè terretur. Ichneumon crocodilo exitialis: illi enim est hostis à Natura datus: apricanti enim insidiatur: nam hic rictu immenso dum os gerit patulum, in illius perniciem inhians, in oris hiatum ille intrat, & per latum guttur in aluum delabitur, & exesis visceribus, è mortui ventre progreditur: dißidet tamen cum phalange, & cũ aspide belligerans, sæpe interit. Homini sic lupi visus est noxius, vt quem priorem contemplatus fuerit, vocem adimat, & anticipatus obtutu nocentis, licet clamare desideret, vocis tamen ministerio careat: si se præuisum senserit, conticescit, & ferocitate torpescente, grauem virium iacturam facit: vnde natum prouerbium: Lupus est in fabula, à Platone in Politijs traditum. Et lupus, si equum mordicus læserit, equus eximia pernicitate cursus pollebit, & si luporum vestigia conculcet casu, obstupescit, & crura torpore hebescunt, vt Pamphilus ait. Habet & cum oue internecinum bellum, & sic eum formidat, vt occisæ ouis à lupo pelles, & vellera neta, si ex his vestes conficiantur, longè, quàm cæteræ sint ad procreandos pediculos aptæ. & carnes, quæ lupinos sensere morsus, tenerescunt, & suauiores fiunt. Cauda, caputque lupi, si in præsepe pendulum fuerit, mœrore oues afficiet, vt relicto pascendi studio, præsidium implorent. Lupo canis inimicus, homini amicus, & equus, cui gryphes, & vrsi aduersantur. Araneus cum bufone, & serpentibus dißidet, vt conspecto hoste, filo se libret, & aculeum fronti infigat, & mortem

deferat. Leo ferarum generosissimus, animalibus cunctis tremendus, expauescit, eumque terret galli gallinacei cantus, albi præcipuè, & crista. Simius testudinem horret, statimque visa fugit, & vociferat. Elephas animalium terrestrium maximus, magnitudine stupenda, subrumi suis grunnitum maximè perhorrescit: vt Zoroaster in Geoponicis ait. Est & cum dracone continua dimicatio. Gallinaceus pullis ipsum non curat, & tantam eius molem in ludicra vertit: milui tamen vmbram timet, eumque expulit. Elephas quoque, nec minus arietē timet. dum enim feritate effertur, ariete viso mansuescit, ac conflaccescit impetus: quibus Romani machinamentis Pyrrhi Epirotarum regis elephantos in fugam verterunt, amplaque victoria sunt potiti. Salo asinum odit, & cum eo prælium est illi: nam fruticetis, vel vepribus scabendi causa sese atterens, vt quas adhuc tenellas frondes deuoret, nidos dißipat: vt oua deijciat, & pulli è nido decidant, metu: at ipsa rostro vlcera fodiens & lancinans, narium mollia pungit. Accipiter columbino generi hostis infestus, hoc tuetur tinnunculus, cuius conspectum, vocemque formidat accipiter, nec eas hoc latet, quòd vbicunque resideat tinnunculus protectoris fiducia è loco non faceßunt. Cornix, & noctua perpetuum gerunt bellum, inuicem fœtibus insidiantes, ouaq; absumunt, & exedunt, noctuq; hæc, interdiu altera, tunc cùm sit luce potentior. Cum noctua auiculæ omnes, dum circumuolant, & percutiunt. Cornici inimicus est mustela. Miluus coruo inimicus, qui volatu præstantior, & vnguibus validior, prædam eripit. hic quoque vulpi. sic anas gauiæ, harpa araneæ, & stellioni, pipo ardeo-

deolæ, æsalo, & coruus vulturi, florus equo, coluta asino: dormiens enim in præsepio, narem subiens asini, impedit esum. ardeola cum aquila, alauda cum vulpe, aquila cum dracone, trochilo & oleribus, & cum ea cybidus nocturnus accipiter belligeratur, inuicem se confodiunt, vt simul emoriantur. Et aquatilia odio flagrant, vt mugil, & lupus, vt sæpe mugili à lupo cauda abscindatur: sic conger, & muræna caudas sibi mutuò prærodunt. Locustæ polypos horrent, vt brachijs vinciantur, & emoriantur. Est & vermiculus in mari œstrum nuncupatus, scorpioni similis, aranei magnitudine, thynnis, & xiphiæ sub pinna affigit sese aculeo, vt interdum in nauigia insiliant dolore nimio. Serpit & hæc simultas inter plantas: vti quercus, & olea, & tam pertinaciter odio dißident, vt si quercus in oliueto nata fuerit, fugiat, introrsum commeet, & exarescat: vel olea in querceto radices maximè noxias relinquit, vt eas enecet. si eandem iuxta iuglandem nucem seueris, harum alteram necesse est, aut emori, aut infirmam semper esse. Et nucis vmbra satis omnibus inimica, & quæcunque attigerit, veneno inuadit illico, nocet & stillicidij ratione, cùm humor è frondibus diffunditur. Pernicialia sunt braßicæ, & vitis odia, ac spectanda earum dimicatio: vitis enim cum intortis clauiculis omnia complecti soleat, solam refugit braßicam: nam propè sentiens, in aduersam partem se torquet, vt si quis eam admoneret hostem esse in propinquo, dumq́ue coquitur braßica, vinum vel si paucißimum instilles, nec coquitur, nec ipsius color constat. Ipsumq́ue olus, quo vitis fugatur aduersum cyclamino, & origano perarescit, vt vnum vireat, alterum

 pereat

pereat necesse est: iuxtaque consociatæ sæpe aridæ spectantur. Sic quoque vitis laurum odit, quia odore deteriorem facit. Nam eam olfacere, & allicere dicunt, quamobrem cùm germen eò accesserit, retrograditur, inimicum fugiens odorem. Mira quoque arundinis, & filicis discordia, & peruicacia, vt altera alteram necet: nam filicis radix contusa è cannis spicula, corpori infixa, deijcit: & si quis arundinem penitus non nasci volet, filice vomeri imposito exaretur locus, sic filices arundine sectas, minimè renasci cognoscet. Cucumeres oleum mirè oderunt, vt contra ipsum refugiant, & si pendent, velut hamus plicentur: quod vna nocte deprehenditur: nec id satis omnibus gratum, emoritur enim stirps, quæ fuerit eo peruncta, vnde oleosæ arbores, cæterarum insitiones, & consortium respuunt, pinguem resinam, & picem collachrymantes, vel quippiam oleaginum plorantes. Vnde quercus pyra afferre, platanus poma, punica mala myrtus dicuntur. In picea verò, & pinu insitus termes non comprehendit. Orobanche eruum necat amplexu, & fœnum græcum radici adnascens, & fabas maximè iuxta nascens inanescit, & necantur, & iuxta eas maximè nasci amat. Lappa lenti aduersatur: Aegylops, & æra, tritico, & hordeo. Cicer herbas omnes enecat, & seipsum, & tribulum celerrimè. Cytisus vicina omnia strangulat, eo valentior auro est, nam cytisum ipsum interimit. Serpentes fraxini vmbram fugiunt, quãquam in longum porrectam, vt si locum in agro circundes igne, serpentes citiùs in flammam, quàm ad arboris vmbram confugiant. Rhododaphne folijs, & floribus iumentis omnibus perniciosa est, homini verò contra serpentes præsidium.

ſidium. *Veratrum, & cicuta homini peſtifera : illo coturnices, hac ſturnos veſci conſtat : quod eleganter expreßit Lucretius.*

Quippe videre licet pingueſcere ſæpe cicuta (alibi :
Barbigeras pecudes, hominumq́ eſt acre venenum. &
Præterea nobis veratrum eſt acre venenum,
At capris adipes, & conturnicibus auget.

Ferulæ aſinis gratiſſimo ſunt pabulo, cæteris verò iumentis præſentaneo veneno, vnde id animal Libero patri immolatur, cui & ferula. Merum citutæ venenū, platano radicibus infuſo gaudium. Scorpio ſi repit per aconitum, ſtupet, & torpeſcit. Eſt quoque herba nomine Ceraſtis, cuius ſi quis ſemen manibus, digitisúe tractauerit, impunè ſcorpium conterat. Feles cohortales gallinas, & aues non inuadunt, quarum ſub alis agreſtis rutæ ſurculis adhæreat. Muſtela cum ſerpente dimicatura, hoc ſe cibo prius munit, & loricat. Leo ilicis frondes calcans, vel ſupergreſſus obſtupet. Lupus ſcyllæ bulbos euentu contingens, reſolutus fatiſcit, ideo vulpes latebris ſuis ſcyllas opponunt. Platani folia veſpertiliones abigunt, ideo contra eos ciconiæ ad nidos afferunt. Apium ſilfas, & blactas, hirundines contra eas nidis inſpargendo ſe muniunt : ac reliqua pellendo noxia animalia, palumbes apponunt laurum, accipitres ſylueſtrē lactucam, quam inde hieraciam vocant, harpæ aues hederam, corui aron, vpupæ adiantum, cornices ſupinam verbenacam, turdus myrtum, perdix arundinem, ardeola careon, aquila callitrichum, galerita gramen. Vnde græcum adagium :

Ἐν κορύδου κοίτη σκολιῆ κέκρυπται ἀγρώστις,
Graminis intorti luſtro Galerita recumbit.

Et

Et cygni parituri viticem quoque in nidos afferunt. Si hæc mutua contagione infesta narrauimus, quid mirabilius, si multa, & amico consortio, & naturali affectu beneuolentiæ deuincta conspiciamus? miro Naturæ arcano, nec nisi alijs fœderis nexu coalescũt. Si serpens homini inimicus, lacerta homini amica, cuius conspectu lætatur, contemplatur, vt saliuam elambat, quid homini amicius quàm canis? & inter aquatilia delphinus? vt φιλάνθρωπος dicatur: & venerios quoque & amasios constat: vt Appion scriptum reliquit, & aliquot seculis antè apud Naupactum (vti Theophrastus tradit) amatores flagrantissimos fuisse, & pueros liberali forma in nauiculis fortè conspectos, aut in vadis littorum miris, & humanis modis exarsisse. Vulpes cum serpente amicè degit. Amant pauones columbas, merulæ turdos, turtures, & psittaci simul.

Vnde Ouidius:

Et niger à viridi turtur amatur aue.

Cornices ardeolas, & inuicem sibi auxiliantur contra vulpium genus communibus inimicitijs. Sic galgulus & lædus, iunco & alauda. Sic harpæ & miluus contra triorchem communem hostem. Nec minus inter pisces, qui gregatim degunt. Estque inter balænam, & pisciculum quendam magnitudine & gobij forma tantus amor, vt lubens antegradiatur, viamque dirigat, ipsa sequatur, & in eo salutis, vitæque spem habeat, & quiescente quiescat, & progrediente progrediatur: nec appareat, cur velit ei inseruire. Sic inter plantas amant vites vlmum, & populum, quòd nimis propemodum in eis luxurient, vt ipsis nuptæ maritæque per earum ramos scandentes, adeo capreolis, & sequacibus

cibus loris amplexentur, ut auelli, diuelliq́; nequeant, & lætißimæ multum afferant fructum, quod in alijs non sic euenit. Palmæ vehementiori se prosequuntur amore, ut altera alteram desideret, et adeò cupidinis tabe depereunt, & libidinis titillantur pruritu, ut pronæ comas simul inclinent, vel complicentur, si propius hærent, at funis nexu religatæ, tanquam mutuo per eam contactu complexentur, & Veneris munere fungantur, ut capitum umbracula hilariter erigant. huic vesaniæ hoc afferunt agricolæ remedium, & insanus amor discutitur, & fructuosam reddunt. Narrat & ardentius amoris desiderium Leontius, Veterum verbis fortasse fisus, quod sic cōsociari cupit, sic Veneris est animus, ut nec desiderio stimulata cupiditate prius quiescat, quàm ipsam adamatus mas consoletur, siquidem pronam conspicere cuique licet, suis incumbere comis, impatientemq́ue suum grauari stabilimentū, & quasi viduam infructuosam degere: & nisi subuentum sit, emori, quæ res non latet agricolam, quòd amoribus afflictetur: nec ille remedij inops, ut in quem maritādi cupidine deflagret, penitus cognoscat, cùm plures consociatæ ambiant, eas contingens denuò afflictæ amanti affert, cùm autem manus tanquàm osculo affricare senserit, uti desiderio satiato denunciet, blandioribus comis demulcens, nutat: unde maris flores trunco erutos: amasiæ capiti circumponit, sic amantis munere iam onusta, dat sobolem, & hoc amoris pignore exhilarata, fœcundabitur. Nec fructus in fœmina palma perdurare potest, nisi florem maris cum puluere super eam concusserit. Amor est quoq; magnus inter oleā, et myrtū: & ut refert Androcius myrti brachia, virgultaq́;

per

per oleam prorepunt, & commiſcentur, & radices mutuò complicantur, nec alia præter ipſam iuxta eam ſeritur, ſic & fico, cæteris inimica. Nec minus myrtus, cum punico mutua conſuetudine ſupra modum oble-ctatur, quòd ſi conſortio fruuntur, fertiliores euadunt, & quanquam radices aliquo diſtent interuallo, cõple-xu tamen exhilarantur, ſed coniugio lætantur magis, vt inſita myrto punica maiora largiatur poma, Didy-mus. Et magna eſt cum arundine aſparagi conſociatio, vnde corruda optimè in arundinetis ſeritur, & lætior proſiliet. Sola amygdala minus ferax, aſſociata verò, ce-leriùs dat fructum. Multæ quoque arbores ſterileſcunt, ſi in propinquo palum, vel maſcula non adfuerit, vt inito quodam fœdere pariant. Oleæ ſterilitatem tollit oleaſtri talea. Vnde carmen.

Fœcundat ſterilis pingues oleaſter oliuas,
Et quæ non nouit, munera ferre docet.

Inter allia, roſas, & lilia arcanum eſt commercium, vt propiùs naſcentia, ſimul gratificentur, & lilij, roſæque flores ſuauiores oleant. Lætiora omnia prouenient, cui ſcylla fuerit adſita, et olera omnia in vniuerſum iuuan-tur, ſi iuxta ea eruca cõſeratur. ex Frontonis dictis. Cu-cumeres aquas diligunt, vt oleum oderant, vt eis im-minentes, vel modicè diſtantes adrepant. Ruta nuſquã lætior proſiliet, quàm ſub ficus vmbras, vel ſi eius corti-ci inſeratur. Cattus radicis odore phu impensè delecta-tur, quod illius oculi corroborentur. Vnde nomen gat-taria inditum, vt maximè perfodiant, & caput ſæpius reuolutent. ſic, & nepta. atque hæc ſufficiant, longiori enim oratione aures detinuimus.

Quod

Quod particulari indiuiduo maximè insint è cælo dotes. CAP. X.

HAudquaquam dotibus indiuidua carent luculentis, & mirificis: sed magnam in operationibus retinent potestatem, & maiorem: quàm ab ipsa habeant specie, cælesti stellarum situ, occultaque proprietate. Inquit Albertus: Omne indiuiduum, quod sub stato nascitur horoscopo, cælestique influentia, congruam haurit proprietatem, & mirabilē operandi, patiendiue energiam, nō specificam, sed propriam & peculiarem. Vnde varij indiuiduis asscribuntur effectus, & inclinationes, vario ab influxu, cælestique habitudine, quæ omnia nouisse Magum oportet, vt multis ostensis operandi vijs, eligat commodiorem, suoque inseruiat vsui, si inops aliquando eorum fuerit. Nostrum enim tunc absoluimus pensum, cùm indagandi componendique methodum tradidimus, ne quid nostris in historijs desiderari poßit. Sed redeat, vnde oratio fluxit. Refert quoque Albertus, gemellos extitisse, alteri quorum latus erat, tactu cuius claustra & portæ paterent omnes, alter è diuerso rependēs claudebat, quæ aperiebantur. Alij cati, muris, aliorumq; animalium sic perhorrescunt aspectum, vt non poßint non ægrè ferre, & in animi deliquium cadere. Sic aliquibus strumas sanandi, & diuersa curandi vlcera est impressa cælitus potestas. & quod chirurgū fatigauit multum, pharmaco curari non valuit, nec vlla profuit medicina, solo saliuæ tactu sanatur. Nec minus considerari debent, quæ non generi toto, sed quæ solis conueniunt indiuiduis, & insunt. Vti meretricibus audacia, ganeonibus petulantia, furibus timiditas, & huiusmo-

iusmodi passiones multæ, quæ passim literarum monumentis memoriæ produntur.

De rerum viribus, quæ animalibus in vita tantum insunt. CAP. XI.

PErpendere ac intueri par est functiones præinsignes aliquas, imo maiorem eorum partem, quæ in vita tantum operantur, post autem interitum hebetantur, & euanescunt, & rarò aliquibus inseruiunt. Luporum oculi vocem, catoblepas verò & basiliscus confestim adimunt vitam, moratur echeneis nauigiorum impetus, struthiocamelus ferrum concoquit, non iam emortui id operantur, quòd nil penitus liquidò agunt: emoritur enim & deperit virtus illa, vita iam euanescente, immò si partes ex eis eligendæ sint, è viuis sunt petendæ. Ideo in Naturalis Magiæ præceptis non temerè sancitum puto, si quæ ex animalibus consequi possunt, ijs iam viuis demere, fueritque præstantius, si id fieri potest, in vita supersint, animanti enim iam expirante debilitatur, ac elanguescit virtus illa. Anima enim (inquit Albertus) his confert multùm, quæ in animalibus gignuntur: interitus enim, aut corruptio peruertit ea, & præcipuè si naturalis, cum corruptis humoribus emoriuntur: viua longe secus operari sunt solita, viresque luculentiores habent. Obseruatur id multùm medicorum astipulatu, cæterorumque, qui huiusmodi studio nauant operam. Si extrahentur posthac è ranis linguæ, è pastinacis radij, lapides ex animalium capitibus, aut oculi, vt aliquid opportunè operētur, nō enim è mortuis illis, sed adhuc vita fruentibus, viuaque in aquam proijciantur, & viuant, vt non insita eius virtus depereat, & flaccescat, sed virtutis

tuis exuperantia, ad agendum promptiora euadant, nec aliter in omnibus id imitemini, quod verbis parcentes, breuiter enarraturi sumus.

Quòd post mortem vires aliquæ corporibus quoque inhæreant. CAP. XII.

NEc minus in rebus vita carentibus perspicere licet: remanent enim proprietates aliquæ sic consociatæ, vt operari non desinant, immò & valentius multò. Lupi sic ouibus sunt exitio, vt odium post interitum seruent, nam si lupina pelle tympanum accommodabis, inter cætera ex ouibus pulsatum audies, silentibus sonoris omnibus, & obmutescere ea faciet: ex vrsi vel lupi corio confectum, & pulsatum longè, equos abigit & fugat. Et si ex omnibus eorum intestinis chordæ in lyris tendantur, obstrepent, nec temperamentum vnquàm efficient. Dissidet hyæna cum panthera: vnde qui hyænæ corio se loricat iam mortuæ, fugiunt quæque, nec congredi quidem sustinent. & si eorum pelles è regione aduersantes suspendes, pantherarum pellis pili defluunt. Leonis pellis cæterorum animalium pelles absumit, & erodit: lupinæ verò quoque agnorum, & reliquorum alituum pennæ aquilinis permixtæ, in tabem resoluuntur, & per se decidunt. Aduersantur sibi florus & ægithus, & tam est eorum pertinax odium, vt mortuorum sanguis simul commisceri non posse dicatur. Amant sic columbæ tinnunculum, vt referat Columella, si quis tinnunculi pullos in fictilibus ollis defoderit, & stipantia opercula superposuerit, & gypso oblinita vasa, in columbarij quatuor angulis suspendantur: auibus amorem loci conciliare, quæ desiderio captæ nunquam mutent sedem, sic post

mortem

mortem amicum amant. Nec herbæ, ſimpliciaque cætera operari deſinunt, quia iam detruncata, aut ſicca depereant, ſed iam valide eis quoque vires præualent. Tu autem conſidera, & æqua mente librato, ne te in operando decipiant: qui mirabilia operari affectas.

De mutua rerum communicantia, & quòd aliqua tota ſubſtantia, & partibus operentur.

CAP. XIII.

INſunt præterea naturalibus rebus aliquæ communicationes, quæ mutuò agunt operanturque: quarum exempla in reliquis obſeruato, & iis vtitor. Impudentiſſimæ meretrici, nõ audacia ſolum, ſed virtus etiam ineſt, vt quæ tetigerit, vel ſecum habuerit, vim habeant audaciam inducendi, & impudentem reddendi: vnde, qui illius ſe ſæpius contemplatus erit ſpeculo, vel induerit exuuias, ei redditur, & in impudentia, & in libidine ſimilis. Nec ſolùm ferrum à magnete contactum trahitur, ſed cætera allicit ferrea, ac vti dicemus, anulus vnus quem rapiet magnes, multos attrahit, vt tanquam catena pendere videatur, & mutuò illius transferatur virtus. Sic lugubres panni, vel quibus in funeribus fuerint vſi, & lugubrem, & moribundum reddunt hominem. Idemque in cæteris obſeruare licet. Animaduerſione quoque dignum puto, rerum virtutes aliquibus ſubſtantia tota, aliquibus verò & partibus immorari. Retinet, vt diximus, echeneis nauem, non iam partibus præcipuè ſuis, ſed tota ſui ſubſtantia, exemplaque plurima paſſim leguntur. Multa ſecundùm partes operantur aliquas, oculis ſcilicet regulus, catoblepa, & lupus. Fugiunt veſpertilionis alas formicæ, non tamen cor, vel caput: fugiuntque

vſu-

vpupæ cor, non tamen caput, vel alas: id in reliquis animaduertes. Nunc quomodo per rerum ſimilitudinē operari oportet, clarè doceamus.

De rerum ſimilitudine, & qui per eam virtutes operari, inueſtigarique debeant.

CAP. XIIII.

QVæ ex totius ſubſtantiæ proprietate iam euenire diximus, ſi conferantur, aut affinitate genuina deuinciri, aut diſsidio præliari vidimus. Nunc autem, quæ ſimilitudine quadam operantur, dicemus. nec eſt principium magis in dicendis profuturum, nec radix vnde ſecretorum & mirabilium operationes expullulent magis. Perinde maximam, & talem adhibeas diligentiam, qualem accuratiſsimè veteres adhibuiſſe in eorū ſcriptis reperimus. vt hinc pars maior eorum ſecretorum conſtet. Vnde vt in compoſitione & noſcere, & aſsimilare diſcas. Vniuerſas rerum ſpecies, & qualitates ad ſe aliqua ſecundùm totum eorum poſſe inclinare, trahere, & allicere, & ad ſuum conuertere ſimile videmus, & ſi ex actione præcellentes fuerint, id facilius eueniet: vti ignis ad ignem mouet, ad aquā aqua. Et aſſeuerat Auicenna, quòd ſi quid diu in ſale ſteterit, ſalſilaginem totum reſipiet, & ſi quid in fœtido, fœtidum, & ſi cum audace & timido, audax & timidus fiet. cum hominibus ſi quod animal conuerſari ſolitum humanum, & cicur euadit. Huiuſmodi multa aſtruunt Medicorum dogmata: vti corporum partes aliquæ ſimilibus gaudent: vt cerebrum cerebro, dentes dentibus, pulmo pulmone, iecur iecore. Hominis, vel gallinæ cerebrum memoriæ, & ingenio confert,

eiusdemq́ue calua recens epulis immixta iuuat epilepsiam. Mustelæ oculus dexter in anulo positus, liberat à fascinatione, quæ per oculos fit, vt dicemus. Et qui lupi, vel hominis oculum secum detulerit, ægrè nō videbitur. Si eorum linguas, minus inuidorum nocent linguæ, vel verba, Gallinæ ventriculum ante cœnam si comederis, & si ægerrimè concoques, ventriculum tamen confirmat. Cor simiæ cordis prohibet pulsum: & audaciam, quæ in corde residet, adauget. Lupi virga assa, & incisa, si editur, venerem excitat, si languescunt vires. Leporis vterus ad fœcunditatem valet. Si vulturis corium dextri calcanei dextro podagrici pedi imponas, vel læuum læuo, articulorum lenit dolores. & tandem membrum quodlibet membro simili prodest. pleraque ex Medicorum scholis condisces: non est enim nostri consilij omnium meminisse, quorum iam ipsi meminêre. Colligendum præterea, multumque aduertendum, quibus insit rebus qualitas, vel proprietatis alicuius excessus, & non communis, vel affectio, vel huiuscemodi perturbationes, & num ille excessus casu, natura, vel arte insitus sit: vt calorificus, frigorificus, amor, audacia, sterilitas, fœcunditas, tristitia, loquacitas, vel aliud, quod facere volumus, ex his operentur, & quam minimè impunè puto, vt si mulierem sterilem reddere destinaueris, sterile considerato animal, quodq́ue excellenti paßione illa superet omnia, quibus talia operandi detur facultas, vt leuiore efficias opere: vti mula: cuius sudor, vrina, cor, matrix, vulua, & maris testiculi, ventri impositi, si hausti, vel condimento aliquo esi sunt, vel suffitu, per infundibulum hianti ore rapti, prohibeant cōcipere mulierem,

lierem, concipiendiq́ spem adimãt. Sic salix inter plantas si elixa bibitur, quia frugiperda. Sic homo, vel indiuiduum aliquod, quod nunquam fuerit infirmũ, ægritudinibus confert omnibus. Si audacẽ, vel impudentem aliquem reducere curaueris, fac illum secũ afferre leonis pellem, oculos, vel galli, animosus, & inuictus perget inter inimicos, et eis timorẽ inducet. Si amorem inducere, vel allicere quæris, animalia quære, quæ cupidinis maximè retinent desiderium, & diligunt. Vti passeres, columbæ, turtures, & hirundines. & hora, qua præcipuè his vacant, arte, vel euentu. & operæprecium fuerit, si partes accipies, vbi maximè vigent: vti cerebrũ, cor, testiculos, vuluam, matricem, sperma, menstruum, vel secundinam. & si mulieribus paras insidias testiculos, vel sperma. si viro menstruum, vuluam, vel matricem. Si loquacem aliquem optabis, dant linguas, modumq́ue optato potiendi, ranæ aquaticæ, syluestres anates, anseres. et si quæ sunt animalia, quibus loquacitatis notam impingunt, obstrepera, & loquacitate non incelebria, quorum linguas, si pectori, vel capiti dormientis mulieris supposueris, quia loquaciora noctu sunt, cordis secreta propalat. Pleraque, quæ potius luxuriãtis, quàm proficientis essent lectionis. Quonam modo ritè ministrentur, inferius docebimus, cùm de ijs profusiùs agemus. Nunc autem de cælorum operationibus proferamus aliqua.

A cælo, & sideribus vim nasci, multaq́ue inde euenire. CAP. XV.

NOn dubium reor inferna hæc supernis illis ancillari, et ab æthera natura illa vim quandã illabi, vt quæ mutationi obnoxia sint, rata le-

ge, & continua ſerie corrumpantur, atque gignantur. Vnde non temere Aegyptios puto cælorum influxibus aſcripſiſſe cuncta, cùm hæc omnia illis ſubiecta cernerent. Affirmat hoc Ptolemæus, qui cæleſtes influxus ad normam expangere, et inde multa præſagire eſt auſus: & verboſa ait probatione non indigere. Nec minus & ſiderum omniũ verbere, animantia, germinaq; omnia creſcere, decreſcereq;: ex aliquibus crebriùs, manifeſtiusq;, alijs verò incertiùs, & interuallis rariùs. Ariſtoteles dum ſuperiorem lationẽ cunctorũ cauſam, & principium eſſet contẽplatus, quæ ſi deſiſteret, hæc illico deperirent: Neceßitate (inquit) fuit hic mundus ſuperioribus lationibus contiguus, vt vniuerſa inde ipſius virtus gubernaretur. Tantamq; à Sole vim diffundi nouit, quòd denuò concinnè protulit: In obliquo circulo flexuoſus ſolis meatus progenies, & interitus caducorum omnium eſt, & acceſſu, receſſuq; temporũ interualla cauſari. Plato cæleſtes quoſdam circuitus cauſam eſſe fœcunditatis, ſterilitatisq; ait. Ipſe Sol temporum rector, vitæq; regimen eſt. Vnde Iamblicus Aegyptiorũ doctrina fretus inquit: Quicquid boni adeſt, id ſolari poteſtate adeſſe certum eſt, & ſi quid ab alijs habemus ab ipſo tamen abſoluitur. Vocat eum Heraclitus fontem cæleſtis lucis: Orpheus vitæ lumen: Plato cæleſtem ignem, ſempiternum animal, aſtrum animatũ, maximum, & diurnum: Phyſici cor cæli vocant. Affertq; Plotinus ab antiquis Solẽ Dei loco eſſe veneratũ. Nec minus Luna ſua, Solisq; virtute operatur, cùm nobis affinior, & peculiarior ſit. Albumaſar per Solem & Lunam omnibus vim infundi, inſinuariq; dixit. Doctißimus Hermes poſt Deum, Solem, & lunam viuen-

uentium omnium vitam esse. Hæc terris citima, cæteros vicinitate exuperans, humidorum domina, & conciliatrix est, & cum ea tantam habent affinitatem, vt animata, inanimataque sui incrementa, & damna sentiant. maria, flumina, & laticum fluctus crescunt, & deficiunt: nunc properè fluctuant, nunc tardo feruntur cursu. Maris æstus reciprocando perpetua agitatur vicißitudine, nec id nisi Lunæ motui ascripsere cuncti, vt nunc auido haustu absorbeat, nunc verò intumescens decedendo refluat: nec apparet vnde aliter euenire poßit. Munificentiùs prouocat animalia, tanquam ei mancipantia: nam orbem replens (vt ait Lucillius) alit ostrea, echinos, spondylos, conchylia, cancros, cæteraque. quia noctu tepido fulgore mitificat, gibbosa autem, vel in cornua vtrinque falcata, inanit, & exhausta reddit. Idem etiam, quod modò retulimus sidus, sentiunt cucumeres, cucurbitæ, pepones, quique plurimum humoris abundant aquei, vt adolescente gliscant, & senescente decrescant. vt referat Athenæus maxima perspici posse Soli auersa, & aduersa eorum incrementa, & decrementa. Nec plantarum germina cæli statum respuunt: quòd norunt agricolæ, cùm sæpius exploratum habeant in insitione: nam crescens lignum, non fructus incrassat, silens verò fructus, ligno languido & macrescente. Vnde agriculturæ peritiores, & anni circuitum, & menstruum Lunæ cursum plantis sic necessarium iudicauêre, vt pars hæc agriculturæ apprimè necessaria sit existimata. Luna quoque dum per Zodiaci signa peragrat terrea, plantatæ arbores fortes radices, & subterraneas partes inijciunt: si per aërea migrans com-

morabitur, arbos diffundet ramos, folijs luxurians, & magis sursum, quàm deorsum concrescens. Immò quod certius reperiri poterit signum, quàm quòd in punico malo cernere est, vt quot diebus ab interlunio discesserit luna, tot annis sobolem det? Et fertur allium, & si luna sub terris posita seratur, & item sub terris latente vellatur, odoris fœditate cariturum. Cædua omnia, vti trabes, lignaque, dum nouum sortitur Luna lumen, humore scatent plurimo, & quasi per humoris conceptionem emollita vermiculantur, & marcescunt. Vnde iubet Democritus, nec Victruuio displicet, statuta ratione innocentiùs in decremento cædi, vt materies tempestiuè cæsa, carie non deficiens, diuturnitatem recipiat. Quin ætates variando, varios demonstrat effectus, nam à Solis coitu vsque dum cornicularis, & diuidua fuerit, humectat, & calefacit, humectans magis, signo, quod humida omnia gliscant, & humificam virtutem ab ea recipiant. dum verò prætumida, & in orbem sinuata fuerit, æquè calidum, humidumque habet: sentiunt id arbores, et mineralia. Decrescens verò vsque dum medio orbe cæsa, calida humidaque, plus tamen caliditatis, cùm plus habeant lucis: vnde contingit pisces per aquarum superficiem commeare: in eo tamen occultus tepor, quia humecta diffundit, & humore aucto putredo prouenit, vnde in tabem ea resoluit. Vbi verò denuò cum Sole fiet synodus, & lumine orba apparere desierit, calida, & præstantiorem tunc cæli statum Chaldæi astruunt sapientes. Sic lunarem quoque esse herbam, rotundis folijs, circinatis, & cæruleis tradunt, quæ lunæ dies nouit: Nam crescẽs vnum

in

in die producit folium, & decrescens deponit. Latiùs & crebriùs apud nos id perspicere licet in mansuetis animalibus, & plantis, continuoque id experimur visu. Sentit formica minimum animal siderum vices, vt interlunio cesset, & quiescat, plenilunio in noctibus operetur. Murium fibræ Lunari numero respondent, vt tumido orbe crescant, cauo autem decrescant. Capilli resecti, & vngues tonsæ post interlunium celeriùs, ante verò seriùs renascuntur. Aelulorum pupillæ easdem Lunæ vices nouère, vt nunc ampliores, nunc arctiores cernantur: quòd qui huius rei periculum facere quæsierit, in eodem sit lumine: maius enim eximiè arctat, minus verò laxiores facit. Scarabæus siderum ætates, & tempora manifestat, ex stercore pilulã in orbem conglobat, humoque effossa scrobe vigintiocto diebus obruit, tantisper condens, dum ambiat signiferum Luna: & ad interlunium reuertatur: tunc orbẽ aperiens, nouam dat sobolem. Cæpa (quod multo mirandum est magis) inter olera omnia sola siderum vicißitudines aduersas nouit, & contrarias habet augendi, minuendique vices, reuiuiscit enim, & cõgerminat decedente Luna, contra autem decrescit adolescente: quàm ob causam Aegyptij sacerdotes eam non comedunt, vti apud Plutarchum IIII. in Hesiodum cõmentario legi. Tithymali genus vnum, quod vocant, Helioscopiũ, quasi Solsequiũ comam ad Solis normã circumagit, vt expergiscatur, et occubet crepusculis sopitum, desiderio quodam excitum, & vt eius ortũ manè spectet, noctu verò florem comprimat. Sunt & solares herbæ multæ, vti heliotropion: iubare enim exorto interdiu semper prono vertice spectat, vt nusquam vi-

deatur eius intorsisse folliculum, fœdere amoris quodã, seseque eodem inclinat, quo sidus defertur: sic maluæ flores, & chichorium. Lupinus quoque abeuntẽ Solem intuetur, vt caulem nusquam intorqueat, quotidie agricolis horam nubilo etiam obumbrante, vti horarum index demonstrat, eisque est confecti sideris signum: & in Euphrate ait Theophrastus: Loti florem non solùm aperiri, & claudi, sed etiam caulem aliâs abscondere, aliâs patefacere à Solis occasu, ad mediam noctem. Sic olea, salix, tilia, vlmus, & populus alba solstitium demonstrant, frondes obuertunt, albaque lanugine canescentem dorsum ostendunt. Irium, & arentis herba pulegij, tametsi radice careant, ligno suspensa, & affixa florent, & æquidium ostendunt.

Selenites perinde ac si Lunæ iubar diceres, lapis est, quem alij aphroselinum vocant. Is Lunæ imaginem continet, eamque reddit in singulos dies augescentem, & decrescentem. Et lapis alius est nubeculam continens, quæ Solis instar, emergens, demergensque circumuoluitur. Congratulatur cynocephalus Lunæ in exortu, quod stans manus in cælum tollit, & regium insigne in capite gestat: talemque habet cum Luna consensum, vt in eius congressu, ex quo affici solet, cum inter menstrua, non pernox, & blando colore illustrans omnia, sed opaca, silensque est, mas cynocephalus quoquam non intueatur, nec comedat, sed in terram demisso vultu Lunæ, raptu indignè lugens, mæreat: fœmina vero illuni nocte non contenta, nusquam oculos contorquens, eadem cum mare patitur, & è genitali sanguinem mittit. Ideo adhæc vsque tempora cynocephali in sacris nutriuntur, vt ex ipsis tem-

ſis tempus coniunctionis Solis, & Lunæ ſciri poßit. ex Oro in hieroglyphicis. Arcturus exoriens imbres & pluuias facit. Sirij exortum canes norunt, quia in rabiem aguntur. Viperæ & ſerpentes furunt, ſtagna mouentur, in cellis vina fluctuant, & maximi ſentiuntur in terra effectus. Ocymum ſub eius ortu pallescit, & coriãdrum ſicceſcit, à Theophraſto traditum. & caniculæ ortum quotannis obſeruabant diligenter, & ab ea coniecturam capiebant, vti ſcribit Ponticus Heraclides, ſalubris ne, an peſtilens annus futurus eſſet: nam ſi obſcurior, & quaſi caliginoſa fuerit, pingue & concretum eſſe cælum, vt eius qualitas grauis & peſtilens futura ſit. Si clara & pellucida apparuerit ſtella, cælum ſignificat eſſe tenue, ac purum, & propterea ſalubre. quam ſic metuebant veteres, vt ei canem ſacrificare inſtituerint. Columella.

Hinc mala rubigo virides ne torreat herbas,
Sanguine lactantis catuli placatur, & extis.

& Ouidius:

Pro cane ſidereo, canis hic imponitur aræ.

Præſentit eam fera, quam Oringem appellat Aegyptus: nam Solis radios tunc contuens caniculam adorat. Moleſtas dicit Hippocrates purgationes ante, & poſt eam, nec ſecandas venas: pleraſque demonſtrat Galenus operationes in diebus decretorijs obſeruandas, & neceſſarias admodum: nec minus in ſerendis ſegetibus, iactis ſeminibus, & plantarum propagationibus. Nec te magnorum ſiderum configurationes lateant: è ſignis diſceſſus, vt aqueæ igneæque impreßiones in aëre videantur. Quòd ſi hæc æquo animo conſpexeris, quis non omnium inferiorum cauſas ſidera ipſa eſſe conijciet? qui

quibus iam ignoratis maxima ſecretarum operationum ſcientia perire deprehenditur.

Simplicia omnia ſtatis exerceri temporibus, & pariter parari debent. CAP. XVI.

PRopterea nos ſtatis omnia parare debere temporibus, nec prætereundum id eſſe cenſuimus: nam Vti cælum Varias reddit anni conſtitutiones, ita & plantas Variat: ad incrementum autem alimentumq́; plurimùm cæli temperies (Vti dixit Theophraſtus) & in totum anni conditio iuuat. Vnde non ab re eſt, quod prouerbio dicunt: Annum producere fructū, non aruum. Ita Vt operationes retineant noſtra ſimplicia Validiores, ſcito aliqua multùm retineri, aliqua Verò breui temporis proceſſu Vim expirari, Vti omnibus conſpicere licet, & cautum eſt medicorum regulis, quæ multis ſeruentur annis, quæue inutilia ſint habenda. Sic ſæpe, quæ ab antiquis traduntur irrita, & Vana reputantur experimenta, cùm fortaſſe incidant in manus aliqua Vetuſtate collapſa & conſumpta, præcipuè quæ in gemmis & in lapidibus. Inſunt prætereà in herbarum radicibus, folijs, floribusq́ue potiores Virtutes, ſi ſtato decerpantur tempore: Nam radices omnes autumno ſunt euellendæ, tunc cum humore & Virtute ſcatent plurima, aliter enim exareſcendo euaneſcunt, & tunc decidua ſunt folia, Vis ipſis occulitur, Verno tempore flores, cum illo enaſcantur tempore, & Vim retineant magnam, æſtatis tempore folia, ſic in cæteris obſeruandum iubemus, cui ſimilis eſt Dioſcoridis ſententia. Verùm (inquit) in primis curam impendere oportet, Vt ſuis tēporibus ſingula, & demetantur, et recondantur: certè enim pro horū ratione, aut Valēt Viribus

bus, aut euanido, nulloque munere funguntur. Serena igitur cæli constitutione demetenda sunt, sic si non suo tempore, & oportunè colliguntur, minus viribus valent, aut si per imbecillitatem intabuerint.

Quòd Regiones, & loca maximè sunt consideranda, vbi nascantur simplicia.

CAP. XVII.

NEc eis raro errare contingit in plantis, metallicis, & ijs similibus, qui loci situ spreto, ea propinant, quæ in vsum & manus veniunt. Si quis verò id integrè assequi velit, non parùm conducit, si cæli status & loca spectentur propria: vti enim locus diuersas sortitur temperaturas, ita & diuersitatem in plantis operari potest, & tantam aliquando in plantarum virtutibus mutationem causatur, vt non solũ huius disciplinæ rudimẽtis initiati sæpenumero fallantur, sed in earum virtutibus inquirendis, & Medici, & qui non parùm Philosophiæ studijs nauant operam. Huius rei meminit Plato: Muniuit Natura naturãs loca terræ virtutibus diuersis, vt in eis sigillarentur virtutes diuersæ: vt in plantis, & rebus alijs, quales merentur secundùm genus eorum. Cui consimilis & Porphirij sententia: Quod est (ait) locus generationis principium sicut & pater. Clarum est & Dioscoridis authoritate: quòd magni quidem refert, si loca, in quibus prodeunt cliuosa, & ventis exposita sint, & proflata frigidaque, & aquis carentia: in his enim locis vires eorum longè validiores intelliguntur. contrà, quæ in campestribus riguis & opacis, cæterisque locis à vento silentibus enascuntur, plerunque degenerant, & minus viribus valent. Et Achaiæ apud Cabyniam

maxi-

maximè ita refert Theophrastus: Vitis quoddam genus habetur, cuius vinum abortum facit, & vbi canes vuas comederint, eas quoque abortu periclitari necesse est, & in gustu, nec vua sensum alium, quam cæteræ vuæ faciũt, nec vinum à cæteris vinis distare percipitur. Nec solùm plantarum naturas regio ipsa permutat, sed hominum mores & formas. Quis non cernit Asianos, Lybicos imbelles, & timidos è contra Europæos animo & corpore prorsus varios, audaces, bellicosos, magnanimos, & solertes. Scytas effœminatos, eunuchos, & ad concũbendum impotentes: forma autem alijs crassam carnosam, alijs verò gracilem? Nec in his tantùm regionibus solum variatur, sed in eorum quoque partibus: vt Hippocrates refert in libro de aëre, aquis, & locis, & Platoni, & Galeno quoque placitum video. Vnde si per regiones multùm à primis distare videntur, neque pares retinent vires, eò deferantur loci, & vnde maximè vim illam sortiri videntur. Neque enim æquè efficiunt, quæ ad Septentrionem, vel ad Austrũ vergũt, vel quæ Solem exorientem, occidentémue spectant. Incolunt montes, pinus, abies, & terebynthus: fluuius platanus, populus, salix: syluas ilices, fraxini, aceres, & coryli, quæue stagnãtes aquas, fluentes, palustres locos, vmbrosos specus, fontium & parietum aspergines, & saxa manantia. quibus non inficior alios scaturiri locos, virtute non tamen pari, in vno enim intensiùs, in alio remissiùs operantur, secundùm Naturæ dispositionem, quæ hîc vel alibi nasci amat. Cicutæ succus Athenis venenum, pœna Atheniensiũ publica inuisus: quẽ quũ Socrates præsumpsisset, præsentanea de medio morte sublatus est. hic autem

impu-

impunè magis ſumitur, & beſtijs manducatur. Et in Perſide ferunt lætalem naſci arborem, cuius ſunt poma præſentis veneni, vt ilicò veſcentes interimant: quapropter in ſupplicijs tantùm ijs vtebantur. Regibus tamen in Aegyptum tranſlata, & Perſiana iam exuta perfidia, cibis idonea, & ſalubria defert poma. Columellæ de hac extant verſus.

Stipantur calathi, & pomis, quæ Barbara Perſis
Miſerat (vt fama eſt) patrijs armata venenis:
At nunc expoſiti paruo diſcrimine læti,
Ambroſios præbent ſuccos, oblita nocendi.

Locorum & fontium proprietates aliquæ, quæ operi noſtro conferre poſſunt.

CAP. XVIII.

NEC minus locorum diuerſitas in varijs reru͂ effectibus operatur: Locus enim quoque terrarum, aquarumq́ miracula retinet multa, quæ rectè ſcire & noſcere Magum oportet, nam ſæpenumero videmus aliqua ſitus ratione ſolùm operari, & miracula afferre ob cæli inclinatione͂, & Solis impetum longiùs, & propiùs accedendo recedendoq́ue. Si enim terra vna ab altera non differret, non ſolùm in Syria, & Arabia in harundinibus, iuncis, herbiſque eſſent odores, & thuriferæ arbores, neque piperis baccas, neque myrrhæ glebulas darent, ſed in omnibus terræ locis generis eiuſdem omnia procrearentur. Ex fontibus quoque proprietates hauriuntur aliquæ, quæ non aliter poſſent fieri, niſi cu͂ terrenus humor ſuis proprietatibus ſaporum in radicibus infuſus, enutrit materiam, per quam egrediens ad cacumen profundat proprium loci, & ſui generis fructus ſaporem. Zama Afrorum eſt ci-

uitas

uitas, ab ea passuum millia viginti est oppidum Ismuc, & cùm Africa parens & nutrix sit bestiarum, & maximè serpentium, in eis agris oppidi nulla nascitur, & si allata ibi ponatur, statim moritur, & terra illa aliò translata idem efficit. In Tarquinensi lacu magno Italiæ nemora circunferuntur, nunc figuram triquetram edentia, nunc rotundam ventis impellentibus, quadratam verò nunquam. In agro Cispadano, in tractu eo, qui Monsterax dicitur tritici species, quam siliginem vocant, tertia satione in frumentum vertitur. Iuxta Harpasam Asiæ oppidum cautes est horrenda, quæ vno digito mouetur, & eadem si toto corpore impellatur, resistit. Sunt quoque & terræ, quæ maximis scatent ignibus: vti in Silicia Aethna mons sæpe flagrat, & in Phaselide mons Chimæra, & tradit Ctesias ignem eius aqua accendi, extingui verò terra: & in Megalopolitano agro, & in subiectis. Arciæ aruis si deciderit carbo, terra ardet. Sic in Lycia Ephesti montes tæda tacti flagrant, vt lapides & arenæ in aquis ardeant, vnde si quis baculo sulcos traxerit, ignium riuos sequi narratur. Nec de aquis minora narrantur: dũ enim per subterraneas partes procedũt, per alumen, bitumen, sulphur, & cætera metalla transeunt, nunc internas percurrendo partes illicò corpus contabescit, & necatur: nunc verò interiora corporis vitia mederi solet. Sunt & genera aquarum multa, nec paucas habent proprietates. Est enim in Sicilia Himera flumen, quod in duas diuiditur partes: ea enim, quæ contra Aethnã profluit, infinita est dulcedine, quæ verò per sal currit, salsum habet saporem. Est & inter Mazaca, & Tuaua Cappadociæ vrbes lacus quidam, in quem si harun-

dinem

dinem immiseris, vel lignum, paulatim lapidescit, nec mutatur, quod aquis extat. In Hierapoli vrbe trans Mæandrum fluuium aqua, quæ in Tophum lapidescit, ita, vt qui aquæductus deriuant, integra struant ex illis septa. Sunt Bœotiæ flumina Cephysos & Melas, & cùm pecora suis temporibus ad conceptionem partus per id tempus ex eo cõtinuè bibunt, inde quamuis sit alba, procreant alijs locis leucophæa, alijs pulla, alijs verò corecino colore. Sic ex Peneo Thessalico, & ex Astace Pontico fluminibus bibendo nigrescunt oues, sunt & genera aquæ mortifera, quæ per maleficum terræ siccũ, vim recipiunt in se venenatam: vti Terracinæ fons, qui Neptunius vocabatur, ex qua qui biberãt, vita priuabantur, quapropter antiquos eũ obstruxisse fertur. Et Cychros in Thracia lacus, ex quo non solùm qui biberint, sed qui se lauerint moriuntnr. Stillantes sunt è saxo frigidißimi humores in Arcadia Nonacris nominata regione, quæ aqua Stygos Hydo nominatur: quam neque argentum neque æneum vas potest sustinere, sed dißilit & dißipatur, nec illam aliud continere potest, nisi mulina vngula, quæ memoratur ab Antipatro in prouinciam, vbi erat Alexander per Iollam filiũ perlata, & ab eo aqua illa regem esse necatum. In agro Phalisco via campana in Corneto campo est lacus, in quo fons oritur, vbi anguium, lacertarũ, reliquarumq; serpentium ossa iacentia apparent, quæ si extrahere volueris, nil reperies. Item sunt nonnullæ acidæ fontium venæ: vti Lyncesto, & in Italia virena Campania Theano, alijsque pluribus locis, quæ virtutem habent, vt calculos in vesicis potionibus discutiant. Fons est vnus Paphagoniæ, ex quo etiam sine vno potentes fiunt temu-

temulenti. In insula autem Chio fons, è quo qui biberint impudenter fiunt insipientes, & saxei redduntur sensus. Susis autem funticulus est, è quo qui biberint amittant dentes. Nili aqua adeò est fœcunda, vt ex ea animentur glebæ. In Aethiopia fons scaturit, qui circa meridiem adeò friget, vt sit inhabilis potui, vbi autem media accesserit nox, sic feruet, vt tangi non sustineat: multi præterea sunt, quorum meminit Ouidius.

Medio tua corniger Hammon
Vnde die gelida est, ortuque obituque calescit.
Admotis Athamantis aquis accendere lignum
Narratur, minimos cum Luna recesßit in orbes.
Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit.
Viscera, quod tactis inducit marmora rebus
Crathis, & hinc Sybaris vestris conterminus oris,
Electro similes faciunt, auroque capillos.
Quodq́; magis mirũ est, sunt qui non corpora tantum,
Verùm animos etiam valeant mutare, liquores.
Cui non audita est obscenæ Salmacis vnda?
Aethiopesq́; lacus? quos si quis faucibus hausit,
Aut furit, aut patitur mirum grauitate soporem.
Clitorio quicunque sitim de fonte leuarit,
Vina fugit, gaudetq́; meris abstemius vndis.
Hinc fluit effectu dispar Lyncestius amnis,
Quem quicunque parum moderato gutture traxit
Haud aliter titubat, quàm si mera vina bibisset.
Est lacus Arcadiæ Pheneum dixêre priores,
Ambiguis suspectus aquis, quas nocte timeto:
Nocte nocent potæ: sine noxa luce bibuntur.

Aliæ sunt quoque locorum & fontium proprietates, quas qui quærit, libros legat, quos scripsit Theophrastus Timæus,

Timæus, Posidonius, Hegesias, Herodotus, Aristides, Metrodorus, qui vigilantia & infinito studio locorum proprietates exquisiuerunt, & eas scriptis declarauerunt. Inde à Plinio, Solino, multisq; historijs narrata.

Vt misceri & componi simplicia debeant, mixturas subingredientia nostras.

CAP. XIX.

IAM compositiones simplicium, vel mixturas necessarium tradere iudicauimus, vt postquam latentes Naturæ effectus studiosi inuestigare didicerint & omnia seligere, in lucem vt mira illa depromant, & componendi methodum discant: quam & medicis obseruatam summopere video. Quia sæpe vnico nō indigemus effectu, sed duplici & triplici, sic & simplicium mixtura vtendum est, vt quæsitos depromant effectus. & ad hoc eam inuentam iudico. vel enim sæpius euenit, vt remissè operentur aliquando: nos verò vt promptiùs agant, citiusq; actionem expediant multiplici præsidio corroborare solemus: & cōtrà, si intensè nimis effectum depromant, eorum vires hebetare, & extinguere. Sæpissimè autem euenit, vt cùm statutum membrum ferire volumus, caput videlicet, cor, vel vesicam, associemus aliqua, vt illud directè vulnerent, & omnibus prouideant: vnde euenit, vt contraria quoque permisceātur. Incœptum igitur sermonem exequamur. Cùm aliquod opus aggrederis, illud primùm considerato, quod maximè intendimus, & ad quod simplex illud, vel mixturam dirigimus, compositionis basim vel fundamentum substituamus, à qua compositum dicatur: & tantæ sit quantitatis, quantæ materialis formæ actiones esse debent. Nam vt agant, debi-

tam exposcũt determinatamque quantitatem, alia autem vti adiuuantia & primi condimenta addantur, nec absque ijs sic faciliter, nec tardiùs citiusque operentur. Sic commiscetur odoriferum fœtido amarum dulci, saporis vel odoris gratia, nam si amara fœtidaq; fuerit exhibenda mixtura, ab aliquibus reijcitur, quibus dirigitur, & animales spiritus eam fugiũt & abhorrent, vt eo absorpto virtutis læsio sequatur. Sic tenuibus & mollibus partibus crassæ & duræ iucunditatis gratià permiscentur. Euenit aliquando vt tam exigua sit pars vt antequam corpus calefaciat, à corporis absumatur calore: tunc aliquam addimus molem: nam operationem non impediens, cõueniens pabulum præbet calori, ne citius, quàm fuerit opus, consumatur materia, sitque operationi idonea. Si exempli gratia consopitas aues captare tentamus, commodum hoc nobis præstat nux methella talium compos virium, vt somnos conciliet, stupidos reddat, & cerebri grauitate somno dentur: eã mixtionis basim reliquis substernimus. Vt viuidius inde operetur, opium, & meri fæces adiungimus. Si dura sint, et fluere volumus, vt eò aptius legumina vel alia saturentur, vt dicemus in preparationibus, eis quoque aues inescabimus mandragoræ itaque succo, vel cicutæ, vel bouis felle dissoluantur: neúe fœtida, vel amara videantur: mel, caseum, vel farinam immiscemus, vt esculentior fiat res, eò madeant legumina, eisq; comessenda exhibeantur: nam cùm cibum gustauerint, ad terram consopite procumbunt, nec volare audent, apteque manibus capi possunt. id in cæteris obseruandum iubeo.

Quo-

Quomodo mixturæ põdus inueſtigari debeat.

CAP. XX.

EST quoque animaduertendum maximè, vt recta mixturæ doſis percipiatur, ponderumq́ue proportio reperiatur: quòd operationum bonitas rerum omnium non niſi in optima proportione, ac recta harmonia: nec præbebunt mixturæ quos pollicetur effectus, niſi omnibus ſint numeris abſolutæ. Vnde tam in eorum mixtionibus, quàm per ſe priſcos illos ſemper vti conſueuiſſe comperimus, nil niſi eorum delectu & pondere. & ſic experientia comprobata nobis conſcripta. Igitur maximam tu qui his operam impendis, primùm ſimplicis medicinæ pondus reperias, quãtùm res ferat, ſecundùm quæſitæ rei proportionis imaginationem: & tecum finge medicamen illud ex quibuſlibet componẽtium, reſpiciendo qua ſe habeat ad totum proportione. in toto enim ea eſſe debet, & quæ in partibus reperitur, & ſi plus ſuæ doſis poſitum eſſe reperies, habitis componentibus à toto id abſtrahatur. Sic iam ſcito pondere pro fundamento illud ſtatuatur, & tantùm alijs ponderibus ſubſiſtat, & ab eo remoueatur, quantùm inde alijs ſecum mixtis completæ ſuæ æquiualeat doſi, cùm plures res medicamentum ſubingredi oporteat, & ea ex operantis coniectura percipiantur. Sic de compoſita mixtura nunquàm illud des, quod doſim excedat, etiam ſi ſimplex eſſet in virtute. Sed computatis gradibus omnibus non in quantitate maior vel virtute eſſe debet, vt diuerſam habeat qualitatẽ virtutemq́; : nam eam non addimus, vt doſim augeamus, ſed vt faciliùs opus expediat. Eſt id quoque præcipuè animaduerſione dignũ ſic in mixturis & medicami-

nibus ponderum proportionem variare debere, vti & regiones & clymata diuerſa fiunt: nam & operando diuerſam nanciſcuntur virtutem: ibi enim viuidius, hic autem vegetiùs operantur, vti monuimus. Tu æqua mente librato, & ſecundum ſimplicium operationem, ponderum ratio mutetur, demendo, adiungendo, & tui ingenij ſolertia accommodando: vt illud operentur quod quærimus. Id autem in noſtro opere ratione optima vſi fuimus in experimentorum deſcriptione, per partes pondera deſcribendo, nec temerè, & vt faciliùs percipiantur: quia fortaſſe diuerſa ponderum nomina, quæ ab alijs obſeruari vidimus, artificem ab operatione impedirent: atque vt quiſque quæſita & optata quantitate vtatur, iiſdemque vidimus Cornelium Celſum vſum fuiſſe: ſic enim accommodatiùs omnibus ſatisfactum eſt.

De ſimplicium præparationibus.

CAP. XXI.

Componere iam, & pondus inueſtigare docuimus: ſupereſt præparationes ſimplicium quaſdam enarrare, quæ operi accommodatæ, & neceſſariæ viſæ ſunt maximè, longeque reliquis maioris artificij. nec tam in ſimplicibus operationes conſiſtunt quàm in eorum præparationibus, ſine quibus parum, aut nihil operabuntur. Simplicia igitur plurimis quidem artificijs præparari ſolent, vt vſui aptiora commodioraque ſint. Quæ ſunt præcipuè nobis vſu frequentiores ſunt hæc: Maturatio, Putrefactio, Maceratio, Elixatio, Combuſtio, in Calcem redactio, Incineratio, Diſtillatio, Areſactio, & ijs conſimiles. Tunc enim aliquid maceramus, quum humore aliquo immergimus,

mus, vt tam interius quàm exterius res madescat & maceretur: vti diximus, & subtilior pars in expressione eliciatur, & terrestris relinquatur: vt quæsitum humorem in meditullio recipiat. Elixamus autē tunc cùm succus ex aliquo non poßit euocari: nam elixando à centro ad circumferentiam extrahimus. vbi maceratione, vel infusione non inuenit: ipsa tamen tenues resoluit vapores. Sic adustione, torrefactione, et in calcem reductione vtimur, vt partes penitus humore priuemus omni: quod euenit cùm in calcem reducimus, vt faciliùs resoluantnr, vel in liquorem vertantur, alijsque rebus immisceantur. Sic Torrefacimus, cùm res conteri nequeunt, vt in puluerem vertantur: id animaduertendo, ne res comburatur, & combusta quæsitas omittat vires, & assetur, vt tenuitatem recipiat. Res vel simplicia distillantur, & vt potentioris virtutis eliciatur aqua, quò faciliùs res & commodiùs operetur: & quia tenuiores medicamenti partes requirimus, craßioribus reiectis, quæ nostro officiunt instituto: & sic de alijs operationibus intelligendum est. Hæc nostro operi oportuna, & necessaria esse censui. Si quis autem id fusiùs exoptabit, medicorum libros cōsulat. Sed nunc ab his promoueamus stilum.

FINIS PRIMI LIBRI.

IOANNIS BAPTISTÆ PORTAE NEAPOLITANI MAGIÆ NATVRALIS LIBER II.

PROOEMIVM.



HActenus in cauſis, earumq́ue actionibus, quòd primo volumine præcepiſſe videmur, latiùs euagati ſumus, quàm par fuerat. Núc autem, quas polliciti ſumus ſæpe operationes aggredi non intépeſtiuum videtur. Sed monſtrificas primùm plantarum tranſmutationes doceamus, multa etenim retinet agricultura inter cætera experimenta huiuſmodi, nec iniucunda viſu. Sed antequã de eis cõficiendis diſſeram: præfari aliqua in totum neceſſe habeo. Plures demonſtrat natura vias, quibus facilè votum aſſequimur, cum certò ſciamus facilè plantas in alienigenam tranſire naturam, varijsq́ue obnoxias eſſe permutationibus. Ab hoc igitur auſpicato principio, viuunt aliquæ cultu plantæ, coliq́ue iubent, aliæ autem negligunt, reſpuuntq́ue: quibus ſi his detrahes, ijs adhibes, deteriores fiunt, & in peius ruunt. Abies cultu deterior fit, immiteſcitq́ue: pinaſter & celaſtrus degenerant: & immiteſcunt vrbanæ neglectæ, miteſcunt autem ſylueſtres cultu, vti vitis neglecta degenerat in labruſcam, & ſi ſymbrium niſi cultura coërceatur figura in nepetam deſciſcit. Sic ſi eam ſtercorabis

bis, quæ amputationem quærit, & fimi aspernatrix fuerit, illam autem decacuminabis, quæ fimum quæritat. Præterea operæprecium fuerit si eorum nosces ortum: vti è Theophrasto, alijsque condisces. hæc semine apta est exoriri, illa sponte, alia radice, auulsione, ramo, surculo, trunco, & ligno minutatim conciso: nam albæ populi cortex contusus, stercoratis sulcis subactus, edules dat toto anno fungos, earum quoque ortum docet in Georgicis Virgilius Maro. Si tu autem earum, quæ radice nasci compertæ fuerint, vel spontaneæ, semel plantabis, quæ autem semine radicibus deposueris, quæ talea, tu surculo seres: insuetos largietur fructus, eosque contra Naturæ ritum euenisse cernes. Iam scimus ficus sationem talia fieri, si semen ficario seres, aliquam efficere diuersitatem scito, cum genuina non sit eius satio: vnde nigræ ficus semina sata, ficus præbebunt albas, & albæ nigras: vel nullum penitus genus procreatur, nisi caprificus, aut syluestris ficus. Et ex nigra vua candidam prodire dicunt, quam capuciam vocant. Et populus alba in nigram commeat, vel bonæ frugis arbor nunquam perfectè reddetur. Dulcis amygdala, si fructu feratur, fit amara, dura, & sapore degenerat. Et è semine dulcis punici acida prouenirunt, cùm ex virga prodeat, & germen citet: & ex acinis illius glaucis vilia exeunt. Est & in Creta Cæpæ genus quoddam, vt ait Theophrastus, quod semine satum in radicem crassatur, depositum verò caulescit, & in

ſemen totum funditur ſine capite, ſaporeq́; dulce eſt: Id enim è contrario, quaſi cæteris habet: Omnes nanque depoſitæ, melius, celeriusque perficiuntur. Si rapæ deponuntur raræ, effœminantur, ſi autem denſæ ponantur, maſculeſcere eas omnes aiunt. Et ex rubro lauri, & myrti fructu, nigrum fieri conſtat. Nec incongruum fuerit, cæli clementiam, temporumq́ue viciſſitudines conſiderare, vt in ſuis inter eas commutentur temporibus, & ocyùs, & tardiùs ſerantur. Vetus enim ſemen in quibuſdam valet, vt naturam commutent. Cucurbitæ, atque cucumeris ſemina, ſi recentiora fuerint, maturiùs gignuntur. ex veteri autem ſemine celeriùs proueniunt apium, & naſturtium: & ex ſemine braſſicæ cùm inueteraſcit, naſci aiunt rapam, & contrà, è raporum ſemine braſſicam. Tiphæ ſemen in triticum mutari ſolere, ſi piſtum ſeratur, id autem non protinus, ſed anno tertio. Si ergo irrigaueris, quæ irrigationẽ negligunt, diuerſitatem efficiũt. Mala punica acida fieri creduntur, ſi aſſiduè irrigaueris: ſiccitas enim in his ſuauitatem præſtat, & copiã. Sic mutatis quoque in omnibus alimentis, Theophraſtus ait, arborum quoque genera permutari, & immutatum quoque ſemen terræ commiſſum tam plantã, quàm fructus permutare poteſt: ratio eſt: quale nanq; principium ſit, tale illud quoque ſequi, quod ab eo ipſo principio prodit, neceſſe eſt: ſic præcoces, ſerotinos, maiores, mõſtruoſos ſeriatim docebimus. ſat mihi nunc ſit modũ demonſtraſſe.

Flores,

Flores, & Fructus quomodo præcoces, vel ſerotinos producamus.

CAPVT I.



ARs naturæ æmula, & imitatrix, dum eam ſequitur ſublimiora facit. Vnde Magus, vt ſecunda Natura, illius habitu indutus, oculorum argumentis, & animi coniectura perſcrutãs, quod abdita maieſtate re ipſa efficit, multiformi ambage, obſcuriſque tegens inuolucris, & hominũ paratu multa quia noſcit prouenire, & quod faueat natura, inſolitos partus, & inconueniens producens germen, qua ſine penitus negaret. Sic vi opus impedit, retrocedere facit, & quæ ſerò operatura, maturè cogit producere, ſuo iuſſu parere, & virtute ipſa, qua cælitus pollet: noſcens quoque temporum diuerſitate, & ex irrequieto cæleſtis caloris circuitu flores, fructus variari, ac naſcentia omnia quæ in mundo viſuntur, vt ſi cordi fuerit ea immorari, & feſtinantiùs adducere, vt chariora ſint, id mentitis temporum interſtitijs exequatur, & in ver, hyemem, & æſtatem permutare. Affert præterea non parum commodi inſitio ipſa, nobiſq; multum in his ſuffragatur. Vnde ſi libet

Flores & fructus temporiùs adducere:

Elige florem quem mauis, nam quòd vni, omnibus conuenit: ſit roſa: tempore anticipato circiter Octobris calcem inter fictilia vaſa ſerito, in terram, cribro ſuccretam, & ſtercore admixto liquidiorem factam, bis in die calida fouebis aqua, & ſi aër vento exagitatus, vel immoderata pluuia erit, in contectam inferes domum,

mum, nec noctu subdio relinque. vbi verò gelicidia, & hyberni imbres cessauere, & aëris euocatur mollities, Soli expone, si diei permittit apricitas. hoc dum tempus expostularit, & primum ver affulserit, & calyce germinare incipiente, calidiori aqua infundatur: iugi enim & lenta scaturigine gaudet. sic prima erumpet quæ erat inter vernos flores nouissima. Considerandum præterea, intempestiuã fieri germinationem, placida hyeme, austróue sequente, non horrida & niuali, vti è Theophrasto elicitur, cùm vis generandi, humorque fœcundus aggregatur, aliàs per se, aliàs ex parte residua humoris progressi, quo fructus prodierant. Nec dissimili ordine habebimus

Cucumeres & cucurbitas valde præmaturas:

Vere nondum ineunte semen implantabis, vt in antelatis liquet, ex Quintiliorum placitis: & postquam conualescere cœperit, & frigora cessabunt, in locum subactum, & crebris irrigationibus excultum, scrobibus effossis vas frange, ac labro tenus abde, donec summæ terræ coæquetur, & si luxuriantia, adhuc virgulta sustuleris, longè celeriùs fructus edent: non enim satis tutò in hortis, & subdialibus locis relinques ob temporis sæuitiem, commodiùs autem cubicularibus rhedis consitæ, incumbente frigore, in occultis & specularibus munitis locis immorentur, & sic hyemis rigorem arcebis. Simili ferè modo cucumeres Tiberio Cæsari præbebantur singulis diebus, mirè ab eo expetiti. Nec alia putanda est causa si Inarimes, & Puteolorum tellus celeriùs, quàm cæteri accedentes agri fructus præcoces producant. Subterraneo enim calore & ignibus, quibus vniuersum scatet solum, arbores fouet

vt

vt citiùs concoquant. Id in cæteris faciendum iubeo, ne largiùs euagemur. Leuiori verò, & diuerso quoque artificio

Vuas vere producere

Possumus. Si verno tempore (vt apparet) Cerasum arborem sua gerere mala conspicimus, nos tunc vuas optamus, sic non deerit copia, vti è Tarentini & Pamphili elicitur dictis: Quando ab ijs gummi effluere desijt, ne putrescat, & vermiculetur, emuscari iube lanuginem quãdam quæ obuallat arborem: officiet enim insitis multùm. Sit insitio, quam emphyllismon vocãt: sic enim faciliùs coalescit: Arboris inde cortex relaxetur, & tenuis, & validus cuneus inter lignum, & librum adigatur, sed sensim leui manus libramento, ne corticis fascia lædatur, cuneo subducto, surculus præacutus nigræ, & feracis vitis immergatur, & ligetur: sic verè consueto cerasiorum tempore fœnerabit vuas, cùm cogatur subiecti trunci alimoniam surripere. Idem quoque pyro, & malo facies, si diuersis libet temporibus. Sic autumnales ficus vernas faciemus, & biferas, & sæpe vuas autumno edimus. SIC *perpetuò fructus habemus, vt docuit Didymus, si malum in citrium inseratur, cum perpetuæ fœcunditatis toto anno sit arbor: poma semper habens subnascentibus alijs, & tempestiuiùs, & tardiùs habebis. Notato id quoque hæc illis tantùm euenire arboribus, quæ humidæ, & fertilißimæ sunt, siccis verò minúsue fertilibus nullis euenire. Sunt & medelæ multæ, quæ his suppeditant. Vt pote*

Fructus & flores maturiores omnes

Habiturus, maximè rosam, post vindemiam plantabis,

bis, feres, putabis, & singulis mensibus, sine temporis intercapedine rosæ euadent floriferæ, vt docuit Dydimus. LILIA, *vt vicissim flores pariant, serantur bulbi, alij duodecim, alij decem, octo, vel quatuor digitorum altitudine.* CINARÆ *quoque sæpe plantentur, & sæpe fructus deprom
ent.* FICVS *præcoces, & maturiores habebimus, si columbaceum stercus, oleum, & piper indideris, & linieris. Et confert ad hoc caprificatio: nam putrescētibus granis, ficarij quidam culices generantur, ac in ipsis alimento fraudati ad cognata volant, & crebro morsu, auidoq́ue aperientes earum ora, solem secum inducunt, apertaq́ue fenestra cereales auras immittunt, & lacteum humorem absumentes maturitati præparant. Vel truncus fici scarificandus, quo lacte turget, nam vno humore affluente, reliquus agiliter concoquitur.* SI *ficetis quoque circa arborum radices obruantur arietina cornua: & si iuxta scylla seratur ocyùs dabunt fructus. Cerasa præcocia facit calx radicibus admota. Sed adeò mens naturalia exactiùs perscrutari ausa est: adeò indagine experientiæ solertiore Naturæ penetralia aperire non diffitetur, vt audeat non solùm ocyùs, sed*

Apium hortense ocyssimè producere,

Cuius ortus inter sata non est contumacior, quinquagesimo enim die, vel quadragesimo solet erumpere, vti Theophrastus, cæteriq́ue asserunt, qui hoc posteris legendum reliquêre, nostrates petroselinum vocitant. hic sedulus operator esto: nam tantillum erroris committens, optato defraudaberis: Sint semina hornotina, ac æstate ingruente, aceto immerge, sine immorari aliquantisper tepente loco, subinde semina in solutam

terram

terram conuolue, cui combustarum fabalium cinerem admisce: vbi verò leui imbre ardentis aquæ (quam vocant) irrorauers, & crebris irrigationibus: panno operi, ne calor euanescat: sic pauculo temporis curriculo, paucis elapsis horis terram discutiet, amoue pãnum, irriga, & caulis elongabitur, maximamque spectantibus admirationem ingeret. Nec dißimiliter

De cucumeribus idem

Eueniet, si eorum semina, vel peponum, quos melones vocant, recentia, æstiuo tempore humano cruore immerseris, non infirmi, sed sani, adulti, & fului viri: retinet enim in se calidiorem, efficacioremque vim: crebrò permuta ne tabescat: sed immarcidus maneat oportet: morentur per hebdomadam, sic insolata semina scrobiculis effoßis, in fœcundam & pulueratam terram pangantur: & caue ne inuersa: nec obfuerit si viua calx substernatur: subinde calida aqua, vel ardenti rigatus caulis foras emicabit: pannis tege, ne calor elatus euolet, eum serpere spectabis, si propiùs non admiseris cui caducus hæreat, & in immensam monstrificè crescet magnitudinem: quanquam breui temporis processu, vitam ascititiã expirabit. Quæ sic enim præcoces pariunt, imbecilliora alijs sunt, vt differre non valeant illuc facto humoris impetu. Iam diximus quomodo præcoces fructus et præcocißimos efficiamus: nunc superest vt serotinos doceamus, quos efficere à contrarijs disce: vt quæ prius calefaciebas, nunc refrigera. Sed vberioris doctrinæ gratia, exempla subnectam aliqua. Si velimus

Cucumeres, & fructus oẽs serotinos efficere.

Scimus eos maximè gelicidia, & imbres horrere, ac

frigora

ſrigora pertimeſcere : vnde ſemina in æſtate plantabis lætamine circumaggerata, ſic frigori maximè obſtabunt, nec ab eo necabuntur. ALITER quoque vegetes perdurare valent: apud puteum ſerantur, & iam tempeſtiuos in puteos dimitte, ac ſupra rectè operi, ne Sol ventiq́ue noxam exiccando deferant, iuuant & aquæ ſurgentes vapores, vt diu viridi maneant habitu: VEL ſtercoroſo loco et aprico, vbi ſemina poſiturus eris, ſi rubos aut ferulas habemus poſt autumni æquinoctiũ bis iuxta terram reciſis, excauatis, & ligneo ſtylo inter medullas lætamen immittimus, ac cucumeris ſemẽ addimus: hinc naſci apparet fructus, qui poßit et inter frigora non necari. SIC quæ edimus æſtate fragra, ſi hyemali vel verno optamus tempore, cùm candicant, nec exacto purpuræ colore rutilant, cum folijs in arundines immittimus, pingui oppletas ore lætamine, & obruimus ſi tempore quoque rubeſcant cupimus, Soli oſtendimus. CITRIA ſi toto vis habere anno, cum ſeruabis morem, qui in Aßiria peculiaris, multisq́ etiam locis frequens eſt. Quum legendi tempus aderit, partem à genitali reſcindas ſtirpe, & luxuriem ferro corriges, partem relinques, qua parte ſtrinxeris genuina arboris feracitate, alia ſubſtituet, eisq́ adultis poterunt & priora illa decerpi atque noua fœtura inuitari. AT ſi quam voles ficum ſerotinam facere, cùm erunt iam minuti groſſuli, eos decutito: ſic alterum edens fructũ in hyemem differt ſeram maturitatem, dummodo tempus ſuffecturum partui ſuperſit, & generare alias poſſit. VVAS poſſumus quoque non dißimiliter, & roſas ſerotinas habere ad hũc modum à Florentino edoctum: Si tunc ceraſo vuæ ſurculum inſeruiſti, nunc roſam ma

lorum

lorum cortici inoculari permitte: peregrino enim in cortice concrescens & adolescens, quo dabat arbor fructus tempore, dehiscet rosa, mira odoris iucunditate & pulchritudine redolens, omnibus contemplari & spectari sinit. CERASA *si tardiora quærimus in vindemijs, horum surculum in cerasum inserimus mala producentem, quæ ab ingrato insignique amarore, amarendulas dicimus: si hoc ter quater denuo effeceris, fructus dabit serotinos: & si nimio tunc acremento respuũtur, priores oblita succos, nunc acidulo sapore iucundiora euadent: sic diuersi flores, diuersique fructus, diuersis quoque temporibus impartimur: ijs pro voto vtaris,*

Fructus è diuersis compositus quomodo fiat.

CAP. II.

IN monstrificis Naturæ cõpositionibus, ac transmutationibus, haudquaquam alia, quàm insitione ducitur via meliori, hanc satis laudauimus, longè secus laudaturi posthac, mutuo postquàm diuersorũ complexu indissolubilem vnum efficiat nexum, mirandique præbeat rationem: & si insitiones laboriosas, ac impoßibiles aliquis existimabit (scio enim multos nõ defore, qui hæc irrideant & inculcent) sit effectus laboris leuamen, & ferè impoßibiles insitiones solerti emendabis cura, nec te ab eo rudis agricolæ, & inscij artificis dimoueant dicta in eo, quod demonstratur experientia: & animo obuolue, quæ à priscis memoriæ prodita sunt: vti ficum platano inseri, et moro. Morũ castaneæ, terebintho, & albæ populo, inde alba nasci mora. Castaneas, nuci, & quercui. Punicam varijs gaudere adulterijs & omnibus immisceri lætatur. Cerasum persico & terebintho. Ceraso terebinthum & persicum.

cum. Cotonea oxyacanthæ. Vitem in oleam fructus dare & elæostaphylos appellari, quos oleuuam latinè dicimus: quam Florentinus vndecimo Georgicorum libro se apud Marium Maximum vidisse perhibet, fructum gustasse & æstimasse, quòd verò asinum & olei baccam simul gustaret. Myrtum salici insertam, & punica quoque retulisse mala ferunt, & cæteris (ne longiori narratione legentes fatigemus) quas intueri par est, longè tamen nostris difficiliores: & tandem omne genus surculi omnibus arboribus inseri posse autumat Columella & docet. Hinc omnis fructuum compositio: hinc omnis eorum adoptatio, hinc insueti largiuntur fructus & frondes. Vnde in Georgicis Poeta:

Mirataque nouas frondes, & non sua poma.

Et adeò valet quod nouum reperit adulterij genus, vti è nucipersico, & persico mixtura, progenies maioribus nostris inuisa, inaudita, nec prorsus excogitata, vt

E persico & nucipersico malum componere:

Hoc per insitionem efficies, quam emplastrationem vocant agricolæ, vt si è persico, & nucipersico ramos abstuleris nouellos feraces, & qui adolescendi magnumque germinandi præsagium dabunt, ipsis duobus digitis circũsignatis, gemmæ vt in medio collocentur, sic cortices acuto scalpro à ligno leniter ne lædantur euellas: has per mediũ findito, vt simul cõpactæ ritè coalescant, & cicatricis locus non appareat, sed gemma vna videatur, alterutro insere ex ea arboris parte, quæ maximè nitida ac præcipuè hilaris conspicitur, reliquis amputatis, ne alimentum surripiant, vt omne insito seruiat: corticem aperi, ne ligno ferrum inferat plagam, ac circũcidito eiusdem gemmæ quantitatis, ac ita gem-

mam

mam aptato, vt circumciſæ parti par ſit: circa eam vincito, ne lædas: ac luto munire plagam oportet, ſupra aliquid imponendo, ne pluuia dilabatur, ſic germinabit, & ſobolem dabit mediam retinens ab vtroque genitore naturam, quam nunquam arbores peperêre: erit enim malum perſicum, & nuciperſicum æmula facie repræſentans. SIC mala punica ex vno dulcia, ex alio latere acida videntur. ET mala pyris odoratis comprehendi iubet Diophanes, & ea myrapidia nominari. ET mala cotoneis inſeruntur, & pulcherrima eueniunt mala, apud Athenienſes melimela vocata, vt Diophanes quoque ſcriptum reliquit: Et inuicem diuerſis generibus commixta, citromala limonibus, et medica mala cum acidis, ſic ſemiacida, et ſemidulcia. Perſicum ex ſanguineo, & albo, ſic mellita mala, & reliqua multifario prouentu eueniſſe conſtat. Neque id vllam nobis admirationem ingerere debet: cùm viuum omne viuo ſit ſociabile: præcipuè, quæ in genere conueniunt, cùm in vnicam coaleſcant naturam, & vtrique ſine alterius admixtione alimentum famuletur: ita vt fructus naſcatur varius, & in vno conueniant, vt fluuij duo ſimul congruentes, habentes vterque fontem, qua emanant. Exoritur quoque inſitionis diligentia malum, quod foris perſicum æmulabitur, intus verò dulcem mentitur amygdalam, quod rectè nominare poſſumus

Amygdaloperſicum:

E perſico arbore decerpas ſurculum, quem ſi dulci amygdalæ inſerueris, inde enatum germen, denuò inſerueris alteri, idq; ter, quater effeceris, malum dabit intus dulcem nucleum continens: pleraque poterit in-

geniosius artifex componere: mihi viam ostendisse sufficiat. Et aliter, vt

Vitis botryones albos afferat, & nigros acinos.

Quanquam prælato poßimus exemplo vuas producere, quales proposuimus, quò tamen pleniori doctrina literarum præauidis satisfaciam, alia apponemus. Palmes idem, vt vuam candidam simul, & nigram afferat, & in eadem vua acina alia nigra, alia candida, & ea æquè diuisa appareant: Malleolos tres, quatuor, vel plures diuersorum generum, & colorum sumito, facileque auctiles, quos æqualiter compositos, atque arctißimè colligatos in tubulum, vel arietinũ cornu inserito, vt ab vtraque parte superemineant: subter sarmenta resoluito, ac in scrobem stercorata terra obruito, dum germina agant, rigato: at biennio, vel triennio exacto, cum vna compages ex illis coagmẽtata fuerit, tubulum frange, si cornu iam emarcuit: vbi maximè cohæserunt, serra præcidito, ac pulueratam terram supra exaggerato, vt tribus supra digitis truncũ operiat, & cùm coles germinauerit, vnum relinque, reliquos amputa, ne relictis omnibus sarmenta succum ministrare nequeant: tunc ex compositarum virgarũ coïtu, arbor vna exurgit, versicolores vuas præbens.

ALITER *ex Didymi doctrina, & leuiùs satisfaciendum sic putauimus: Sint sarmenta, vt nigrum alterum, candicans verò alterum: & cùm putantur, per medium sunt findenda, præcauendo ne quicquam de medulla excidat, & sic inter se iunges diuisa, vt vtriusque oculos æquando coincidant, vt duo ferè vnum fiant: inde arctiùs ligabis, & glutinosa terra adlinire curabis, ternisque diebus crebra succedat sibi irriga-*

tio,

tio, donec ex vtroque vnicum erumpat germẽ, vuasq́ producat, in quibus diuersi generis, & coloris sint acini. Quòd si ex arbore præcisi malleoli non sic faciliùs coalescant, vel si alia fuerit planta, quæ nequeat in alieno hospitari trunco, cautiùs ad hunc modum operaberis insitionem, nuper animaduersam in vicinis arboribus. Ex arbore, à qua petimus surculum, ad plantam eam quam inserere volumus, ramulum traducimus, eiusq́ue ramo præciso, & discisso implicatur, & ramuli locus qui ex vtraque parte contingit, qua subintrat fissuram, falce deraditur, & extenuatur, & ex ea parte qua cælum visurus est, cum cortice corticem exæquatam habeat: eius autem ramuli quem inseret, cacumen vt directum sit, ad cælum currat, elapso anno, cùm comprehendit: vnde propagatum est, ab altero præcidit, & sic ramulus delibratus alieno cortice induitur: obligaturq́ue vt limbi respondeant. SIC punica & cydonia mala diuersè colorata prodeunt, & multa, quæ superuacuum duximus enarrare. Sed virgas, quia duræ sunt, mallo præmolliunt, sic enim contusæ faciliùs coalescunt. Paratu alio nunc

Ficus quomodo æquè alba, & nigra fiat.

Diuersum tradamus modum ab alio, quem Leontius tradidit: ex ijs commodiorem elige, quem à monedula aue veteres didicêre: cùm ipsa semina in hiulcas arborum rimas conderet, inde enata, non solùm arbos in arborẽ, sed discolores baccæ visæ sunt, atque eius rei caussam præbuisse. Vnde ficaria grana albæ, nigræ'ue ficus linteo, vel papyro strictè religato, inde scribito, et cùm tempus expostularit, transferas, & ficus enascentur bicolores, vt pomum parte altera nigrescat, altera vero can-

rò candicet. Quæ narrauimus semel laboriosa existimauimus: elapso enim tempore possumus sarmẽtis pluribus sobolem propagare, alias inserendo, vt genus efficiamus rarò defecturum. Iam per se quisque multa componere poterit: compositionum enim genera sunt innumerabilia, quæ & comprehendi, & scribi si possent, superuacuum tamen esset recensere.

Quomodo fructus exos, & enucleatus euadat.

CAP. III.

VEtus est Philosophorũ dictum: præcipuè qui selecta agriculturæ præcepta tradidêre, si inserendis surculis, vel viuis radicibus medullam auriscalpio, vel osseo abstuleris cultro, fructũ exossem, ac sine ligneis nucleorum putaminibus proditurum, siquidem altrix ipsa, ac parens est osseæ substantiæ. Arcades autem huic refragantur opinioni: Omnis enim (aiunt) arbos, cui aliquatenus dempta est, viuit: sed omnino si medulla subtrahatur, non solùm non enucleatos fructus protuberare, sed vita viduari, ac exarescere penitus necesse est. ratione hac suffulti, cùm pars illa humidißima, maximeq́ue vitalis sit: alimentum enim, quod à solo ministratur, transcurrit, dum ad omnes peruenerit partes: naturali enim spiritu omne alimentum viuentis, quasi quædam anima, per trunci medullam, veluti per siphonem hauritur: id monstrat, materies expers medullæ recuruatur, & in orbem redigitur, vsquequo omnino resiccetur: idq́ue prisci pertinaciter reformidarunt. Nobis autem, quos Theophrasti veritatis, & experientiæ commonent placita, multum erit vsui, nec parum cõmoditatis affert.

Vt si

Vt si voles sit, vt Democritus docet,

Vua vinaceis vacua:

Sarmentum, vel flagellum obruendum ex æquo diducito, lapilloque discuneabis à summo capite, hinc inde medullam omnem osseo stylo erodendo in parte illa, vel quam abscondet terra: vel quantùm fieri poßit altè excauato: subinde arcto vimine, vel papyro diligenter alligato humido, ac præpingui solo vnam defodito scrobem, & deponito, illudque fixo ligetur calamo, ne poßit intorqueri, sic compages vna, vt prius coagmentatur, & præstabiliùs fuerit, si quantùm sarmentum erit excauatum, intus scyllæ bulbum demerseris: veluti enim glutino quodam adiūgit humore humectat, & calore fouet, vt insitio quædam. Vel idem etiamnum eueniet, si inserendo surculo vniuersa medulla subtrahatur. S I C *etiam efficies, si cerasus mala sine oßibus producat velis: tenellum adhuc caudicem rescindas, & medullam auferas, seiunctas partes astringe, & luto, & fimo oblinito, dum coalescant, & habebis: & si hoc longis euenire temporum curriculis tædet, vbi germen annotinum apparuerit, ipsam alijs nouellis inserere surculis, vel suis alias. Producere quoque nos*

Persicum sine osse

Possumus, & nouo insitionis modo: Circa salicem persici plantam serimus, loco riguo, humido, & superfœtante: sin minus, aquationibus adiuua, vt lignum turgescat, & sibi, & aduenis surculis succum porrigat superfluentem: Sit salix brachij craßitudine, in medio terebretur, persici capite relicto, ramos omnes amputabimus, ac per foramen saligni trunci inducimus: fo-

ramen luto diligenter operimur, ac vinculis aſtringimus: anno ſubinde elapſo, vbi iam cohæſerũt, vt è duabus arboribus vna fiat, quantùm mox prominet ſupra terebrationem & compagem, reſecamus, ne eò feratur alimentum: & ab inſitionis coalitu ſuccus auocetur, & arbos alia grauata ſtirpe, adoptatis frugibus incuruetur. Vel capite ſalicis in terram demerſo, in arcus ſimilitudinem flectatur, & coalitis, perſicum ſucciditur, transfertur, & terra exaggeratur: ſic perſicus ſalici nupta, & maritata, mira iucunditate ſine oßibus fructus pariet. Sic de pruno, ziziphis, tuberibus, & reliquis pomis. ALITER ex Africano habebimus: ſi arboris truncum infernè perforabimus, cuneo, vel ſaligno paxillo adacto, medulla ſic exciſa vt exareſcat. Dißimli aliquantulùm modo idem de

Cucurbita ſine ſemine

Eueniet, vti ex Quintiliorum dictis elicitur: ſi virgultum cucurbitarum, peponum, cucumerum, vbi increuerit, & elongabitur, vti vitis propagetur, defoſſa terra inhumetur, vt ſolum caput erectum ſupereemineat, cumq́ue adoleuerit, rurſus, iterum, & tertiò efficito, aquam ſuper diſperges, atque hoc blandimento vbi omnes radices iniecisſe cognoueris, & impetraſſe, ſuper terram extantes propagines incuruatas per medium ſecato, poſtremus verò caulis ſine inteſtinis ſeminibus fructus dabit, chartilaginibus ſolùm inuolutis. SIC quoque enaſcentur abſque ſeminibus, ſi tribus diebus, vel pluſculis ſeſamino oleo maceraueris antequam ſeminabis. Ex ijs quoque docetur, qui naſci poßit

Nux tenella, & ſine putamine,

Vt Africanus ait: Perfectæ iam nucis vtrinque frangan-

gantur carinæ, ut integer nucleus quadripartito distinctus, et lignea intercursante membrana distrahatur, illæsa carne, sic vellere, papyro, vel vitigineis folijs obuolue, ne à formicis nudus erodatur, & tenellos dabit fructus: V E L *loco, quo iuglandem plantare destinaueris scrobem defodito, & pulueratam imponito terram, ac ferulæ semen pangito: cùm enata increuerit, aperi, & in eius medullam nudæ nucis nucleum celato: et sic habebis longo tempore præoptatos fructus.* S I C *possumus & Tarentinam efficere, alij Molluscam vocant: nam & Tarentinam dicunt, quæ est molli, & fragili putamine, vt manibus attrectata, facilè frangatur: Hanc lixiuio per annum sæpè irriga, cinerem radicibus inijce: vt prodidit Dameger on.* E T *arborem quoque penitus perforans, duras, & masculas nuces friabiles facies.* S I C *de auellana nuce, & amygdala: antequam florem produxerit, ablaqueatis radicibus per dies aliquot calida infundetur aqua, & teneras dabunt nuces, vt Africanus ait: fit priori modo vt nudum nucleum, & friabilem testam afferat, vt non putamine, sed veriùs integatur cute, adeò tenella, vt simul mandatur, & tandem de fructibus omnibus, qui testa integuntur. Possumus idem in*

Myrtũ vertere, vt baccas sine nucleolis ꝓducat:

Duobus palmis in gyrum ab ea fodies, ac crebrò tepentis aquæ irrigabis imbre: quod Theophrastus narrat fortuitò deprehensum: cùm enim neglecta myrtus iuxta balneum nasceretur, sine nucleo fructus dabat. & ab hac semina serentes, petebant: sic Athenis genus huiusmodi esse incœperat. Sic quoque de verna retulit euenire malo. N E C *Africani dictum prætereundum*

puto, vt sine granis punicum facias: idque euenit, si conspicuam medullæ partem, vt in vite, exerueris, & fissum lignum plantabis, et post tempus supereminentem plantæ partem secabis, quæsitum dabit fructum.

Fructus dulciores, odoratiores, & maiores qui nam fiant. CAP. IIII.

N*Onnullæ sunt arbores, quæ caudicis fißione, mutilationeque aliqua, subito aëris, aduenæque caloris intrusu pereunt, corruptione enim ad ima descendente, contabescunt, & exarescunt illico: sunt præterea multæ, quæ non solùm plagam, sed caudicis fißionem, terebrationemque sustinent, & ex pauciferis, multiferæ redduntur: vti punica, amygdala, malus, quibus maximè vtimur: vulneratæ enim meliorem, suauioremque deferunt fructum: alimentum enim quantùm sufficit, capiunt, indeque noxium desudant humorem, (vt in animalibus sæpenumero perspicere licet) & reliquum faciliùs concoquunt, dulciores reddunt, & speciosiores proferunt fructus: cùm enim tenui viuant compage, discissas, ac disiectas partes facilè comprimunt, & coagmentant. Hinc multa subiere experimenta. Sic vt*

Amygdalæ, & citria dulciora fiant,

Quanquã amara Amygdala salubrior credatur, spernitur tamen, & deculcatur: at eandem, si amarescentem vis reddere dulciorem, ex Africano: Radice quatuor digitis vndique circumfossa, imam arboris partem terebrato, sic continuò defluet pituita, siue inconcoctus humor, quo turget, & dulciorem reddit, & citius poma matura defert: Sic citrium esculentum habebimus, si intestina aciditate mandi nõ poßit: Radix

obliquo

obliquo terebretur foramine, dum noxium plorabit humorem, cùm iam collachrumauit aliquanto, & formata ſunt poma: luto vel argilla plagam obtura.

V E L *craßiorem palmitem cædes, & in palmi altitudinem excauabis, mel ſuper inſtillabis, & ſtramine cratibus, imbrice, cæteriſque id genus integes, dum Soles & aquas arcebis, cùm planta vniuerſum mel hauſerit, aliud rurſus infundes, & radicibus lotium adfundes: ſuboleſcentes, & extuberantes gemmas, niſi qua parte mella propinaueris, expangito, & eradito, cæteris verò parcito, & dulcia ſic habebimus citreta. Et etiam poſſunt ipſa, vt ait Paxamus, &*

Punica dulceſcere,

Si acida fuerint, ſic emendando: Circa arborem in gyrum ſcrobem efficies, mox apertas radices ſuillo ſtercore, humano, & veteri rigabis vrina: vel antequam flores pepererit ablaqueatis radicibus feruentem aquã impones, & acidulo ſapore placebunt ori. E x *Anatolio mala ſic dulciorem efficiunt fructum, ſi vrina aſſiduè, caprino ſtercore, & vini veteris fæce radices plantæ rigaueris.* S I C *pyrum dulcem & vberiorem facies, è Diophanis cura, ſi truncum ad ipſam terram perforabis, & cuneum ex quercu, vel fago adiges, & ita obrues. At ſi libeat*

Fructus, flores ſuauiores & odoratiores

Reddere ſic poſſumus, vti melopepones, cucumeres, cinaræ, medica, citria, pyra, vt odoratiora euadant ex Florentino: ſi qui flores, ſiue fructus ſint figuræ colorisque iucunditate, guſtui & odori non reſpondent, & ſi vis non minus ſaporis odoriſue iucunditate, quàm formæ lenocinio placeant: nam diximus quomodo fieri

poßint

possint quando adulti sunt, nunc verò antequam serantur: Semina vel grana triduo mulso, lacte ouillo, vel aqua vbi sacharon eliquaueris, quod veteres præstare existimârunt, sunt maceranda & insolata ponenda, & maiorem fructus contrahent suauitatem. S I *odoratiores quæris: Semina nardino oleo, succo, vel stillatitio rosarum liquore, aqua dissolutis in ea moscho et zibeto appellatis: vbi aliquantulùm madefeceris, iam siccata serito, & suaueolentes fructus mira quidem illius odoris fragrantia delibuti orientur, cuius semina combiberint. Sed si seminum cacumina confringes paululo ibi morentur tempore.* A T *si vinum vel vuam odoratam facere iubes, aut vnguentariam, quæ multùm redoleat, idque inuenimus Paxamum tradidisse: Sarmentum obruendum scindimus, ac odoriferum omne conijcimus, vel vnguentum, quod volumus vuam olere, & aliquantulum maceretur eiusdem odoris aqua, & vuam dabit absorpto humore olentem.* E T *sic odoratus flos, indicus vulgò dictus, forma, coloreque insigni, & omnes qui hac labe polluuntur.* I D E M *præstabit, si vnicuique surculo inserendo moschum, vel aliud condatur, eiusdemq; odoris redolentes dabit fructus sæpè sic moschatula visuntur pyra.* S I *rosam illam, quam à foliorum multitudine centifoliam vocant, & candidam vis odoratissimam efficere, rosæ insere, quam à miro moschati odoris effluuio moschatam dicunt: sæpè insitiones reiterando, non & minus forma quam odore oblectabit.* S I *lactucam quoque quærimus odoratiorem: Semẽ vnà cum citrij semine feratur.* S I *Lauri baccas (ait Varro) excauabimus, vbi cinaræ semen condimus, & pangimus, maximè laurino*

redolen-

redolentes odore, & laureatas reddimus cinaras. Iam ſuaues & oderatos fructus dedimus: Nunc reſtat

Fructus omnes augere.

Vnde ſi eos voles, & maximè punica fieri maiora: Fictilis olla aquæ plena circa radices obruatur, in ea flos cum ramo ſequaci flexu imponatur annexus, neúe dimoueatur, arctè ligetur: ollam in terram conijcies, & obteres circa ramum, ne extrinſecus afflet ſpiritus: ſic completis fructibus elapſo tempore miræ magnitudinis pomis exuberabit, & maioribus quàm in arbore vnquam pependerint, nimia corticis craſſitie: humorem enim, quem Sol & aër ab eo ſurripiunt, ſeruat olla, & coërcet, ſurgentesque vapores fructus incraſſant, et augeſcunt. PVNICI *quoque acinos ſic augere poſſumus vt nimio videantur mirabiles incremento. Punicam iuxta cornum ſerito, cornique truncum terebrato, ac per foramẽ (vt antè diximus) immittito punicam, vbi autem trimatum expleuerit, è radicibus ſeparabis, inde cornum iuxta coalitum reſecabis, ne aduenæ arbori ſuccum adimat, & euocare poſſit, aut ne cui magis, quàm inſito ſeruiat: ſic enim fructum præbebit, cuius acini, corni fructus æmulabuntur, ſaporeque inſignes, vt ſpecioſiores videri nequeant.* CITRIA *ſi maiora voles, Ramorum ſyluam decutito, & reſecato, aliquibus parcito, quò illi pauciores relinquantur, hoc mala proueniant ampliora. Si vis autem cucurbitam craſſiorem facere: Semina è ventre legas, & inuerſo cacumine ſeras. ſi exilem: ex earum ceruice. ſi latas: ex fundo, quod ijs docet Columella verſibus.*

Nam ſi tibi cordi
Longior eſt, gracili capitis, quæ vertice pendet,

Et

Et tenui collo ſemen lege: ſiue globoſi
Corporis, atque vtero nimium, quæ vaſta tumeſcit.
Ventre legas medio, ſobolem dabit illa capacem.

Ex Quintiliorũ placitis, inaquoſos reddes ſic cucumeres: Vbi ſcrobem foderis, in quam cucumeres es plantaturus, dimidium eius altitudinis paleis, aut ſarmentis exple, & aggeſta terra plantato, nec irrigato. SIC *nimium caulis proceritate, & foliorũ amplitudine excreſcunt apium, eruca, porrum, & ijs ſimilia, ex Sotionis ſententia, ſi ſingulis caprini fimi baccis incluſa ſemina ſerantur: Vel quantùm tribus digitis apprehendere poſſumus, papyro obuoluamus, ac breui ſcrobe & ſtercorata terra obruamus. Nec iniucundum videre*

Lactucam ſeminibus multis conſitam naſci

Erit, ſi lactucæ folia, quæ iuxta radices ſunt, euellimus, ſingulisq́ue gradibus ſemen condimus, ocymi ſcilicet, erucæ, naſturtij, & ſimilium, admixtaq́ue fimo obruimus: enaſcetur enim ab omnibus coronatus lactucæ thirſus. IDEM *ſic efficies: Caprini vel ouilli ſtercoris exinanita faba, lactucæ, ocymi, & huiuſmodi ſemina vnà condito, ac pingui fimo fabam illam oblinitam defoſſa aliquantulùm profunda ſcrobe demergas, & lætamine ſuperiniecto crebra irrigatione fœcundabis: ſic lactuca, & ſimul omnes proſiliunt, vnicuique ſeruato ſapore: cura vt excreſcant, Didymus.* SI *ſingulis fabis ſingula quoque claudantur ſemina, & papyro vel linteolo obuoluta ſerantur, idem præſtabunt. Et ſeßilem efficiemus è Florentini doctrina, ſi radice ablaqueata, vbi aliquid excreuerit, bubulo fimo circũaggeremus, & rigemus, & cùm caulem erigit, præcidamus, ſupra mox lapidem, teſtam, vel ſuperpondium accommodemus*

mus, ne ſurſum aucta feratur, ſed in latitudine, & folijs eam habebis in vnum conglobatis. S I *delicatioris quoque ſaporis eam quærimus, docet Ariſtoxenus Cyrenæus voluptuarius philoſophus apud Athenæum, ac deliciarum deſiderio ſupra omnes: qui cùm gulæ magis indulgeret, veſperi mulſo naſcentes horto lactucas rigabat, eoque multum ſatiabat potu.* A P I V M *ſi criſpis folijs fieri malueris eius ſemen pila ſaligno palo pinſitum, & expoliatum linteolo ligatum obruito.* I D E M *ſic præſtare poſſumus, ſi qualitercunque ſatum, vbi fuerit enatum, incrementum eius peruoluto cylindro, coërceat.* P O R R I *ſi caput radio, vel acuta arundine punxeris, & cucumerorum ſemen, vel raporum in eorum medio indideris, immiſſum ſemen vnitur, & porrum intumeſcere facit. Euenient*

Cinaræ, vt ne ſpinis horreant,

Vt Varro docet, ſi pangenda ſemina lapidis attritu retundantur cacumina: V E L *ſi lactucam ſcindimus in partes, & ſingulis ſingula condantur, ſic non hiſpidæ naſcentur cinaræ.* P E R S I C V S *magna quoque poma dabit, per triduum, ſi florenti ternos ſextarios caprini lactis ingeſſeris.*

Vt creſcentes, fructus figuras omnes, vel impreſsiones ſumant. CAP. V.

M*Vlta fortuitus commonſtrat caſus (vti citria ſæpè videmus ramorum, foraminum, cælatarumq́; rerum occurſu, varijs ſcatere imaginibus, impreſsionibus, & ſigillis) quæ ab ingenio pollentibus, non paruo augentur labore, factoq́ue frequenter periculo, accommodantur vſui: vnde carmen:*

Ipſa

Ipſa nouas artes, varia experientia rerum,
Et labor oſtendit miſeris, vſusq́ue magiſter.

Et cùm pleroſque cauſa lateat, miraculi plurimùm conſiderantibus ingerunt, vt præter Naturæ normam eueniſſe cenſeantur: nam ſi teſtacea vaſa creſcentibus pomis accommodaueris validè adoleſcentes typos replent, & formam induent quam voles, & ſi qui fuerint pinſiti colores, locisq́ue debitis coaceruati, fructus vti naturales inficiunt. Vnde ſæpè viſitur hominis caput in chryſomelis, candidis dentibus, purpuraſcentibus genis, nigreſcētibus oculis, vt omni virore omiſſo, humanũ imitetur caput. Sed conficiēdi hinc patet Africani

Modus:

Si humanum caput, equinum, aliorumúe animalium mentiri affectas: magnitudine perfecti fructus argilla gypſo molli, ac ſicceſcente formabis, & ſtyli acie findito, vt archetypum eijcias, vt iterum poßint aptè coniungi. ſi lignea erit perſona, ſit intus excauata, ſi ex argilla, vbi torrueris, & fructus validi ſint incrementi, fictilibus typis (aperto loco quo petiolus intromittatur) claudantur, ac forti ligentur vimine, ne pomi auctu aperiantur, idq́ ab ipſis eorum incunabulis, & in eam adoleſcere vbi impetraueris, & ad debitam fructus fuerit reſtitutus magnitudinem, figuras et effigies dabit, quas effingere placuit. valetq́ue id maximè in cucurbitis, pyris, ſtrutheis, vt placebat Democrito, citreis punicis, & malis inſanis. Ex Quintiliorum placitis ſcriptum video: Si arundine in longum fiſſa excauabimus inter nodia, in ea nuper cucumeris, vel oblongæ cucurbitæ partus æditi includantur, improbo creſcens auctu, arundinem implebit, in oblongam, & teretem

figu-

figuram nimiũ protenſi. Quòd ſi inter duos diſcos com-preſſam appoſueris cucurbitam, in orbem planum excreſcit, & maximè figuras præſtat omnes, quibus cogitur. Si in vitilem vaginam poſtquam defloruerit conieceris reuolutam oſtendet anguis figuram. Poſſumus quoque & hoc modo

Lineamenta malis imprimere:

*Si excocto gypſo, ac liquidiore aqua redacta ſupra cidonij mali vel punici cortices notas graphio deſcripſeris, cùm ad debitam ipſa creuerint craßitiem, atque decerpſeris, graphidis veſtigia depreſſa extabunt, ac refricata nobis erunt conſpicua. S*I *quis verò in ficum alicuius rei effigiem delineare voluerit, oſſeo, vel ligneo ſtylo, in ficulnum oculum, vel primum ficus rudimentum ſcribat, cumq́; creuerit pomum dabit iiſdem imaginibus inſignitum. Vel* ALITER *ex Democrito: Si in oculum inſcribis, quẽ infoliaturus es, & ficus euenient ſcriptæ. Inde quoque didicimus qui nam fiat.*

Amygdala, vt inſcripta naſcatur:

Amygdalam biduo vel triduo macerato, vel rhodaceni oßiculum, vt Democritus monumentis mandauit, inde leuiter teſtam confringito, ne lædatur nucleus, et in eo quicquid libuerit aliquantulùm profundè ſcribito, inde claudatur papyro, vel lineo deuoluatur panno, ac luto circumlito ſtercore fæcundato, & adulta inſcriptos dabit fructus: Africani: quod idem in reliquis eueniet pomis. Nunc autem ſupereſſe video

Mandragoram fingere.

Factitiam illam, quæ ſæpè mulierculis ab impoſtoribus & circulatoribus venditur: Bryoniæ radicem habeto ingentem, acutaq́ue ſcalpri acie fæminam, vel virum

effin-

effingito, adiectis genitalibus: cùm absolutam noueris, inguina, vel pilorum loca stylo perforato, ibi milium, vel aliud condito, quo radiculas proijciens, pilos imitetur, breuique effossa scrobe, tandiu ibi sinito, quandiu & cortice quadam fuerit induta, & radiculas proiecerit illas.

Vt flores inuicem, & fructus à diuersis coloribus descifcant. CAP. VI.

IN promiscuo florum, & colorum coitu, & metamorphosi, adeò versicolores iucundis oblectant coloribus, vt nil delectabilius oculis occurset nostris. nunc, quæ saturata rutilat purpura, in cœruleum commeat: nunc, quæ lactea, in luteum languescunt, viride, phœniceum, ac diuersorum colorum commixtu delectent, in quorum contemplatione mentis acies amœno demulcetur fructu, rerumque obruta magnitudine miratur, vt percipiendæ excellentiæ multò inferior conspiciatur. Vt hoc ergo efficiamus, vnus quanquam effectus, multæ tamen viæ: vti insitiones, rigationes, quarum aliquæ ab antiquis traditæ, multisque prætererea nec prorsus excogitatis superauximus. Et insitione primùm doceamus quomodo

Rosa, & iasmes flauescant:

Quia genistæ flos inter cæteros maximè flauus enitet, nos eum rosa, & iasmino æmulari quærimus, & sociatio, cùm non sit iugabilis per surculum, vel infoliationem, ideo rosam iuxta genistam serimus eam cum genitali terra transferimus, adeò & libentius in sinu parentis, quàm nouercæ adolescunt, ac terebramus plantam, cumque plagam purgauimus, rosam vndique abrasam inserimus, luto circumlinimus, & ligamus: mox

mox vbi crescentis trunci vi fuerit coërcita, à radice separabimus, & supra insitionem truncum rescindemus, sic rosa non illepida venustate deflauescet: sic iasmes apud nos adeò eleganti, lucentique colore lucet, vt oculorũ aciem præstringat. Sic vndique diuersis quibuslibet coloribus delectat, quibus scilicet adoptabitur. Simili ferè modo

Vetonicæ coronariæ flos in cœruleum cõmeat.

Quem multi ab odoris garyophyllorum iucunditate, gariyophyllum nominant: vtrum tam celebris flos, qui odore, colore, pulchritudine rosa non sit inferior, antiquis fuerit agnitus, vel silentio inuolutus determinare inconsentaneum videtur, & quia prædicto exemplo aliquibus idem difficile videri poterit, voti sic fies compos: Intubum, vel cyanum, sed melius intubum erraticum, antiquum, crassum, & pollicarem excedens latitudinem, radice tenus secamus, ac per mediũ findimus, vt in eccentrismo, & sobolem floris radice vulsam infigimus, vimine constringimus, ac terram putri fimo circumaggeramus, sic florem pariet, qui cyaneo blandietur colore, quo gratius nil oculis visitur. SIC *si Anchusæ radici album aliquem infiges florem, purpureum habebis, inde in puniceum vergentem.* FLOS *idem, rasaue si sulphuris imminet suffimentis diuersis videbitur coloribus tinctus. Nunc perscrutemnr, an fieri possit*

Rosa aliter viridis, lutea, & cœrulea.

Id sic exequemur: Floris caudicem vti rosæ iuxta radices, & ramos omnes findimus, & colore vbertim infarcimus, si viridem ærugine, si cæruleum indico, vel lapide sic dicto, si flauum croco, prius tamẽ in pol-

linem redactis: præcaue tamen ne auripigmenti, vel alterius rei huiusmodi quicquam immisceas: enecat enim virtus plantam, mox stercora, & liga & colore florem inficiet, secum ducens nutrimentum. Possumus ALITER & rigatu idem efficere, versicolorem: Si cadis, vel fictilibus vasis flores plantabis fœcunda, & cribrata terra, & bis in die colorata irrigabis aqua, colore, quo florem quæris noctu locis condito a frigoribus tutis: vbi verò Sol tepens fuerit, in apertum reuoca, & apricari sine. Aquam colorabis non noxijs, sed conferentibus: vt si cæruleam, Rubi mora, qui per dumos repit, colligantur, quæ satis fore credideris matura, & quæ manus atro colore inficiunt: in vmbra siccentur, ijs aquam inficito: Si flauam, mora sint immatura, & de alijs idem facies: quæ irrigamus, sic tingens, & penetrans, vt tinctus nascatur flos: SI discolores eosdem optamus fieri, diuersis aquis, diuersis pariter, & temporibus irrigato: Sic quouis alio liquore irrigaueris: nam quo fuerint delibuta, par est eum referre. Et IDEM possumus efficere, vt in fructibus docuimus: Diuersorum gemmas circumcidere oportet, & eas diuidere, & in alicuius corticem inserere illā findendo, & præparatum emplastrum aptare, vt delibratæ parti conueniat. Sic quoque vt

Lilia rubescant

Docebimus, vti prior docuit Florentinus: Si bulbos diligenter aperimus, ibíque affatim cinnabaris iufundatur, vel aliud, maximeq́ue eo satietur intinctu: sedulus tamen esto, ne bulbos saucies, & pingui, & stercorato solo operire, sic purpurescentia dabunt lilia.

VEL sic purpurea, & florida formabimus lilieta ex Ana-

Anatolij, & maiorũ lectione: Iulio mense, cùm probè defloruerint, cauliculos decem, vel duodecim in scopas colligatos vnà colligito, fumo suspendãtur, sic è caulibus nudos nodulos remittent, bulborum similitudine, Februario mense cùm pangẽdi tempus aderit, cauliculos ipsos nigri vini fæce macerato, cùm purpureum colorem intinxerint, scorbiculis serito, largiùs singulis eadem fæce effusa, & cùm dehiscent saturata florebũt purpura. Iam flores inficiendi rationẽ docuimus. nunc de fructibus verba faciemus. Et primò vt docet Florentinus

Poma, vt insitione eueniant rubra:

Si citri mali, vel pyri surculum rubro inseramus moro inde enata rubra dabunt poma. SIC *Rhodacena insigni colore sanguinea ex mori insitu euenisse constat.* SI *autẽ aliquantulùm rubicundiora optas, ex Democrito discito, qui circa plantas rosas serit.* IDEM *aliter docet: Obrutũ persici os post dies septem detegitur sponte, cinnabari infundatur, rursusque obruatur, & rubra habebis persica. Et si aliter colorare quæsieris, alium colorem infundere libeat: sic cætera, quæ conspiciuntur.* ET *mora ipsa si alba, reddere optabis, in albam inserantur populum, vel inoculentur, & albescentia dabunt poma: vt tradit Beritius.* SIC *moscatulam vuam nigram vertimus, si super nigram inserimus vitim: nec parum color oblectabit.* SIC *appia mala possunt nigra verti, si hæc supra illud inserueris malum, quod à fuscedine pyrũ dicimus.* ET *mala ipsa purpurare incipient, ait Beritius, si vrina continuò rigetur.* ET *punica rubicundiora efficiemus, si aqua & lixiuio quotidie arbor saturetur, vt scriptum reliquit Diophanes,*

PVNICI *candida grana sic fient: Si cũ argilla, et creta quartam gypsi partem permiscebis, & eius radicibus adiunges, idq́ue triennio seruabis. Possumus & alio*

Idem artificio producere,

Nimis incommodè, sed exponam: fortaßis vsui fuerit legisse, vti ex Beritij quoque scriptis legitur, Ramos malis oneratos iuxta radices fixo palo religant, & in propinquo vasa aquæ plena, hinc inde dimouẽdo dum feruidus solis meridianus radius in aquam incidens, reflectatur, & calido vapore in mala resiliens, purpureum conciliet colorem.

Varij fructus, & vina medicata.

CAP. VII.

V*Eteres illi summo studio, diligentiaq́ue sunt enixi, quo nam modo diuersis antidotis vinũ conderẽt, vsuiq́ue, si opus foret, accommodarent, neque hoc iniuria factum, vt nil cõmoditati præstantius: & monstrat, quòd eorum pars maior multa memoriæ prodidit, & curiosiùs, quàm par fuerit, mirabilia dictu, operatuq; facilia, quorum commeminit Theophrastus, apud Heracliam Arcadiæ fit vinum, quod epotum viros dementat, & mulieres infœcundas reddit. Ei simili, quod in Træcensi agro ab Athenæo comprobatur. Et apud Thrasum vinum fit somniferũ. Et aliud arte quadam conficitur, quod epotum vigilantiorem facit, variæque vinorum conditura, quas apud diligentes rei medicæ, & agriculturæ scriptores inuenies, nec scitu difficiles, nec ijs arduum fore credo, qui simplicium vires nouerint, & coniectura consequuntur ea denique operantur, quæ ex loci eueniunt proprietate, & vtillimum fore puto, vt ijs adhibeantur,*

tur, qui medicamenta timent, & horrescunt, ut prius iucundè absorbeant, quàm odisse velint. Sitq; primò

Vitis Theriaca:

Pangendum sarmentum, ut docet Florentinus primo, & secundo Georgicorum suorum, radice tenus quatuor digitorum latitudine sit ima parte fissum, ablatis medullis, ipsius vice veratrū inseratur, ac stricto deligetur vimine, & terræ mandetur: uuas hoc modo dabit, quarum esus, aluum præmollit, & euacuat. VEL si efficaciùs vis vacuent, eadem sarmenta antidoto satiata, scyllæ bulbo inserēdo terra recondito, semper medicamentum infundendo aßidua suffusione, & succo satientur imbibendo, ne tam citò senescat vis. SI autem propomata sponte vis nasci, ut Palladius docet. E vitibus ipse sarmenta ponas in vas aliquod semiplenū potionibus, vel conditis absynthiatis, vel rosatis, vel violatis: inde terram simul resoluas ad lixiuij modū, donec sarmentorum oculi in germen nouæ frondis erumpant, tunc sarmenta ea, quouis loco vitium cæterarum more depones, & tales dabit fructus. VINVM Phthorium, id est, quod partus enecet, & abortus faciat, sic fiet: Scammonium, vel niger elleborus in vite inseratur, terebra vitem pertundito, & vitigineos ramos illos, quos voles, & fiet. VEL circa ipsam agrestis cucumis seratur, inde vim detrahens, & combibens. Vel si vino veratrum maceramus, idem præstabit, & sic diuersarum mixturarum vires adscißit. Et

Ficus,

Quarum esus, aluum læuigat, habebis, si radicibus veratrum, cum tithymalo tritum inieceris, vel inserueris, talia dabit poma. Nec ignorandū sæpius trans-

plantata, & inſita antidotum elangueſcere, tu denuò ſemper addito. MIRE *aluum inaniunt cucurbitæ, & cucumeres, ſi eorum ſemina antequam ſeras triduo, vel biduo dictorum ſucco maduerint, & enati cucumeres hoc præſtabunt. Sic habebimus*

Pruna purgatoria, & ſomnifera.

Si ſomnum, & alui deiectionem moliri affectas, ſic fuerit præſtantius: Ramum, vel totam plantam terebra, inde ſcammonio, vel opio impleas, papyro, vel corticibus rectè inuolutam relinquito, cumque matura fuerint poma, ventris deiectionem, & ſomnum molientur. VEL *ſi citiùs idem affectabis, Caricas ficus, quas Iſchiadas Græci appellant, & paſſas vuas vino, vel aqua per diem macera, dum tumeſcant: vbi prius ſcammonium, vel opium diſſolueris, & ſi amarorem quendam reſipiunt, dulce aliquod admiſce, & inſolatis vtitor. Sed de vinis hactenus medicatis.*

Florum & fructuum conditura.

CAP. VIII.

T*Anta eſt ſiderei caloris inconſtantiæ vis, vt omnia, quæ ambit, & ſublunaris complectitur mundus, ad finem tendãt, nec à motu deſiſtant: ſed non adeò hominum mentes caligant, hebeſcuntque ſenſus, quin multa ferè innoxia euadant. & ſi gratæ fructus figuræ, iucundi ſaporis, inſignisq́; coloris lenocinio venuſtauimus, ne tam celeriter eorum depereat gloria, cælique improbus variantis motus tabefaciat, & exanimet, ſic conſtantes reddes contra tenorem algoris, æſtúsue: nec fies inglorius, ſi pro viribus ambientis aëris, & per cũcta meabilis ab iniurijs vindicabis, qui naturæ agnatione calidæ, quod in pomo reperit,*

perit, alicit, ut se miserum innata prius fridigitate lacessitum, quàm naturalis abrepti caloris exinanitum sentiat, eoque flaccessente, siccessit. Plurimùm quoque ad hoc confert loci situs. Fenestras ergo patentes Septentrioni dirige: claudendæ enim sunt, quæ ad Austrum vergunt: Austri enim afflatu rugis deturpantur non tamen sine foriculis, ne pertinaci vento, cùm humorem amiserint, vieta fiant, vel putrilaginis labe putrescant poma. Nunc etiam tradamus modum in floribus fructibusque. Et primo ex Anatolio, & reliquis, ut

Rosæ, & Lilia vegeta seruentur:

Legantur rosæ, reliquique flores, non iam satiui, cùm iam patefacti perennant: sed flore iam dehiscente, cæsuram in liquidam picem immerge, & arundine fissa condantur, ritè picentur, & sub dio obruantur accliui loco, ne labens aqua pluuia noxam afferat: VEL *arundinem iam viridem findito, rosam, vel florem intus condito, & fissuram ut coeat curabis. sic ouans habebis, quod optas.* LILIA *ut talia inueniantur, qualia condantur, id facito. Cùm occlusa sileant, decerpas, prius quàm dehiscentia se pandant, & arundinibus vel lagunculis opertis, & bene picatis, ne expirent, recondantur: sic cùm exegerit usus, relaxato spiramento, detrahes, nam vegeta toto anno seruabis. Vel sic* ALITER: *Vas fiat quernum, hoc floribus reple, & rosis, quæ nondum oscitent, bene operculato, & picato, ne intrò fortasse aqua permeet, putei, vel cisternæ aquis immergas, vel currentibus, quò minus putrefiat, ibique multum durabunt virides occlusi: cùm omnes dehiscant velis, pediculum in malum figito, aut aceto*

 immer-

immergito, Soli ostendendo. Nunc modum tradamus quomodo

Poma in vigore diu maneant.

Præcocia, pyra, mala, cotonea, sed mustea spernenda, ficus, tuberes, & ziziphа cum suis frondibus legito omnia immatura, non tamen percruda, caduca sunt separanda, vndique diligenter inspiciendo sint ne integra, nec manibus quassentur, incisos eorum tenaces calida cures amburi pice, parum tangendo, nam faciliùs principium putrefactionis exhiberent: inde canapi, stupaúe inuoluendo, feruenti cera circumline, & circumlita melle demergantur, vt sint omnia submersa, & separata custodi, ne simul commisceas, ne se mutuò contingant: alterum enim ab altero corrumpitur operculo imposito operculatumque vas pellicolato, & per annum viridia semper habebis: & sic omne pomum in melle seruari potest. quod in vetustatem reponitur. A T *virides ficus seruare docet Africanus: Ex viridibus cucurbitis è lateribus eximito partes, quæ splenijs existunt similes, & excaua velut loculos, et vaginas, inde in singulis, singulas ficus appones cum petiolis, vt durabiliùs integræ sint allatæ, quippe quæ diutiùs durent integræ, inde obturato, & vmbroso suspendito loco, ne ignis, vel fumus inspiret.* V E L *mala in vigore decerpta conditiua è Sotionis sententia, si gypso subacto illeueris, vel figulorum creta singula crustabis: vbi occalluerint, incolumia diu seruabis, cumque vti libet, dulci aqua perluito.* V V A S *quoque sic immarcessibiles habebis: si singulis fictilia vascula pensilia apposueris occlusa, in imo verò pertusa, & imposito cespite pluuiam arcebis muniens, ne*

vel

vel trunco mutuò rumpantur, vel alio munimine ambito. SIC pinsito vitro si circumuoluantur & obruantur, longo tempore conseruantur. Multa quoque in picatis doleis musto immersis. SIC myrteas virgas cum baccis, & ficulneos ramos in amurca seruabis. At si vis

Poma in arbore diu immorare:

Ramulos intorqueri iube, ne maturescens humor in ipsa dilabatur, & ea incolumia seruabuntur contra æstiui caloris blandimenta, tali maximè pacto punica seruantur: ne hiantia dispereant. Aliter seruamus

Sorba & pyra.

Paulò amœnius lecta, sed duriora non decidua, fictilibus vasis condito, & operculato, quæ picari pariter & gypsari facias, bipede effossa scrobe inuerso ore obruito, super inducta terra, spißius supra pedibus calcata, decliui loco, per quem perennis aqua decurrat. At

Vuas & punica

Seruare si volueris: Sint vuæ duracinæ, & illæsas legi iube, ne sint acerbitate duræ, neq; maturitate defluentes, tactu molli cum iucunditate calloso, & si qua sunt putrida, resecari debent: sic in feruentem aquam dimitte tempore exiguo, ne excoquantur, sed temperamento quodam opus est: dein sublata in vmbra suspendantur. Neque hoc prætermittendo, quod aduertit Columella, vt seruari omnis poßit vua: Decrescente Luna post horam quartam, cùm insolata iam est nec roscida, viti detrahatur, & seruetur. Si vis

Vua in vite vt seruetur

Ex Beritij præcepto: Iuxta vitis radices vmbroso & accliui loco, vt facilè pluuia aqua dilabatur, scrobē ad ere-

erecti hominis altitudinem effodito, arenam pauimento consternas, vt siccitate melius conseruet, supra calamos & hastilia defigas. & sarmenta luxans illesis botryonibus assiduè obtorqueto, & adnexantur dependeantq́ ex ridicis, ne pauimentum tangant, & contignatione tegito, vt eo imber penetrare non posit, & reseruatur vsque ad ver perpetuum annum clausa. Rebus his finem imponendo, remanet

Arbores necare

Si volumus, sic possumus: Corticem in orbem detrahamus, cortice enim spoliata interit omnis arbos, sed tardiùs & celeriùs: vt tilia, & robur ociùs, tardius autem infirmiores. Refert quoque quibus fiat anni temporibus: Martio & Februario statim emoriuntur, hyeme autem robustis arboribus diuturnior est interitus. At subero corticem detrahere oportet, ne deterior fiat. SIC *Pastinacæ marinæ radius omnium caudici præfixus occîdit.* ET *menstruatus pannus radicibus admotus, præsertim iuglandi nuci, vt placet Democrito. Platanus autem circundolata, quæ in Antrando & Philippis euenerat, si reuixit, & cortex iterum circumtexit, fuit pro ostento habita. Auruspex enim tūc persuasit, vt sacrificarent custodirentque arborem vtpote factam ostento fausto.* NVNC *verbasci proprietatem quandā enarrare superest: Manè cùm flores aperit, si planta leuiter concutitur, paulatim flores siccescentes defluūt ad terram omnes, nec fuerit qui id inspiciet, quin magicis præcaminibus euenire credat, si quis decusserit, inania quædam obmurmuret verba. Ex omnibus quæ adhuc narrauimus coaceruatis, vnā nouimus arborē, sæpe ioci gratia deliciarum horti arborem dictam: erat enim*

cras-

crassitudinis & proceritatis non ingratæ, apto vase cõsita, præpingui, rigo, & superfœtante solo, vt tũ plantæ vigore, tum humi vbertate, frugalitateq́ue insitis alimentum suppeditaret. Erat trifurca, in vno vuam vinaceis vacuam, discolorem, & medicatam gerebat, quarum altera soporem, altera alui deiectionem moliebatur. Affert secundus ramus persicum, ex persico & nucipersico interuallis pluribus æquè distinctum, exossem, & ramulo nunc persicum, nunc nucipersicũ protuberans, si aliquod pomum nucleum habebat, dulcem vti amygdala dabat, & nunc hominum, nunc animalium faciem ementiebatur, diuersáque demonstrabat lineamenta. Dat alter cerasia exossa, acida, dulciaq́ue. dat mala aurea, cortex floribus, rosisq́ue cõsita, fructus debitam omnem superantes magnitudinem, dulciores, odoratiores, verno tempore efflorescentes, debitum vltra tempus fructus producentes: diutiusq́ue immorabantur, continuæ fœcunditatis orbem perpetuũ annũ ministrabant, per quosdã gradus poma sibi succedebant, fœtura interpollabatur, brachia ponderibus inclinata procumbebant, & denique sic cælum fauebat, vt pulchriorem non conspexerim. De huiusmodi re iam satis: longiùs enim euagati sumus, quàm par fuerat, quorum aliqua ex maiorum monumentis excerpsimus, tempori regioniq́ue accommodantes, quæque multis erant experimentis cognita, multis præterea ingeniosis, & vtillimis auximus.

Diuersa ignaria parandi ratio.

CAP. IX.

Fortuitò euenisse narrat Victruuius, quòd diuersæ arbores, crebreq́ue ventis, & tempestatibus exagi-

exagitatæ attritu valido ramos terentes, collisis inter se partibus, & rarefactis calorem euocarint, & ignem excitarint, vnde magna successit flamma, efferati, & agrestes homines inde perterriti terga fugæ dedêre, sic iam sopita flamma, propiùs cùm accessissent, & magnã inde humanis corporibus perpendissent accedere commoditatem, ignem conseruabant: sic vrbanitatis, consuetudinis, & sermonis causas præbuisse, inde pastorum in solitudinibus, & militum in castris explorauit necessitas, diuersa quomodo parari ignaria possint, cùm semper abstrusum ignem ad excutiendum silicis occasio non detur, & docuerunt quænam ligna essent vsui accommodata: & quanquam terebrum & conceptaculum ex eodem fieri nonnunquam eueniat, tamen ex vno, quod agat, atque efficiendi vim retineat, ex altero verò, quod patiatur, ex molli vno, forti altero faciundum censent. Exemplo.

Ligna, quæ attritu ignem concipiunt,

Sunt, quæ maximè calida, vti laurus, rhamnus, ilex, & tilia. Menestor verò morum addit, & coniiciunt, quòd ascias ilico retundent, & hebetent, ex his omnibus terebrum faciunt, vt attritu acriùs resistat, & pertinaciùs opus expediat, cõceptaculum verò ex molli: vti hedera, ferula, syluestri vite, & similibus arefactis, & penitus humore omni exinanitis: ad summũ ea deteriora ad ignarium vsum veniunt, & reiiciuntur quæ vmbrosis contectisque locis assurgunt. Et sic commodiùs expedies: nec referre arbitror, si laurum lauro, vel hedera enudata, ferulam ferula confricaueris, & (quod præstantius est) fune super eam celeriter & vehementer moto, & vbi fumũ eleuabit, adiecto

minu-

minuti sulphuris momento, fomitem admoueris, vel arida nutrimenta, quæ ex materia parabis aridi fungi: foliorum excocti velleris, circa tussilaginis radices reperti: ocyùs enim ignem concipiunt, retinentque. Ex ignarijs olea vt inepta reijcitur, pinguiori materia, & immodico humore referta. At cùm hominum mens rarò in eisdem repertis subsistat, sed nouis reperiendis, altiùs viam inuestiget, eius industria repertus est.

Lapis, ignem humido quouis excitans,

Huiusmodi faciundi ratio hæc est: Magnetem lapidem in ollam, vel aliud consimile vas conijce, viua calce im mersum, meliusque fuerit si colophoniam adieceris cum calce pari: cùm vas expleueris figulari creta circumlito spiramento, fornaci inditur, donec percoquatur: inde detrahatur, & in nouam ollam conijciatur, creta denuo illita imponatur fornaci, alternis eadem prosequendo, dum vehementer inalbuerit et torrefiat: cum opus fuerit, aqua vel saliua superinfusa flammã eleuabit, qua sopita loco calido ad vsum recondito. Est quoq:

Alia faciendi ratio:

Si viui sulphuris, salnitri vocati repurgati pari pondere, caphuræ duplum, nouæ calci addãtur, ac omnia mor tario conterantur vsque adeò tenuia, vt in aures euolare possint, simul strictè linteolo deligata conuoluantur, testaceo vase clausa, superillita argilla, feruenti desiccentur sole, figulorum imponatur fornaci, cumque figilinum vas fuerit excoctum, in quo maxima est adhibenda diligentia, in lapidis duritiem coëunt, & rediguntur, extracta ad vsum ministrantur. Sic

Aliter idem

Hoc efficies: Sumatur magnetis lapidis prænarrata calx,

calx, salnitri sæpe purgati quadruplum, æquali pondere caphura, viui sulphuris ignem nōdum experti, & terebinthinæ resinæ oleum, & vini fæces cōcretæ, quas semper tartarum vocabimus post hac, hæc omnia mola, vel pila trita cribrētur, quæ infracta supersunt, denuo terantur cribrenturque: insuper austeri vini ardentem aquam paratam habeas, eamque infundas, vt supereemineat, vitreo vase condito & operculato, ne halitum expiret, fimo supponatur duobus vel tribus mensibus, denis vicissim diebus innouãdo, donec mellis crassamentum imitetur, nec vllum diuisionis indiciū præbeat, flagrãti inde carboni inferuescat, dum humiditas omnis euolet, et penitus siccata in lapidē coēat. Si hoc cognoueris, vas frange, & exemptā iterum terito compositionem, aqua vel humore aliquo leniter superinfuso flamma erigetur, & inter omnes principem hæc sibi vendicat locum: Quomodo quoque speculis ignis accendi possit, aliaue ratione inferiùs dicetur, cum de iis agetur.

Variæ ignium compositiones.

CAP. X.

NEC spernanda, vti non necessaria, nec visu existit iniucunda artificiosa ignium compositio, nec multùm à superioribus degenerat, de qua nos aliqua narrabimus experimenta, quæ quanquam ab ignaris & idiotis tractētur, subtilitatis tamē plurimum habent, nec ea recensere pigebit. Et primò

Ignis mixtura, quæ sub aqua ardeat.

Quomodo autem fieri possit latè patebit: multifaria est enim earum compositio, eaque dicemus, quæ paratu facilia cùm sint, citius opus expediunt: Puluis primò pare-

paretur pyrius (vt dicunt) ad bellicas machinas, quibus ab ardenti quaſi bombo, nomen bombardum eſt inditum: hic mixtiones horum ſubintrat omnes, vtpote baſis & fundamentũ: cui adijciatur tertia colophoniæ pars, communis oliuarum olei quarta, ſexta autem ſulphuris, ritè permiſceantur, ex omnibus reſiccatis periculum ſumunt, ſi valentiùs vritur quàm quæritur, colophoniæ & ſulphuris, ſi remiſsiùs pulueris dicti pluſculum ſuggeratur, horum mixtura in ſtramentis, & linteis obuoluatur pannis, vel loculis ex ijs confectis, ſtrictiùs quã poſsit, inde funiculis & ligaminibus obuolutam feruenti immergunt pici, & reſiccari curant, ac denuò ſtraminibus munientes, illinũt pice, vt eam ab aquæ humiditate tueatur, nec ignis vi diſrumpi ſinat, vbi autem ritè fuerint inſolata, paruo foramine peruia, ignem immittunt, & ardere incipiente, paulo morentur tempore, tum proijciunt in aquam, nec ſe ab ea extingui ſinit, nunc fundum, nunc aquæ ſuperficiem petens, & in ea obuoluitur. Nec diſplicet, vt naphtam adiungant ijs, quam petroleum vocant: rapaciſſimus enim ignis eſt, eoq́ue longè viſo diſsilire cogit, vt magnes ferrum, & comburitur. Multumq́ue bitumẽ hoc in aqua ardet, quòd à natura artifices mutuati ſunt, nec balneorum ſemper ebullientium alia reddi poteſt ratio, niſi quòd bitumine intus ardeant, & aqua depaſcuntur, quæ continuæ ſit cauſa ebultionis. Bellica ſæpe iuſtrumenta huiuſmodi compoſitionibus replentur, inde igneas quaſdam emittunt pilas eminus, & diſrunpuntur, quas ſic parant: Puluerem hunc obuoluunt ſtupa ac mixtura, quam diximus, illinunt & implicant, & concauas machinas replent puluere, pilis, et

mix-

mixtura vicissim inspersis igneque admoto in hostium congressibus pilæ per aëra proijciũtur accensæ. QVOD *olet vicem expleat, & ardentiùs exuratur, immittunt aliqui suillum adipẽ, anserinũ, sulphur ignẽ non expertum, quod Græci vocant* ἄπυρον*, sulphureum oleum, & naphticum, salnitrum sæpè purgatum, ardentem aquam, terebinthinã resinam, liquidam picem, quam omnes Kitram vocant, vulgò dictam liquidam vernicem, vitellorum ouorum oleum, & aliquando vt molem his addat, & liquida inspisset omnia, lauri scobem immiscent: ijs vitreo vase occlusis, illud sub fimo condito, per mẽses duos vel tres, alternis semper denis diebus innouando fimum, & remiscendo, exemptæ inde compositioni, si ignem adieceris ardere non desinit, nisi tota fuerit absumpta, aquæ enim aspersione non restinguitur, imò accenditur: veruntamẽ luto, terra, puluere, & omnino quibusuis aridis suffocatur, si caßidi, clypeo, & armatis hominibus inieceris igne candẽtes reddit, vt comburi cogantur, aut arma exuere.* ALIVD *trademus, quod valentioris est operationis, terebinthinæ resinæ, picis liquidæ, & vernicis, inde picis, thuris, & caphuræ pares portiones, viui sulphuris sesquitertium, salnitri purgati duplum, ardentis verò aquæ triplum, & tantundem naphtici olei, sed salicis pollinis carbonum pusillum adijcias, hæc simul conficiantur, et in globulos effingito, vel ollulas reple: sic exurit, vt extinguere sit vanum. Alia inter has reperitur*

Ignea mixtura, quam Sol accendere potest

Maximè autem feruens in meridie, et id præcipuè illis regionibus vbi Sol flagrat, vel sub caniculæ ortum, nec aliunde euenit, nisi accendibilium rerum composi-

tione,

tione, hanc tamen sedulò parabis, qualis est, quæ ex his constat: Caphura paretur, inde viuis sulphuris, terebinthinæ resinæ, iuniperi, & vitellorum ouorum oleũ, pix liquida, colophonia in puluerem redacta, salnitrũ, & omnium duplum ardentis aquæ arsenici, & tartari pusillum, hæc omnia bene tusa, & remixta, vitreo condas vase: quod per duos menses obrutum immorari oportet, fimum semper innouando, et remiscendo eodemque (vt docebimus) eliciatur aqua vase, hæc inspissetur, vel nostro puluere, vel stercore colũbaceo, & tenuiter cribrato, vt strigmenti formam habeat, ligna delinito, vel aliqua cõbustibilia, & æstiuis Sole vtitor diebus. Hæc omnia Marco Graccho ascribuntur. Vim retinet comburendi maximam columbaceum stercus. Refert Galenus in Mysia, que est Asiæ pars, sic domum conflagrasse. Erat proiectum columbaceum stercus, in propinquo fenestram tangebat, vt iam contingeret eius ligna, quæ nuper illita resina fuerant, cui iam putri, & excalefacto, & vaporem ædenti, media æstate cùm Sol plurimus incidisset, accendit resinam, & fenestram, hinc fores aliæ resina quoque illitæ, ignem concipere, & ad tectum vsque submittere incipiunt: vbi autem à tecto semel est accẽsa flamma, celeriter in totã grassata est domum, cùm maximam habeat inflammandi vim. Præterea

Igné, qui oleo extinguitur, & accenditur aqua,

Fieri si opus sit, ea sunt consideranda, quæ faciliùs in aqua ardent, vel in ea sponte accenduntur, vti caphura, & viua calx. vnde si cera, naphta, & sulphure mixtum composueris, ignemque concipiens, vbi oleum inieceris, vel cœnum extinguitur: reuiuiscit enim, &

maiorem concipit ignem infusa aqua. Hæc fiunt compositione faces, quæ fluminum traiectu, & pluuiosis locis non extinguuntur. Narrat Liuius, vetulas quasdam in eorum ludis, accensis facibus, ex his confectis, Tyberim tranasse, vt miraculum expectantibus, & cernentibus ostentarent. Hinc pro itineribus fiunt

Faces, quæ ventis non extinguantur,

Quod è sulphure euenit: difficiliter enim extinguitur, vbi flammam concipit: vnde faces cera, & sulphure vicissim oblinitis, & confectis, ventis & tempestatibus innoxiè feruntur. PRO *ducendis autem exercitibus, vel necessarijs rebus alijs, vtuntur tali: Earum ellychnium salnitro ebulliunt, & aqua, & exiccatum sulphure, & ardenti madefaciunt aqua, inde candelas hac efficiunt mixtura: constat enim sulphure, inde caphuræ, & therebinthinæ resinæ medietate, colophoniæ duplo, ceræ autem triplo: quatuor efficiunt candelas, eas componunt simul, in medio autem viuum sulphur inijciunt, & pertinaciùs omnibus resistit.* SI *candelam aliquam niue circumtexeris, vt pueri solent, & incendes, in niue flamma ardere videbitur. Sed vt facilè accendatur,*

Aqua ardens

Effici sic ritè poterit: Vetus, validum, & nigrum vinum habeas, inde intus viuam immitte calcem, tartarum, sal, viuumque sulphur, vitreis chimistarum or ganis (vt docebimus) aquam exugito hæc mirè ardet, nec ardere desierit, nisi tota consumetur, vel parum relinquat: si in patinam, vel aliud patentioris oris vas pones, & flammam admoueas, illicò ignem arripit, si in murum proieceris, vel è fenestra noctu, innumeris

scin-

ſcintillis, & igniculis accenſum aërem videbis, ardet in manibus detenta, nec comburit multùm, id autem aduertito, ſi pluries diſtillabis minus ardere, id enim aceto contrarium aqua habet ardens. Si minus phlegmate redundet vis, ſpongiam oleo madidam vaſis ori in diſtillatione accommodato, phlegma autem penetrare non ſinit. Si

Flammam eminus proijcere

Quæſieris, id commodè faciunt colophonia, thus, & ſuccinum præcipuè, nam ſi flammã concipit, in altum ſe tollit, eminus flammam emittens, ſi inter digitos candelam continebis: in palma autem pinſitum puluerem dumq́ue proijcis euolet puluis per candelæ flammam. Si optabis ab

Igne tueri aliquid, ne comburatur:

Ea conſiderato, quæ ſummè frigida, obſtupent, & ſubtilia ſunt, & ob ſubſtantiæ connexionem ab igne non vincuntur, vti amiantus lapis, quem plumeum alumẽ vocant, extincta calx, oui albumen, altheæ ſuccus, hyoſcyamus, pſyllij ſemen: hæc cum ſuccis permiſcentur, dũ linimenti ſpeciem aſſequantur, inde manus oblinito, & illæſus ignem detinebis: non ſic tamen, vt omnino tutus, & intrepidus pertractare poßis, vel per ignem ambulare. ex amianto lapide mappæ texuntur, & ſi ſordidatæ igni proijciuntur, candori priſtino reſtituuntur. Inde autem ſi vis

Ignitus totus videri:

Prædicta vbi te liniueris mixtura, reſiccari curato, & tritum ſubtilißimè ſulphur inſpergito, flammam admoueas, vbi ardere incipiet, ignitus videberis totus. Si minus commodum fuerit ſulphur, ardentis aquæ

irroratus aspergine, quam diximus ignem admoue, & aliquantulum sub ea tutus deges. Fitque

Puluis pyri⁹ in bellicis instrumētis mira operās:

Si quis in vulgarem puluerem duodecimam argenti viui partem, marchesitæ tantundem, & colophoniæ & rectè pertunderit, & permiscuerit, hoc puluere si bellica repleuerit instrumenta, vbi ignem admouerit, ingenti fragore dissilit machina, vt astantium multos interimat. CONTRA *autem si in pyrium hunc puluerem combusta papyrus immisceatur, vel quod idem explebit, vulgaris fœni seminis duplum, si optimè trita immisceantur, validissimam vim retorquet, vt nec flammam, nec strepitum tam validum emittat: tali puluere mira ingeniosius excogitabit experimenta.*

Qui fieri possit latex in tenebris refulgens.

CAP. XI.

T*V qui præauidus ad lectionem rerum accedis, quas larga, eademque prodiga Natura humano vsui liberaliter fœneratur, abditas, & delitescentes, eumque curat tenebris innoxium reddere, quod non est profecto aspernabile, ex ijs ingeniose require, quæ præstare possunt, pleraque etenim habes, quæ in noctibus sensum feriunt, & cient, multa Aristoteles, multaque passim experientia demonstrat: Ceu bestiolæ, ex insectorum genere, quas Græci* πυγολαμπιαδασ, *Latini nitedulas, siue cicindelas vocant. Sunt fungi, capita, & squamæ piscium, vti recentis trichiæ, & vulgo harengi dicti. Sic miluus, siue miluago, quòd oculi noctu splendeant lucerna dicitur. Pectinum vngues in tenebris igne lucentes, & in ore mandentium. Sic luporum, & ælurorum oculi. Estque*

in Germaniæ ſaltu in Hercinia apparens volucris, cuius lucent pennæ ignium modo, earumq́ue ſplendore viatores, per innumeras illas ſolitudines itinerum dubios moderantur euentus. Sic de ſpondylis, plerisque oſtracodermorum generibus, vel ſuper eos inſidente muſco. Aglaophotidis marinæ, & terreſtris meminit Aelianus, tale nomen à ſplendore lucis inditum, aliáque maris alumna animalia. Sæpe manibus marinam aquam exagitatam, igneis ſcintillis coruſcantem vidimus. Narrat Ioſephus vallem, in qua eſt locus Baraas, ex eodem radicis nomine dictus, igneo colore fulgurans. Sic nictegretum, cuius valde miratus eſt Democritus. Iam quercus præaridi caudices, ſituq́ue marcidi, argenteo noctu ſplendore aſpectum mouent, & vulnerant. Carbunculus in tenebris rutilat, aërem circumſecus pro corporis modo illuminãdo: & multa ſunt quoque noctu lucibilia, grauiſſimorum authorum teſtimonio comprobata. At ſeries admonet doceamus inde humorem extrahere, ex quo latiùs diffuſiusq́ue proficiſcatur lumen, & emanet, vt noctu videri poſſit. Iam infra pateſcit

Exemplum,

Nitedulæ igneo multum colore coruſcantes, inter omnia principatum obtinent. Nos earum caudam à corpore reſcindimus, præcauendo, ne alieni quippiam nitidis partibus immiſceatur, porphyretico lapide conterendo, diebus quindecim, vel pluſculis ſub fimo vitro condimus: fueritq́ue præſtantiùs ne latera contingant, ſed pendeant: iam elapſis diebus, furno, vel calentis aquæ balneo vaſe impoſito, & accommodato, paulatim luculentum, & ſtillatitium laticem ſubiecta pa-

ropſide recipias, ac pellucido cryſtallino orbe condito, ſic conclauis medio lucigena pendeat aqua, & aërem illuminabit, qui eſt circa illam, vt maiuſculæ literæ noctu poſsint conſpectari: dummodo à non magis ſplendido illuſtretur, ſic enim illius penitus exiguum lumen exoleſcit, vt interdiu videri nequeat. Cui congener, nec multum diſsimilis eſt aqua, ex dictorum piſcium ſquamis ſedulò extracta, quam ſæpe ſeparari vidimus, nec à prima ferè dignoſcitur, eandemq́ue in reliquis parandi ratio iam patet, eisq́ue vtimur in dicendis.

Multa literarum experimenta, variæq́ue ſcribendi latebræ. CAP. XII.

De clandeſtinis literarum notis, quas vulgus zipheras vocat, duplicem ſtatuunt normam, viſibilium vnam, & per ſe dignum tractatu ſtudium habet, deliteſcentium verò alteram: iam poſcente hic loco, aliqua commentari cenſuimus, & quæ hæc conſequuntur, Magnatum & Principum rebus conſulentes, dum abſentia curant, & commenti illius gnaro conſcribunt. Nos paucula oculis ſubijciemus exempla, non ea tantùm recenſendo, quàm quæ inde ſunt euentura, & ij noſcent, qui nonnihil addentes, coniungentes, vndique artificio contexta, & velata detegũt, ne in manus indocti, & gregarij peruenientia vileſcant: tunc enim chariora, cum arcana, & fido clauſa pectore diutiùs commorantur. Sed quæ iam ſæpius peruulgata in medium afferenda duxerim, ad rem redeuntes, dicamus, quonam fiant pacto

Literæ in tenebris conſpicuæ,

Si quis furtiuo ſcripto rei conſcio nouo aſtu excogitata quæpiam nuntiare quæſierit, quæ tantùm nocte intempeſta

pesta conspectari queant: prænarrato iam liquore graphicè describendo pagina saturetur, maxima adhibita sedulitate, & ineffigiata interdiu apparebit. Si hoc minus fortasse tutum, magisque fuerit cordi

Literas lumine interpositas legere,

Hæc est scribendi inopinabilis latebra, nec vti cateræ leuiter igni detegitur: Si colore corporeo albo scriptitaueris, vti cerussa liquido immixta gummi, vel consimili, sit chartæ concolor, néue aliquid sit discerniculi, vel coniectari poßit, tunc oculo, & lumini interiecta sideris, vel candelæ, vbi descriptæ fuerint literæ, ocularibus radijs penetrari non sinunt, sic obscuriuscula conspiciuntur. Vel si velimus, vt

Literæ in nigro extemplò candicent,

Est, & occultiùs mentis conceptum proferendi ratio: Luteum, ouique albumen valide exagitatum, instar scriptorij atramenti liquescat, huiusmodi literas, vel lineamenta protrahe, iam exiccatis, colore atro papyrus superlinatur, & inquinetur: vbi vero literæ iam obrutæ liquescant velis, lato ferro, vel cultro leuiter eas erodendo, tenebricosum dilacerantes velum, vti nebulas discutientes supra modum candore panduntur insigni. Sicque si

Literæ delitescentes conspiciantur, & conspicuæ delitescant.

Optabis: potieris, si stillatitio calcanthi liquore, vel ardenti aqua affusa donec solutum fatiscat: ac papyro literas duxeris: iam enim siccescentibus cælantur: porro combustam paleam ex aceto triturabis, & quæ sumus scripturi, in priorum interstitio versuum latè describito. Omphacitis inde galla albo vino decoquatur, spon-

giam madida, cum cordi euenerit, leuiter expergificando, & super eas inducta atterendo, vernaculus nobis color ater obliteratus delitescit, pristinus verò inuisibilis refricatus nobis fiet conspicuus. At

Literæ intercutaneæ, & indelebiles in membro quouis

Appareant si velis: sic citò expedies: Cantharides naturalis diei curriculo valida aqua, vel tritiùs auri separationis madeãt, inde graphio, vel apto stylo, summa cute brachij vel alterius membri characteres effigiabis, læsa humore caro inflatas surgit in vesiculas, exulceratur, sic acris vestigia aquæ vi, albas cicatrices perpetuo emarginat æuo, & nunquam euanescentibus literis membrum insignitur. Vel

Literas confestim loco quouis emergentes

Nigras et coloratas efficies: si aceto, vel vrina, clanculum in manibus, vel alibi literas exarabis cũ exiccatæ fuerint, nec vestigia apparẽt, et vis elucescãt, fuligine, vel colore, quẽ vbertim infectoriæ dant officinæ, extricato, & nigricabunt valde, si easdem albas quæsieris charta, ficulneo lacte delineato, exiccatas carbonis polline insparso confricato, & detergito. At reddere

Literas igne, vel aqua visibiles

Sic possumus, & literas in carminum intercapedinibus, & syllabarum coagmentis, & distantijs protrahere: Contineat epistola inane quippiam, vt inconditè putet positas, & interceptè, aut nihil omnino, aut ægerrimè sentient. Si citrij, medici mali, cæpæ, & omnium ferè acriũ succo descripseris, si igni inferuescit, eorum acrimonia detegũtur illico. MAIVS *aliquantulùm subtilitatis habet, si alumine aqua dissoluto,*

scripseris

scripseris, cumque lectioni accedis, aquæ immergendo, latè euadent visibiles & elegantes. Si verò candicent velis, & lacteas sic facies: Lithargyris primò teritur, & fictile aquam continens, cum aceto coniicitur, decoquitur, & decoctum per colum traiicito, serua, inde limonis succo citrigeri generis literas exarato: iam enim siccescentibus abduntur, si seruato liquore immerseris, lacteas & conspicuas videbis: Si mulierum vbera, vel manus ea madeant, prædicto insperso liquore lacte resudabunt: vtitor, si inops aliquãdo eorum fueris. Si quoque literæ hirci adipe lapidi fuerint inscriptæ, lapidiq; occultæ prorsus, si lapis idem aceto demergatur prodeũt ilicò, & quasi sculptæ foras eminentes extabunt. Si autem absoluta aqua perscribendo, literas nigrescere iubes, vt nauiùs expeditiusque itineribus accingamur: Gallas & calcanthũ subtiliter pinsito, inde puluerem chartæ inspergito, panno perfricato, recteque expoliantur, et vt sit chartæ cõcolor, & pertinaciùs inhæreat, cõtuso iuniperi gummi, quod scriptoribus vernigo dicitur, addatur reliquis, cùm vsu euenerit, aqua vel saliua scribito, & nigrescunt: iisque simillimæ eueniunt technæ, quas perlongum esset recensere. At

Literas ouo imprimere

Africano sic placuit: Alumen ex aceto subtiliter multumque terito, & cortici quicquid velis affigurabis, feruenti Soli exiccato, muriæ vel acri aceto impone, tribus vel quatuor diebus, resiccatum coquito, cumque fuerit tostum cortice enudabis, & duro albumini scriptas literas reperies. INDE occurrit alterum: Cera circumlinito ouo, stylo literas exarando, fatiscentes rimas humore reple, ac aceto macerari sinito per diem, cũ

ceram

ceram sustuleris decorticato, & peruium corticem, & ouo impressas leges literarum figuras. Nunc lege, quæ improbo excogitatu necessitas explorauit, vt

Literæ constitutis diebus deciduæ sint, & euanescant,

Quantùm humanũ euolat ingenium, dum naturæ secreta pandit? Demersetur tenuis elimatus chalybs in separationis aquam, pondere iam triplicato, quibus liquidæ picis, vel terebinthinæ resinæ fuligo addatur, vt nigrior fiat, & dolũ cooperies: porphyritæ multum teratur, scribe, & consenescentes decident. Hoc silētio prætereundum non putaui, quod maximè præcipuum & tanquam rei caput est, periculum frequenter facere: nam si diutius in charta commoratur, fortis aquæ plusculũ suggeratur, & si fueris sedulus, subcrocea nõ remanebunt vestigia: hac indicij norma frui poteris. S I C *aliud consimile genus habebis, si sic mentiri satius fuerit: Chrysocolla, ammoniacus sal, & alumen æquali pondere certent inter se, tusa omnia fictili condantur, & forte ex calce parato lixiuium, & faucibus excepturi vasis lineo panno obtento, colato: sic igitur parum ebulliat, atramento immisce, & vbi incolumes aliquantulum durabunt, iam flaccescēte fiunt caducæ, ad vsum recondito. Sed lituras, maculas, vel*

Literas penitus abstergere

Si quæsieris: Calcanthi & salnitri aqua calamo supra literas delineato. V E L *è sale alchali & sulphure, paruis conglobatis orbiculis perfrica, sic erodet, vt nec vestigium remaneat. Literas vero disco Lunæ obsessis nunciare, iam certiores facti conscribemus, Hæc enim raptim perscripsimus.*

De

De conuiuijs & epulis mirè apparatis.

CAP XIII.

HAEC silentio prætereunda cogitaueram, ganeonibus & bibacibus, coquis & popinarijs relinquèda, vt à re ipsa plurimùm aliena, & inconuenientia, & defæcatoribus auribus non mittenda. Sed omnibus satis faciendi gratia apposuimus, aliquibus hæc reliquis gratiora, & ijs similia fuerint, nec gulæ & genio indulsisse vnquam pœniteat: sic summatim perscribentes, ne longiori narratione legentium animos detineamus, ad ea noster se conuertat sermo, vt conuiuia frugalesque cœnæ lautiores apparatu videantur. Et primo

Vini haustu nimio ne inebrietur accumbens,

Vel si cibo largiùs sumpto corpori noxam sentiet, sic discutiet, vt Cato docet: Initio, ac cœnæ summo crudæ braßicæ quatuor vel quinque cymata esto, & crapulã sedat, vini noxam restinguit, & reddet quasi nil ederis, biberisque, adeò inter se perniciali dißident odio, vt satæ alteram altera discordante natura fugiat. Inde Androcydes sapientia clarus cõtra temulentiam valere iudicauit, & contra eam mãdi præcepit. Nec omittam, quæ Nestor in Alexicepo suo dixerit: Braßicam enim Lycurgi lachrymam vocat: inquiens. Cum Bacchus eum reueritus mare subijsset, Lycurgum vite vinctum lachrimam emisisse, & è lachrima natam esse dicit, & ob id contrarietatem inter vinum & Braßicam esse. Idque euenire tradit Aristoteles, quod succũ dulcem discutientemque obtineat. Vnde Plutarchus in sympoßiacis dulcia ait, si vino infundantur ebrietatem discutere. Euenit aliquando à capitis distillatione

colu-

columellam in guttur laxari, tunc crudæ braßicæ succus capiti impositus, vuam retrahit in sublimem oris partē. Inest & crambæ vino obsistendi vis: nam si vineto obseritur, dilutiùs proueniet vinum: inde apud Aegyptios & Sybaritas solenne erat ante omnia crambem sumere coctam. Aliqui id amethysthino vasculo facere consueuêre ante compotationem, quò impunè vino indulgere possent, ex Athenæo. At si ALITER vini noxam inhibere voles, maximè dilutiusculi, nam citius crapulam senserint, quàm qui meratiùs hauserint. Si multum poturus eris Africanus docet in cibatu præmittas tres vel quatuor amaras amygdalas exiccantes, & humiditates absumentes, vinolentiam propulsabunt. Narrat Plutarchus Cheronæus apud Drusum Tyberij Cæsaris filium medicum fuisse, qui cùm bina senaûe amara amygdala esitaret, in comestura bibendo superabat omnes, qui iam deprehensus, ijsque deinde priuatus decertare amplius nec pauxillum valuit. NEC incassum pumicis farina, si potor in bibendi certamine præsumat eam. Affert Theophrastus periclitari, nisi vniuerso potu impleatur. Sic Eudemum in vigesimas secundas vices durasse, demum balneū ingressum nil reiecisse, ac ita cœnitasse vti si non bibisset, vi absumente siccifica, & in cadum musti bullientem coniecta, statim in totum vini feruor sedatur. AD aueruncandum quoque meri exitiū antiquitus in cōpotationibus corollis floreis redimita capita ferebant.

Vnde Ouidius:

Ebrius in cinctis phylira conuiua capillis
Solet, & imprudens vtitur arte meri.

Et Valerius Martialis:

Pin-

Pinguescat nimio madidus mihi Canus amomo,
Lassenturque rosis tempora sutilibus.

Rationemque dicunt, quod nimia frigiditate cranium frigescat, vt vinolentiam, & eius vim extinguat. Vnde Dionysium legimus discumbentibus hedeream instituisse coronam, que insita frigidifica vi vini potentiam retũderet, nam ea contra crassantis ebrietatis impetum obsepit, calidum siquidem meri capitis poros patentiores reddit, frigidum enim sic contemperat, vt scandentes repercutiat vapores. EST *& altera priscorum patrum cura, vt crapulosa extinguãtur, vt lactucis cœnæ fine vescerentur, cùm insitam frigiditatem habeant maximam, nũc autem initio ea vtimur cœnæ ad conciliandam appetentiam. Vnde Martialis:*

Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum
Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes?

Dioscorides tanquam acrepulam nuncupare videtur, quod ebrietatem prohibeat. Vini autem postquam meminimus, de eo enarrentur, quæ visa sunt, quomodo oporteat

Vinosos abstemios facere.

Multi enim sunt cùm vinum liberaliùs hauriant, vt nil eis perniciosius sit, in morbos, & denique in mortẽ incidant: at eos aspernari & abhorrescere si voles, & Clitorius fons longè abest: Anguillas tres, vel quatuor vino immersas sinito dũ emoriãtur: ebrioso vinum admoueto, & pertedescet semperque oderit, nec amplius bibet, vel quamminime modestius degens. Mullum quoque vino suffocatũ (Athænæus memoriæ prodidit) si protinus à viro absumatur, Veneris impediendæ potestatem habere, si à muliere, nunquàm eam concipere.

Fortasse

Fortasse ALIO *modo placebit, vt hæc amplius degustent, idque docet Iarcas, vt in Apollinij vita demonstrat Philostratus: Obseruato vbi noctua niduletur, illius oua præripias, elixata infanti incommessatione præbeto, semper inde vina perosuro.* SIC *è cæsa vite distillans aqua, multum potata sobrium facit, vti Democritus docuit. Scire autem*

Vinum an habeat ammixtam aquam,

Ex Democrito & Florentino condisces: Mala vel syluestria pyra vino immerge, si perfluitantia supernatauerint meri indicium, si merguntur, iam diluti. EX *Sotionis experimento: Paleā, arundinem, vel sarmentosum aliquod oleo illitum in dolium immittunt, extrahunt, & si aliquæ hærent guttæ aquam habet.* IN *calcem fundito, si calces diffundet aquæ mixtione defraudatum, & conglutinans meracum est.* SIC *in linteū si diffunditur: & præterea multa extant. Si verò mixtum displicuerit, ecce*

A vino aquam segregandi modus:

Cissibium paratum habeas, id est vas ex hedera tornetur, vel aliter conficiatur, vinum conijcies, & si qua mixta fuerit aqua breui tempore foras extillabit, quod contrarium antiquos omnes, & recentiores sensisse video: cui tum ratio, tum experiētia reclamat: nam cùm foraminulentum sit lignum, multisque interpateat rimulis, aqua humorū omniū subtilissima ex Aristotele foras effluet, quod corpulento magis reseratur. EST & *alia segregandi ratio licijs vel penicillis ex gossipio, vel lino dolio immersis, vt superemineāt, ab eo aqua secernitur. Sic vino iniecta spongia & expressa, plus aquæ quam vini eijciet. Sic breui temporis processu*

Vinum

Vinum diuersè odoratum

Reddes: Ardenti aqua immergantur ſimplicia, cuiuſmodi odoris quæſieris vinũ: nam aquæ natura odorem illicò combibet, per colum traijcito, & defæcatum ſinito vt conſidat, vino immiſce, ab eo enim ſapore no eſt diſsimilis, & nimium perolentia relinquet. Nunc docetur

Aqua ſalſa quomodo reddatur potabilis.

Quod docet Ariſtoteles: Si enim vas cereum efformabimus vacuum, & in maris aquas immergimus, quæ per ceræ poros intro delabitur fiet potabilis. Sic crudo fictili vaſe obſtructo ore quod enim intro permeat percolatum eſt, quod ſalſedinem facit per commixtionem, ſecernitur. FIT aliter vberiùs & celeriùs: Sabulonem fluminum in ſalſam aquam immittas, & pauliſper immoraberis, & lineo panno ſubiecti vaſis ori, obtento colatur, donec ſalſamentum amiſerit omne & dulceſcet: multa vti vilia ſileant. Nunc autem dicemus vtrum potuerit videri

Anſer iam viuus excoctus.

Sæpe enim lautis opipariſque menſis magnatibus apponuntur, ſic inualuit gulæ luxus: cape conficiendi normam: Sit anas, vel anſer, vel aliud viuacius animal, ſed in hoc anſer omnibus anteſtat, capite colloque relicto toto ſit implumis corpore, ſit hinc inde obuallatus igne, & circumſeptus, non arctè, ne ſuffocetur fumo, néue igne torreatur citius, non largè, ne impunis euadat: intus paſsim pocilla, & ollulas aquæ plenas, cui ſal & mel adijcias, ibique lances elixatis malis ſint plenæ, & teſſalatim diſco conciſis, ipſe totus liquamine obductus & laridatus, vt eſculentior ſit, & facilius decoquatur

ignem

ignẽ admoue, feſtinare nolito, vbi calore efferuere cœperit, circumambulando & fugiendo præſepit ignis et iter includit, ſic improbus aquam abſorbendo compeſcitur, cor, cæteráque membra refrigerando, medicamẽti vi laxat aluum, abſtergit & exinanitur: & vbi inferbuerit, interiora decoquet, ſpongia continuo cerebrum, & cor humectato: vbi verò inſania ferri & ceſpitare conſpexeris, deficit cordi humidum, remoue, conuiuis appone, euulſis ſemper partibus vociferantem vt ferè priùs commeſſatus quàm mortuus videatur. Nec viſu iniucunda

Murena eodem tempore frixa, elixa, toſtáque *Erit: primo panni attritu eam excruciatã veru infigas, & elixas & frixas quas vis partes, ter, quater lineis obuoluas linteolis, inſperſo in vno pipere, in elixo petroſelino, croco, menta, fœniculo, & paſſo contuſis, aqua & ſale, vel iuſculo madeant, frixas oleo, ad ignem volui iubebis, faſciculi aſpergine origani ſemper humectando, vbi pars iam fuerit torrefacta remoue, & optimum erit obſonium, epulaturis præbeto. At verò*

Ouum, vt hominis caput magnitudine ſuperet, *Reddere tam ingens ſi vis, extat artificium, nec à naturali dignoſci poteſt: Decem vel plura boleta, & albumina inuicem ſeparabis, boleta leuiter commiſceto, & in veſicam immittito, rotundamq́ue ligando imitaberis figuram, in ollam aquæ plenam immittas, & cum bullis intumeſcere cernis, vel cum duritiem traxerint, exime, & albumina addito accommodando, vt in medio inſideant, & iterum coqui ſinas, ſic corticibus enu datum habebis, quas ſic effinges: Ouorum cortices albas & elotas conteres, vt in tenuiſſimum puluiſculum volent*

volent, forti aceto, vel distillato emacerari sinito, dum mollescant: nam si ouum in aceto diutiùs fuerit appositum, cortex eius dissoluitur, et tenerescit, vt facilè, per strictum os phialæ poßit immitti, vbi fuerit intromissum clara aqua in pristinam reddit duritiem, vt demirari contingat. Cortices cum vnguenti formam præ se tulerint dissolutæ, penicillo aliquo, super excoctum ouum corticem inducas, & clara durescit aqua, tunc verum, & naturale habebis ouum. Si vis autem vt

Pisces charta frigantur:

Ex charta simplici frixorium vas efformato, ibi oleum & pisces ardentibus prunis, quibus flammæ desint, imponantur, & citiùs, & commodiùs expediet. Nec superpondij modò addere pigeat, quod fortassè scisse non obfuerit. Si vis dissecta caro iterũ coalescat: Symphyti, quod vulgò consolida maior dicitur, radices, quæ foris nigræ sunt, intus candidæ, & glutinosæ, vnà cum concisis carnibus ipsis coquantur, & celerrimè coniungentur, vt incisuræ non videantur. Nec inferior vis petrea simphyto inest, quòd summè glutinet, sic quoque de holosteo fertur. Si chalybis frustulum inijciatur ignitum in deplumatum, & exinanitum pullum, & tegatur, ne calor euanescat, & si tetro inficit odore, esui tamen bonũ erit. Sic pipionem exossum reddes. Si exenteratum acri aceto per naturalem diem sines, bene lotum, & aromatibus repletum, elixabis, vel assabis, sic eis caret, ossa vt simul mandi poßint. Sic oua viuæ calci obruta, aqua expersa decoquũtur. Si friabilem gallum, vel tenerum exoptabis: Iugulatus pensilis adhæreat ficus ramo, & maximam accipiet teneritudinem, quòd Aristionis coquus dum Her

culi immolatum gallum, qui fico pependerat, inter epulas attulisset, admiratus Aristio citam teneritatem, è durioribus periculum cœpit, & verum reperit. LIRÆ *chordæ minutatim concisæ, nuper excoctæ carni reiectæ, vermiculari videbuntur.* ET *leporis excoctum, et congelatum sanguinem in puluerem versum, super carnem inspargendo, sanguinosa videbitur caro, vt nauseabundus eijcias: & multa, quæ gulosis relinquimus. Sat sit tantum debacchatum esse.*

De Mechanicis quibusdam experimentis.

CAP. XIIII.

Q*Vædam extant non spernendæ subtilitatis experimenta, ab omni mixturæ additamento secreta, quæ non iniucunda fore putauimus ingeniosis, & artificibus, vt omne liber hic suboleat. Extat & artificium, quod aliquibus*

Draco volans

Vel Cometæ sidus dicitur, cuius talis sit constructio: E subtilioribus arundinum paxillis quadrangulum constituatur, vt longitudo latitudini hemioliæ sit proportionis, diametri duo & ex oppositis partibus, vel angulis immittantur, quarum intersecatione funiculus illigetur, & eiusdem quantitatis, cum duobus alijs iungatur, è capitibus machinæ prouenientibus: sic papyro, vel subtili lino obtegatur, ne quod graue in ea sit: inde è turris, montis, vel altioris loci fastigio, æqualibus & vniformibus ventis credenda, non validis ne disrumpatur machina, nec leuibus, si vndique silebit aura, nam eam non sublimat, ventorumque segnities irritum faciat laborem: ipsa recto non incedat tramite, sed obliquè, quod efficit funis tractus è capite vno, ex altero

altero longa cauda, quam è restibus effinges æquidistantibus, & papyris paßim religatis, sic leui tractu immissa, artificis manibus committenda, qui nec segniter, nec oscitanter, sed validè impellat: & sic volitans carbasus aëra petit, vbi paululum fuerit eleuatum (hic enim ex domorum anfractu disruptus est ventus) vt vix manibus compesci, vel retineri queat. Laternam aliqui supra locant, vt cometa videatur. Sclopum alij charta, & pyrio puluere inuolutum, & cum in aëre quiescit, immittitur per restim accensus funiculus, anulo, vel lubrico aliquo, statimque velum petens, ignem ori admouet, maximoque tonitru, in plures machina dißilit partes, & ad terram procumbit. Aelurum aliqui, vel catulum ligant, ac per aëra immissas auscultāt voces. Hinc auspicari poterit ingeniosus principia, quonam pacto, & homo volare poßit, ingentibus alis cubito, & pectori deligatis, eas autem à pueritia paulatim iactare assuescat, loco semper sublimiori. Quod si quispiam id mirum putauerit, aspiciat ea, quæ Archytam Pythagoricum commentum esse, atque fecisse traditur: plerique enim nobilium Græcorum, & Fauorinus Philosophus memoriarum veterum exequentißimus, affirmatißimè scripserunt, simulachrū columbæ è ligno ab Archyta ratione quadam disciplinaque mechanica factum volasse, ita erat scilicet libramentis suspensum, & aura spiritus inclusa, atque occulta concitum. Sic facere possumus, vt

Ouum in aëre ascendat:

Oui corticem vacuum rore complemus, & Maio mense eum accipimus: (alio enim tempore, vt æstate & autumno, verus ros non est, vt physicis constat rationibus)

nibus) & in meridie Soli oppones, & ab eo eleuabitur, & si difficilis aliquando fuerit ascensus, baculi, vel tabulæ adminiculo, dum ascendere incipiat facilius eleuabitur. Altera quoque remanet ludicra subtilitas, vt tres

Schedulæ non tactæ situm permutent,

Quod illud penitus ignorãti, fieri non potest, quin mirabile videatur: Tres fiant schedulæ longiusculæ è papyro, vel linteis, seque mutuo æquali superent longitudine: nam capite vno æquatæ omnes, & æquè reuolutæ, deuoluuntur, diuersique situs reperiuntur, longior in medio, vel primo loco, si longior eadem in postremo fuerit loco, immobiles remanent, quod non est, qui non putet, à dæmonibus factum, sed aliundè nõ euenit, nisi quia in reuolutionis fine remanet procerior, & extrema à qua exoritur in reuoluendo remanent. Quorundam fuit error, qui verborum vi euenire putabant, ac de interrogatis omnibus, tanquam de Oraculo responsa præbebant, nam si situm permutabant, ritè auspicari, effectusque propitiari, sin minus infortunari: nec voluere rationibus, & experientijs fidem permutare, cùm habitum in credendo effecerint. Est quoque artificium aliud, vt

Candela ardens sub aqua deferatur,

Talique paratur arte: Longum habeto vas, & capacitatis non incommodæ, ori lignum applicetur, quo ardens candela insideat immobilis, & inuerso vase lumen fundum feriat, sic totum aquis penitus immergas nec subintrabit aqua, cum aëre repleatur, & sub aquis ardebit multum, secundum vasis capacitatem. Nec admirationis minus extat experimentũ, cùm voles, vt

Vas

Vas inuerſum aquam hauriat,

Quod ſic efficies: Longißimi colli paretur vas, & quò longiùs, eò mirabiliùs, vitreum verò, & pellucidum, vt aſcendentem inſpicias aquam, hoc bullientis aquæ expleatur, & vbi totum efferbuerit, vel igni fundum admoueto, illico, ne frigeſcat inuerſo ore aquam tāgat, & intrò totam abſorbeat Sic naturæ rerum exploratores Solis radijs aquam hauriri, & abſorberi aiunt, è terræ concauis locis in montibus, vnde fontanea efficitur ſcaturigo: nec leuia inſurgunt hinc artificia in ſpiritalibus mechanicis, vt tradit Hieron, ſed vti ab hoc propoſito aliena, aliò transferatur. Simile quoque à Victruuio de ventorum ortu affertur, nunc verò in domeſticum peragrauit vſum. Sic enim

Vas ventum proijciens,

Confici poteſt, ſi fiat æolipila ærea, vel rei alterius, ſit caua, & rotunda, & in ventre punctū habeat anguſtißimum, quo aqua infunditur, et ſi fors arduum fuerit, priori vtere experimento, ſi ad ignem accedens inferueſcit, cumq́ue nullum habeat ſpiramentum, maximum inde eijcit ſpiritum, ſed vapidæ craßitudinis humectum. Nunc ad alia tranſire liceat. F V N I S *ſi manibus conuoluatur, vt ſe inuicem ſecet, leui brachij tractu rumpitur, & abſq́ue eo difficilè.* S I C *pugno later erectus percuſſus aliquantulum, vel marmor, in plures dißilit partes, nec minus, ex fluminum volutationibus attriti, & rotundi lapides rumpuntur.* E T *leui ſecatur pomum ictu, ſi cultrum capite percuſſeris, illudq́ parum ſecet.* S I *in hordeo inueſtigaueris, ſylueſtris auenæ ariſtulam reperies nigram, & obtortam, locuſtæ pedibus ſimilem, ſi eam paginæ cum cera liga-*

ueris, mollisque aquæ aspergine disseminaueris guttulas, ubi humidum senserit distorquebitur, ut liræ neruus, & erigitur charta, nec minus nummus styli acie uolitabit.

De mulierum cosmetica:

CAP. XV.

INter cætera circunferũtur, et expetuntur maximè experimenta, quæ muliebribus dehonestamentis, et speciei conferunt, multumque referre aiunt, nos ne alibi quærantur, hîc scribere decreuimus. Primò autẽ

Capillos tingere

Docemus, flauos, nigros, aureos, cuiusque placuerit coloris: Flauos enim reddes multùm mellis oleo, & uitellorum ouorum. Nec minus lixiuio è sarmentitio cinere, hordei palea, liquiritiæ corticibus, rasura, & buxi frondibus, croco, & cumino, si sæpius capillos laueris: maximè flauescent, auriq; colorem imitabuntur. Nigricabunt ualde corticum ficus, gallæ, elates, rubi, cupreßi, & similium lixiuio. HOC *tamen commodè tinges modo, barbam, & capillos, si cui canescunt: Argentea spuma, combustum æs, fortis lixiuij quadruplo permiscetur, dumque leuibus prunis in bullas erumpit, lauabis, & resiccatos calida perlues aqua.* SIC *nigrescunt supercilia: Frigantur oleo gallæ, eas salis ammoniaci pusillo tritabis, inde aceto immiscebis, quo rubi, & mori cortices ebullierint, illinantur supercilia, & per noctem immoraberis, inde ex aqua eleuabis. At quia sæpe accidit, uel locus pilorum multitudine deturpetur, uel glaber fiat, talia accipias*

Psilothra,

Quibus perlitus locus glabrescit illico, & diutißimè

partes omnes pube immunes seruari possunt. Si vulgari decocto perunxeris, viuæ calcis, auripigmenti tertio, fortique lixiuio, & dum coquitur, pluma experimentum capias. Columella verò iubet ranam luridam in aquam coquere, vsque dum ad tertiam partem decoxeris, eaque corpus vngere, si quod glabrum facere voles. Sunt & infinita, vti hederæ, & vitium lachrima, quæ veluti gummi est, & psilothri effectum habent. Sed illud vt commodum satisfaciet. ET *si nunquam rediuiuos quæris, glabras ritè partes tali radicitus erues illitu: Vti formicarum ouorum, hyoscyami succi, cicutæ, & psyllij seminis, vespertilionis, & testudinis sanguinis. Alij aurea bractea ignita locum impuberibus percurrunt, vt ne vestigium remaneat, nec amplius lanuginosum appareat. At*

Pilos scito nasci

Si velis: combustarum apium cinis, cum soricis stercore, si rosaceo illeueris oleo, nascentur & in manus palma, quibus & addere ritè poteris auellanæ, castaneæ, dactylorum, & reliquorum fabalium cinerem: ex omnibus enim renascendi vis destruitur, vel prodeunt molliores. Vnde Augustus solitus erat crura suburere nuce ardenti, quo mollior pilus surgeret. Si vero

Oculorum colorem permutare

Pueris velis, sic id assequeris: Putaminum coryli nucis cinere, ex oleo sinciput illinatur: puerorum albos oculos denigrari contingit, operatione iterata. Plæraque extant experimenta, albos, & glaucos oculos nigrefaciendi, & varios inducendi colores: sed hæc missa faciant, cùm non tam leuiter egentes oculis periculum capiant, nec experientiæ vti quæritur, respondeant. Nunc

Genarum liuorem abſtergere

Sic poteris, præcipuè mulieribus, tempore quo menſtrua patiuntur: Locus illinatur ceruſſa, fabarum puluere, aceto immixto: Vel ouorum boletis melle mixtis. Quædam ſunt quoque

Smegmata mulierum,

Quæ nitorem, & leuorem faciebus inducunt. Vti mica panis in caprinum lac ſerum iniecta, extillata inde aqua faciem peniciſſabis, mirum admodũ ad eam dealbandam, & nitorem cuti conciliandum valet: Nec minus aſininum candori confert, nam cutem erugat, polit, & molliculam facit. Ideo non temerè Pompeia Sabina Neronis vxor quingentas ſemper ſecum aſinas ducebat, ac balnearum ſolio lacte illo corpus totum macerabat. Vbi ſic inalbueris,

Roſeum faciei colorem conciliare

Poteris ſic leniter, & fucum facies, qui non detegitur, omnesq; artificioſa ſimulatione deludes: nã clara aqua puniceas reddes genas, diu, multumq; perdurante colore, eoque rutilantior fuerit locus, quò magis aqua laueris, et panno perfricaueris: Ex Cardamomo, vel quæ pharmocopolæ paradiſi grana dicunt, cubebis, garyophylis, braſili raſura, & ardenti aqua ſæpius extillata (vbi aliquantulùm fuerint immorata, vel igni lento, vel putri fimo) aquam elicies, qua ſæpe facies madeat, dum operari incipit. Si diu vrticam ebullies aqua, ſæpeq; corpus laueris coloratum, et roſeo colore inſignitũ reddet, ſi id diu cõtinuabis. S I C *autem gingiuas, & labia tinges, alumen, coccus, braſili raſura triteur, aquáue perfuſa omnia Soli exiccentur, ijs madeat bõbax, quo labia et gingiuas perfricabis. Si autem*

Aquæ ad faciem magonizandam,

Et accommodandam quæruntur, si fors fuerit res cordi, vt leuore splendeat, oui albumina coquãtur & durescant, ijs aquam extillabis, eritque vsui apta, sic rosmarini, fabæque florum & limonum succo. HÆC *autem aqua omnium præstantißima, solertique cura excogitata: Talcum in minutißimum redigatur puluisculum, & ollæ indatur, & item coclearum multam in mittes copiam, & operculato ne fugiant: nam alimento fraudatæ, immissum vorant talcum, concoquũt, vbi omne vorasse noueris cum testis tusas vitreo accommodabis organo, aquam extillabis & seruabis ad faciem: Fæces noctu subdialibus locis ter opponito, ac denuo vasi imponendo oleum accipies, quo nil præstantius ad capillos fuerit. Sed*

Furfures à facie abstergere

Sic poterunt mulieres: Vaccinum, hircinum, & caprinum fel cum vitri puluere immisceantur, & mollis facies illinatur, & eam maximè purgat, & faciem venustat: Draconteæ autem succus maculas omnes emendat, præcipuè si eis os dehonestatur. Aliqua nunc apponemus

Dentifricia,

Quæ optima parabantur antiquitus, ex purpurarũ & buccinarum testis crematis, nunc autem cito poteris vti combusti panis micis, pumicis polline, corallis rubeis, sepiarum testis, ceruino cornu, & ijs similibus, quorum vnumquodque ritè expolit & abstergit. Sic cocci granulis, si purpura perfricabis. Omnium tamen optimè sulphuris oleo, nam expolit, leuigat, & maculas propulsat omnes. Fit quoque aluminis & salis aqua extil-

lata

lata. Possumus &

Mamillarum incrementum prohibere,

Si volumus: Contundatur cicuta, eiusq; magmata cum aceto virginum uberibus imponantur, & sic coërcet, ut crescere non patiatur, præcipuè hoc in virginitate, quanquam solito lac deneget tempore. Molles autem & relaxatas sic coërces: Alba argilla, oui albumen, omphacitis galla, mastiche, thus, tusa omnia calido aceto immisceantur, & illinantur mammæ, & integra nocte commorare oportet, & sinito illic esse: si parum fuerit efficax opus innouato. Iuuant & ad hoc mespili ossa immatura sorba, syluestria pruna, acacia, & malicorium, balaustion, immaturæ nuces pineæ, syluestria pyra, & plantago, si aceto ebulliantur omnia, & mammis apponantur, aut aliqua. Sic autem poteris

Ventris rugas à partu abstergere.

Diu aqua immatura coquantur sorba, ouique immisceas alborem, nec desit aqua, cui arabum gummi sit solutum, tali linteum pannum madeat aqua, & ventri accommodetur: Vel combustum ceruinū cornu, amiantus lapis, ammoniacus sal, myrrha, olibanū, mastichæ, in puluerem redacta omnia, cum melle permisceantur, & erugat omne. S E D *quærens Naturæ ostiū restringere: ex partu enim relaxari solitum est, quod & si viro displicuerit, sic resarcies: Omphacites gallas tritato tenuißimè, quibus garyophyllorum pulueris parū admisceatur, vino ebulliant, quo pannum madeat, & loco applicetur.* V E L *sic meretricium & popularium restringes & coarctabis: Gallis, gummi, alumine, bolo, draconis sanguine, acacia, plantagine, hippocistide, balaustis, lentisco, simphyto maiori minorique, cupreßi*

nuci-

nucibus, vuarum acinis, glandium costis, vel cauo illo quo glans prorumpit, & dehiscens nucleum ostendit, mastiche & lemnia terra. Si hæc omnia rubro vino vel aceto decocta sint, & sæpe madeat vulua, coarctatur & supprimitur valde. Vel hæc in puluerem redacta, intro per arundinem traijciantur, vel ijs suffimenta substituantur. A T *si defloratam mulierem integræ virginitati restituere vis, tali pillulas constitues pacto: Alumen combustum, mastiche, adiecto calcanthis & auripigmenti momento in tenuissimum redigãtur pulluisculum, vt fere tactum effugiat: pluuiali aqua pillulas vbi coëgeris, digitis comprimito, & tenuem resiccari curato, ac naturalium ostio hymenæi loco accommodetur, vbi prius fuerit rupta, senis quibúsue horis immutando, pluuiali vel cisternina semper aqua fouendo, per naturalem id diem, & hinc inde vesiculas inducunt, quæ contactæ sanguinis inducunt profluuium, vt ferè dignosci nequeat. Hirudine aliqui locum mordicus capi curant, sic crustulas inducunt, & fricatæ sanguinem mouent, vbi prius prælatis arctauerint. Si aliquando tale hoc placuerit specimen, vt*

Facies fucata pallescat,

Et dignoscere quæris magonizatã faciem, sic fiat: Crocum dentibus commanducabis, & ore propius mulieri inter alloquendo apposito, flatus deturpat faciem, & subcroceam reddit: si autem nullo fuerit circumlita fuco, innoxia remanet. Extat & alia

Aqua faciem denigrans,

Sæpeque mulieres fallit: Iuglandis calloso, herbidoq́ue putamine illo, quod guliocam dicunt, & gallis, chymistarum organis clarissima eliciatur aqua, qua si facies

vel

vel manus maduerint, nigrescunt paulatim vt Aethiopes videantur, quod si abijcere & pristinae albedini restituere vis: Acetum, limonis succum, & colophoniam extillabis, talisq; lotura nigrum illud abijcit & propulsat.

De muliebribus quibusdam remedijs CAP. XVI.

QVaedam praedictis succedunt experimenta, expetibilia multum, cùm saepe accidant & vsu veniant, & si aliquibus inhonesta & non scribenda videbuntur, latè quaerat medicorum libros, vt nil aliud ferè tractent, id autem vtilitatis hoc affert caput, quod si ea dubia aliquibus videbuntur, haec experientia selecta scripsimus. Primò autem

Venereis in castris militare.

Si quis vult fortiter, tali muniatur cibo, praecipuè bulbis: omnes enim Venerem stimulant. Vnde Martialis.

Cum sit anus coniux, cùm sint tibi mortua membra:
Nil aliud bulbis quàm satur esse potes.

Columella item in hortulo:

Quaeque viros acuunt, armantque puellas
Iam Megaris veniant genitalia semina bulbi.

Sic eruca largè sumpta, cicer, caepae, pastinaca, anisum, coriandrum, pinearum nucum nuclei, inter hos satyrion largè mouet semẽ, & fortiùs venerea in re obstat, & mulieribus libido acriùs excitatur, venerisque vrticae sunt. Sique nobis esset herba illa, quam Indus attulerat (cuius meminit Theophrastus) vt non solùm edẽtibus, sed tangentibus iam genitalibus adeò vis increscere, vt valerent quoties coire vellent, & qui ea vsi fuerant

fuerant duodecies perfecissent, illum autem ad septuagesimum coitum peruenisse affirmat, vt tandem guttatim esset spermatis emissio, & in sanguinem deueniret. Vnde si ex omnibus vel aliquibus Venerem vis ciere, tali remedio vtere: Satyrij sumito radices, pineæque nucis nucleos, anisum et erucam, & æquali certent pondere, scincorum medietas, moschi parum, sic electo & despumato melle conficiantur, nec remouendum passerum cerebrum, ornoglossum, syluestris eruca, & ijs similia. Si quis autem certando vellet mulieris semen mouere, coli glandem, mosci, & vulgò dicti zibeti, castorei, cubebarum, & olei ben aspergine irrigato, vel horum vnum: coëuntes enim largè mouent. Vterque autem sic delectabitur, longum piper, piretrũ, galanga contundantur, pulueris pusillum cum melle conficiatur, eoque vtantur. At

Veneris desideria obtundere

Contrà sic poteris: Rutam commanducato & caphurã: destruit enim flatum quo erigitur virga: vt eunuchus vir euadat. Sic vitex inhibet Venerem, & si substernatur, bibatur vel manducetur semen desiccat. Vnde matronæ in Thermophorijs Atheniensium folijs ijs cubitus sibi substernebant, nec minus lactuca, quibus continuo comeditur coëundi adimit facultatem: ideo Pythagoras vocabat ἔυνεκον, quod verborum inuolucris innuunt quoque Poëtæ, Callimachus cecinit Adonidem, cùm lactucam comedisset, ab apro interemptum, atq; à Venere sub lactuca conditũ, quod holere tali (Athenæus ait) Venus elanguescat, & impotentes viri ad concumbendum fiant. VALET *ad conceptionem leporis vterus, si mulier ederit, & ventri imposuerit: vbi*

ver

verò conceperit ab his omnibus cauere debet, nam conceptum destruere possunt: Vti mentha naturalium hostio post coitum apposita: genitale enim semen corrumpit, & lacti apposita, nec coalescere, nec cohibere facit etiam adiecto coagulo, immo si mammis accesserit, nec densari lac patitur. Crocum concipiendi vim maximè amolitur. Salicis decoctum si ieiunè bibatur, sterilem reddit, cùm ocyßimè salicta suum deperdat semen, vt in araneam prius abeat, quàm maturitatem sentiat. Vnde Homerus frugiperdam appellat

Κλήτρεσσ' αἴγειροι καὶ ἴτεα ὠλεσίκαρποι.

Sic mulæ vngulæ fumigium, vrina, sudor, aqua, qua ferrum extingunt fabri, hæc omnia post menstruorum profluuium. Sed inter hæc saltatio præualet, & præcipuè obest eis, cùm se nimium motitarit, post cum viro congressum, nam cùm retinere nequeat genitale semen infusum, irritum foras prolabitur, & resilit, quod fortasse erat coalitum: Vti psaltria illa, quam narrat Hippocrates, quæ cùm semen nō conceptura retinere nollet, ne conceptio ignobiliorem redderet, ad terrā dißiliens, ac genitura exacta ad terram eius defluebat semen. Superstitiosi alij septenarij numeri virtuti fortasse pythagorizantes, & occultæ proprietati ascripserūt: cum modò Hippocrates septies dixisset, id tamen falsum coarguitur, cum ocyùs, & tardiùs defluat, quod si magis saltauerit, scito minus concepturam. Sabinæ succo hausto, ruta, scammonio pessu instar vuluæ indito, suffitus opoponacis, galbani, & viui sulphuris. Inter hæc nigro (quem vocant) sapone prolita gallinæ penna, vuluæ admota, nam illicò abortum parit. Hæc omnia sunt maximè præcauenda, nam prægnantibus obesse solent.

De

De elichnijs, eorumque præstigijs, & quomodo homines equinis, aliorumve animalium capitibus videantur. CAP. XVII.

DIV multumque cogitaui, vtrum antiquis arcana huiusmodi ignorarentur, an veritati responderent, quæ de eis dicuntur, & ab impostoribus promittuntur, nec parum gauisus sum, cum inter antiquos multos compererim, quibus hæc fuêre curæ, præsertim Anaxilao, Plinianæ assertioni fidem adhibendo: nec parum in his inueniendis desudauimus ad explendam nostram historiam, nec ab re fuerit eorũ commeminisse, & in medium afferre, experientiæ accommodando: ijs primò assuescat operator, ad alia paulatim deueniens: docenturque primò quomodo videri poßit omne, &

Coloratum cubiculum,

Sed maximè id perpendendum duco, luces omnes amouere, ne lumine illo impediatur, superetur què lampade color emanans, & frustretur illusio, si die fuerit, claudantur fenestræ, ne aliquod lumen irrumpens præstigium destruat. VIRIDE *autem sic videbis: Sit viridis lampas, vitrea, & pellucida, vt pertranseuntes radij medij colore inficiantur, & (quod in hoc plurimum cõducit) oleo, vel omni quo viuit humido, immisceatur ærugo, vnà ritè terãtur, vt humor fiat viridis, lichnus ex linteo coloris eiusdem, vel è goßipio paretur vncto, lampade in illa peruratur, oppositum feriens lumen, viride omne, & intuentium vultus ostentat.*

NIGRVM *autem omne si videre desiderabis: atramentum immisce omni, fuliginem vel simile: melius autem è sepijs immissum atramentum, nam lucernis*

admo-

admotum, si accenditur atra lucet flamma. Sic Anaxilaum lusisse fertur, sæpe enim ex atramento sepiæ astantes æthiopes reddebat & nigros. FLAVVM *si teres omne, vti auripigmentum, crocum, lupinorum cortices & oleo permiscebis, & accendes in eo funiculum, flaua lampade, croceum conspicies omne.* VIRIDE *partim, flauum partim, & nigrum si præoptabis, hæc insimul permisceto: vti quoque tradit Simeon Sethi, si quis thryallida, id est lucernæ stupã, in sepiæ atramento, & æris ærugine intinxerit, homines circumstantes videri, partim æreos, partim nigros, propter mixtarum rerum inspersionem. At*

Domum argenteam & luminosam videre.

Si præoptabis, sic efficies: Nigris abscinde lacertis caudas, & stilla è fractura emanans lucida excipiatur, è multis tamen plures adunabis, & papyraceum licium vel sparteum inficies, & si poteris oleo permisceto, sic argenteo colore omne videbis perfusum. Idem in omnibus imitaberis. Nunc vt institutum exequamur ordinem, reliqua trademus experimenta, hanc sequentia seriem, ne cupidos legentiũ animos detineamus. Vt

Facies insignis videatur maciei & palloris,

Sic faciliter opus exequeris: Vitreo ampli oris cratêre, vetus valdè infundas vinum vel græcum, intus sal inijce, quantum pugno quis capere posset, flagrantibus impone carbonibus sine flammis, ne vas rumpat, illicò ebullire incipiet, candelam admoue, & succendetur, reliqua tunc extingues lumina, & tales astantium facies reddet, vt sibi mutuò terrorem incutiant. Idem in fucinis euenit vbi campanæ cõflantur, & metallica, tam enim opertũ omne diro visitur colore, vt demirari contingat,

tingat labia squallore perfusa, punicea, in liuidum & nigrum commeãtia, ACCENSVM *quoque sulphur astantium medio collocetur, & fortiùs operabitur idẽ. Sic quoque Anaxilaum philosophum ludere solitum esse comperimus: sulphur enim calici nouo immissum carbonibus subditis circumferens, cõuiuis exardescentis repercussu pallorem dirum effundebat. Id mihi sæpe casu accidit, dum Neapolitano in agro Leucogeis collibus noctu deambularem: nam sponte ardens sulphur tales dabat vultus. Si quodammodo fieri posset, vt*

Astantes sine capitibus videantur:

Auripigmentum subtilißimè tritum noua olla ex oleo sinas ebullire, nec ab re fuerit si sulphur immisceas, operculo ollæ imposito, ne croceus euolet vapor, id noua incendes lucerna, & astantes sine capitibus & manibus videbũtur, oculos digitis cõprimendo dum candela accenditur, idq́ue paulisper videbis vt fieri poterit. Si vis autem, vt

Equina vel asinina videantur astantium capita,

Difficile aggrederis opus: vincat tamen operis sedulitas rei difficultatẽ: Equo abscinde caput vel asino, non mortuo, ne languida sit virtus, eiusdemq́; capacitatis fictilem fabricato ollam, oleo plenam, suiq́ue pinguedine, vt supereminẽat: os operculato, tenaciq́ue munias luto, ignem subde lentum, vt planè bulliens tribus seruetur diebus oleum, elixataq́; caro in oleum currat, vt nuda spectentur ossa, pila tundito puluisq́ue oleo permisceatur, quibus astantium capita perungantur: similiter in lampadibus stupei funiculi in medio statuantur, nec propè, nec longè vt res postulat, & monstruoso spectaberis vultu. Ex ijs multa discas componere: satis enim

dixisse videor, si diligens fuerit intuitor. Ex *humano capite recenter obtruncato electum oleum, animalibus faciem hominis inducit, sic varijs animalium capitibus, munstrosiora reddes corpora, si ijs accensis licijs illustretur domus quod fido claude pectori, nam vti arcana ab antiquis celabantur, nec ita faciliter ex eorum eruitur dictis.* ALITER *tamen docet Anaxilaus, nec irritè: Equorum virus à coitu accipitur, nouusque lampadibus ellychnijs accensum, hominum capita, equina visui monstrificè repræsentat: de asinis sic quoque proditur.* SIC *illud quod apriam vocant in suibus cùm subant: acceptum enim & accensum idem præstat.* SIC *animalium reliquorum auricularibus accensis sordibus.* SI *illud perures, quod dicemus sperma, eoque spectatorum facies perunxeris, eorundem animalium conspicies capita, serua. Nec dißimili modo, sic*

Vuæ plenum domicilium videre

Poteris, & omnes vuarum illusione decipientur: Cùm deflorescere iam incipiet vua, vas puro plenum oleo accommodetur infrà, cui racemum cum frondibus immergas, firmetur, ne hinc inde conuellat ventus feriat, illud Sol, operculũ gypsato & pelliculato, relicto tamen foramine quò petiolus intromittatur, ita immorari sinito: vbi perfectam receperit vua maturitatem, linteo exprimitur, expressusque humor seruatur in oleo, soli diebus paucis, lucernis demum accensum omnia vuis cernes plena, frondibus & arboribus circũuallari videberis, vbi fortasse arbores prorsus carent frondibus: In alijs verò fructibus vtitor, idem enim arbitror præstari posse.

De multis lampadum experientijs.
CAP. XVIII.

IAM aliquas lampadum experientias supereſſe video, quas licet viſu non tam iucundas & mirabiles vt res poſtularet, ne quid omiſiſſe videremur, recenſere cenſuimus. Has nec ocioſum vel inutile fuerit primæ addere ſeriei. Vt

Lampada quis accendens reformidet:

Linteum fiat licium, cuius meditullio anguis ſenecta, ac leniter infractum Sal accommodetur, alicui ſuccendendum præbeto ex oleo, nam flammam ſentiens ſal diſsiliet, anguina pellis diſtorquetur, cùm coquitur, vt timorem incutiat, pueris: ſic canis & lupi, lupi & ouis corium obtortum ſimul oleo ſi accendes, commouentur, innatam etiamnum fugientia ſimultatem, ab Alberto traditum. Si vis vt

Lampade noctu ranæ taceant:

Narrat Albertus delphini pinguedine, ac cera ex Sole alba confecto elychnio, ac accenſo in lacuum ripis, ſtatim ranas omnes ſilere. Africanus autem naturaliùs & certiùs in Geoponicis græcis, omni id ait euenire lucerna: nam ſi accenſum poſueris in ipſam, obſtreperæ omnes ranæ ſtatim conticeſcunt. Solent impoſtores perforato pariete ranam immittere, inde charta cooperiũt, & in ea coruum depingunt, accenſa extrà face, vel admoto igne, incaleſcens rana coaxat vt corui voces imitetur, ſic depictum coruum crocitantem oſtendunt. Fit quoque

Licium, quod arcta imminente manu perurartur, laxa verò extinguatur:

E caphura aquam exugito, vitreis chymiſtarum vaſis,

& ritè luto fabricentur spiramenta ne in spiritus euolet, tali aqua intus perunge manus, & super flammam arctans pugnum comburitur validè, si aperitur debilitatur lumen. Fit quoque hoc modo

Lumen, quo astra vagari videantur,

Sunt qui testudinem vel centauream perurunt, eiusque flammæ fumo spectant stellas sic vagantes, ac loco dimoueri videantur vndique per cælum, id quod non ab eo solùm, sed à rei omnis euenit fumo, crassioris enim existens diaphonitatis, mobilisq́ imaginis forma à loco ipso variari videbitur: ideoque fallitur visus, ac moueri putabit. Quòd si id mirabiliùs videri expetitur, ignem cælato, vt spectantem lateat, & pertranseũtes radij refrangantur, hinc multa ingeniosus aucupari poterit oculos fallentia, quæ è libris opticorum excipiet. Simile aliud cape

Lumen, quo homines gigantũ forma spectẽtur:

Aliqui solani speciem, quam alchachegni vocant Arabes, delphini pinguedine conficiunt, vnguento macerari colligiq́ue in pastillos curant, & vaccini stercoris flamma perurunt debili, atque è regione aduersantes, maiori homini forma visuntur, quod maximè euenit, si spectantes decliui, spectati loco morentur altiori, vt pertingẽs radius hominis caput summa feriat tecti laquearia, eodemq́ue spectentur angulo, vt eiusdem videatur altitudinis, quod adiuuatur medij crassitie. Sic sæpe noctu in crepusculis dubio sub Lunæ lumine vel sub nube latitãte, accidit in nemoribus, vbi lupi, & animalia cætera montium nemorumq́ue altitudinem superantes videntur, vt phantasmata putent. Et homines præambulantes viatoribus, luce sub modica pe-

ea pedibus terram, capite astra pertingere videntur, montium maximè ascensu, & cum propè sint miliario ferè distare creduntur, tandiu metum sub pectore seruantes, quandiu Sol adueniens illustrauerit omnia, nec distantia latet. Ne me die quodam itineris longinquitas detineret, maritimum iter inire decreueram, manè autem erat, priusquam diluculasset, incerta lux fecit, vt mea statura, quæ hominis perfectam nō attingebat: nautæ gigantum staturæ similis videretur, eminentiori eram loco, & cimbæ gubernator se tam magnū portare onus inficiabatur, pectusque cruce muniens clamantem me dereliquit, dumque causam excogitarem, iræ id mihi & voluptati fuit.

De arte, qua venena præcaueri possint.

CAP. XIX.

Nostrum igitur vt exequamur institutum opus, iam ea tradere remedia fuerit oportunū, quæ exitialibus medentur venenis, cùm ab iniquis sic fieri soleant, ineuitabilē aliquando inducant perniciem. Hinc quisque præcaueri ab eis poterit, nam irritum semper eorum faciunt virus, nec effectus respondere sinunt: diutina enim experientia vera nouimus. Eorum nos aliqua pertractabimus, quæ quanquā haud vana, non tamen aliquid operabuntur, nisi & docta artificum manu tractentur, nec paruam operantibus noxam inferre solent. Natura vti vniuersalia, sic particularia instituit venena. Enecat Pardalianches aconitum pardos & pantheras, & idem Thelyphonum Theophrastus vocat, quòd scorpiones stupidos reddat, eosque obtorpescere faciat, supra radicē admotum, cynoctonon, & lycoctonum canibus & lupis car-

nibus obiectis insidiantur: Methellas nuces gustatu canes necare confestim est omnibus perspicuum. Sed hæc omittantur. Nos ad institutum opus accedentes, qui quærunt

Plagam breui tactu inducere

Peßimam, sic faciunt: Rubetam illam accipiunt quæ in vepribus viuit, ac veluti tuberculis dorsum exasperat, quam bufonem aliqui vocant: hæc nocentior, tantoque erit magis lethifera, quanto in opacioribus & frigidioribus locis vitam degerit, syluis & arundinetis, multum enim venenis iis infamis est, eam oblongum in sacculum immittunt, & salem, qui magnitudinem indicæ nucis impleat, manibus hinc inde captans validè exagitabit multum, dum emoriatur: inde salem exitiosum retinens bufonis virus seruant. VEL *Rubetam in sale sepeliunt, ac per mensis dimidium in fimo detinent, salem seruatum esculentis eliquant, qui id esitauerit, internas percurrens partes, lædet, & sanguinem inficiet, & is breui morietur interuallo. Vel humido loco ad dissoluendum tradunt, talique madens linteus aqua, vel omne nudam carnem contingens, sæuißimam induit plagam. Hæc tamen talis erit veneni*

Antidotus.

Sumito antequam florescat foliorum hiperici florentiũ, quantum manibus capi poßint, ac veteri oleo Soli per hebdomadam apponito, tum calentis aquæ balneo per diem immorari sinito, ac stramine prælo succum exprimito, expressumque eodem seruato vase, & iugem operam impendas, & cùm flores deprompserit & semẽ pepererit, tria hæc misceas: et vbi inferbuerit igni, scorpiones centum proiicito, viperam, & rubetum detracto

tracto capite & cruribus, id sub æstum caniculæ, igni detrahe, & operculatum vas, & pelliculatum Soli quindecim diebus apponito, cui deinde gentianæ radicis, dictami albi, vtriusque aristolochiæ, tormẽtillæ, & reubarbari pares addito portiones, sic boli armeni præparati, et smaragdi pulverati pusillum, vas tribus men sibus fimo obruito, nec tamen deficiat theriacæ optimæ duplum, inde per colũ traijcito, & in vas seruato stanno sublitum, eo cordis perungatur regio, hypocondria, pulsus omnes, & dorsum, & ilicò ferarum omnium ictus facit irritos, vnde in ijs, & inferiùs scribendis nõ aliud præsentius exhiberi poterit remediũ. Si quoque

Leprosum hominem reddere

Possunt: Leprosi sanguis vel vrina capitur, in quibus si triticum diu steterit vt affatim saturetur, eoque gallinæ vel columbæ obesæ, cui esui præbebũtur, lepra corripietur, & idem in morbis alijs contagiosis considerant. Vel ALITER: Cantharides capiunt, amianthũ lapidem, & auripigmenti quintuplum: hæc thapsiæ radicis, vel syllæ succo conficiuntur, vt linimentum imitentur, & caligas vel lineas tunicas perfricant, & inflationem, vlcerationem, & lepram inducunt ineuitabilem: proinde ab ijs maximè caueto, & si atrociùs quærunt, vt pertinaciùs operentur, humanum adiungunt sudorem ex alis rufi viri & cholerici, aconiti succos, bufonum virus, vel cõsimile, breui lethiferam inducunt plagam. Si ferrum horum maduerit succo, virulentos & insanabiles infigit ictus. Sed talis erit optima

Antidotus

Ad elephantiasin: Panis è clibano calidus infundatur

endiuiæ, lupulorũ, & abſinthij ſucco, aceti, & ſulphuris in aceto infuſi & exiccati tantumdem, & in eo ſeſquiſexta ſucci pars eupatorij, galegæ, id eſt rutæ capràriæ, viperæ carnium pares portiones, ariſtolochiæ rotundæ duodecima pars, citri corticum ſexta, ſeminis eiuſdem dimidium, & theriacæ par pondus conijcito, hellebori, & ſcammonij puſillum: omnia remiſceto, & igni apponito dum euolet humidum, ad vſum reponitur, tribus ſemper diebus ſumatur. Si quid verò cuti remanſerit hoc vtêris linemento. Viperarum adipem habeto, ſeui hircini dimidium, vrſi pinguedinis pars quarta, caparorum olei tãtumdem, viui ſulphuris pars ſexta, lichenis quadruplum, acetum infundatur, & decoque dum ſtrigmentoſum fiat, inde cera linimentũ effingito, & alternis diebus inungatur, dum puſtularum ſquamæ decidant. Si optant homines

Dementes reddere, vt facilè alienentur,

Faciliter efficiunt vino, quod ſic conſtat: Mandragoræ radices accipiunt, & in muſtum adhuc feruens, & in bullas tumens dimittunt, operculum indatur aptoq́ue loco tribus ſeruetur menſibus, cùm eo indigueris, potui dabis: qui id hauſerit, vbi multum profundo fuerit demerſus ſomno mente capitur, vt per diem non parum deliret: at poſt ſomnum ſoluitur dementia, nec malum defert multũ, multumq́ue fuerit voluptuoſum videre: periclitamini. Sic de cameli ſpuma ab ebrio potata fertur. Ita tamen vt dicemus ſæuius dementant: E menſtruorum profluuio ſanguinẽ capiunt fœminarũ, pernicioſior eſt tamen bilioſarum & ſterilium, potiorem retinet in ſe vim, cùm ſylueſtris cati cerebro remiſcent, integram ſinunt cum ſua nocte diem, vitreis inde

vaſis

vasis aquam eliciunt, & poculentis immiscēt, & tandiu insaniet, quandiu perniciosum destruet virus, & abiget, quod in mense fiet: & si volunt, poterunt sopitam rabiem excitare. Vel sic: Muris cerebrū, cati, vrsi, canis spuma, & vespertilionis optimè cum mirra aliquo remixta vase fimo obruunt, & exaggerāt octo dierum spatio, per destillationem aquam extrahunt qua potionata, memoria venefica proprietate tollitur, & intellectu carere facit. At longa ægritudine, vti

Hecticè corripiatur

Si volunt, aquam ex his præbent: Plumbū in tenuem vertunt pulverem, vel in calcem, & cum sale acetum per acre fundunt, aquam igne stillatim capiunt, cuius in mense cyathum exhibent, idq́ue sexies innouant, et hectica eum inuadet tristis. Quòd si exitialem longo moliuntur tempore morbum, sic faciunt: Cerussam, æruginem, litargyrium, & minium, singulorum pares portiones capiunt: squillæ succi, quantum satis sit ad ea cogenda, vitreo in vase ponunt, quo fimo quadraginta immoretur diebus, extrahūt: deinde hominis sudorem remiscent, & esui morituro præbent, sic diuturno languore, & in longuam temporis intercapedinem exitiosam detinent vitam. Tali autem infirmitate liberandi hæc est

Antidotus,

Sic illicò morbus depræhenditur: Si inglycyrrhizæ decocto scammony pusillum in puluerem redactum hauritur, liberat illico egrotum. Si venenum præcisserit, sic facito: Aquam vitreis chymistarum organis exugito, è columbaceo stercore, & ex corticibus ouorum, quarta piperis parte, & thuris pauculo, ac lixiuij duplo

plo è sarmentitio cinere confecto remisceto, & primo mense septem diebus cyatus sumatur, vndecim secundo, quatuordecim verò tertio, vsque ad sextum: et veneni extinguit vim. Maciē verò sic pelles: Aquā haurito ex herba personatia cū remixtione nucleorū pinearū, diebus singulis ante prandiū, donec sanitati fueris restitutus. Conantur quoque miruminmodum

Mortem fotu allicere, & aliter dolosè

Cùm eis vti libuerit, quis credet, quod aiunt, humani cruoris fæces detracta aqua & arefactas cum styrace commixtas, & cubiculo in aliquo suffumigatas lethalem afferre odorem? SIC verò tutus fies: Cæpam habeto candidam, quam excaua, vt excipiendis pulueribus sit apta, intus conijciuntur aloës partes duæ, tres verò agarici pulueris, claudito, & filo ligato ne dehiscat, inde ollæ inditur, & acetum infunditur acre cū mellis dimidio, aquæ sescuplum, è rufi iuuenis stercore, & tantundem rosmarini coronarij, ollam operculo & luto stipato, clibano per diei quadrantem calidis inferuescat ignibus, & prius quàm refrixerit, fimo quinque mensibus exaggerato, eximito demum, & per colum traijcito lineo panno, & seruato, si vini maluatici cyatho guttulas absumes tribus diebus liberat: si illicò succurris, semel tantum sufficiet exhibita. ALIA autem sic parant venena: Rubetum cum aspide maximè virulento, vipereoque scatente veneno plumbeo condunt organo, quo aptius extrahi poßit aqua, inde ambo acribus verberibus excruciantur, vt ita excandescant: intus euforbium & christalli immittunt spumam in tenues pulueres, inde leues subijciunt prunas, paulatim aquam distillendo detrahunt, plumba seruant pyxide,

cuius

cuius si quotidie exhibent guttam, in mense necat, sensim corpore tabescente, magis vel minus vt illius erit natura qui venenum hauserit. Oportet autem aquæ dum eliciuntur cauere, pernicialem enim & strangulantem halitum eructant, & respirando noxius extrahitur aër ille, quibus succurres antidotis, quas suprà diximus. DOLO autem necandi experimenta multa sunt: vnde ignorantes sæpe necantur homines, vt autem ab ijs præcauere discant, apponemus aliqua: Aeneo vase intus stanno, vel plumbo non illito veterem condunt rubetam: execrabilis enim est virulentiæ, & cum eo simul lineum immittunt pannum per dies aliquot: & eiusdem sanie inficitur, quæ ore vomitur, quo si naturæ hostium post coitum absterseris breui interit ictu, cauetote qui inimicis luxuriatis mulieribus. Surdi aspidis sputum illicò necat, & marini canis fel. FIT & alia necandi techna: Argenteam pateram accipiunt concauam, qua rubetam cooperias, inde lentum supra admouent ignem, paulatimque decoquunt: orti enim vapores & virus, quod eructat noxium, per argenti poros combibitur, si in ea poculum subministrant cautè lethalia sumentes pocula necabit. EST & apud eos cautius interficiendi modus: Equorum è cauda setæ minutissimæ inciduntur, rebusque alijs permixtæ esui præbētur, quas diū digerere tentat, ventriculi, & intestinorum hærent plicaturis, & putresiunt, & cautè longo occidunt tempore. Sic gallinas, columbas, mulieres, vel animal aliquod cum eo conuersari solitum veneno alunt aliquo, dum paulatim in alimoniā conuertatur: vti de puella dicitur Alexādro missa, & de gallinis hyosciamo, & de coturnicibus vere-

veretro de pastis, nec dignosci potest. Hæc narrasse sufficiant. I D *tamen mirè occurit, dum hæc agerem. Rubetæ lapidem arte quadam electum, si quis cum veneno glutierit, innoxium ab eo seruat: circuit enim cum veneno eiusque vires hebetat, inefficaces & irritas reddit. In capite senis & magni busonis lapis est, cuius gratia interficitur. Sed tali elicitur pacto: In cauea reponitur puniceo in panno, & Soli exponitur ardenti, & aliquando verberibus aëris paulatim excruciatur, dumque ipsi feriãdo relaxant se, capitis onus ex ore deponunt, hoc è medij foramine in subiectum vas dilabitur, alioqui ea est alijs inuidissima natura, vt lapidem, nisi tolleretur, resorbeat, sed os potiùs est quàm lapis, fuscum, oblongum, & ex parte cauum, & probatur sic: Buffoni admouetur, hic eleuatur contra illud, & si potest attingit, & saltu eripere nititur, sic ab eis experitur.*

De soporiferis medicamentis.

CAP. XX.

N*EC minus inter arcana reuoluuntur somnifera experimenta, maximæque sunt apud eos existimationis, qui periclitandis experiendisque rerum virtutibus operam impendunt, leniendo per somnos aliquorum dolores: nunc omnes ferè abutũtur, vt onusti cibo vinoque profundiori somno sopiantur: è quibus aliqua ingeniosis trademus, quæ veritati nobis propiora visa sunt, vt ea noscere & componere discant. Principio ea sunt consideranda quæ somnos accersunt, vti papauer, hyoscyamus, methella nux, mandragora, & ijs similia: & si possunt nidore abhorreri, styrace, moscho, alijsque immisceantur odoribus, si comes-*

comessenda vel haurienda fuerint, liquida crassaq; con ficito, & quomodo possint fotu somnos conciliare, caput feriant, & tentent. Unde quis

Somnos conciliare

si voluerit, sic poterit. E recenti opio, nudisque allij capitibus aquam vitreis vasis stillatim accipias, alijs permisceantur, ac dormituro detur, quantum capiet nucis testa: potionato enim illico medicamento caput vaporibus oppletur, vt in soporẽ cadat. Nec minus operabitur mandragoræ aqua, feruenti extracta aquæ balneo, nec potator nidore offendatur. ALIVD *ad somnos violentius ex his fit: Opium paretur electum, cum methella nucis æquali pondere, nigri hyoscyami semen, dissoluãtur lactucæ succo, præstantiùs autem aqua, sub fimo obruta aliquantulum dimisisse oportet: inde vasis distillationis aptis accommodato. Vbi autem occipiet feruere, aquam elicito, fæces seruato, calidisque cineribꝰ exiccato, vt in tenuem vertas puluerẽ cribro excutiente, dulce aqua deinde lixiuium, acre cõficito, inde omnis igne vapor euolet residens, cùm priùs reseruata immisceatur aqua, & esui vel potui accommodetur, non eadem, sed pauciori quantitate, quàm quæ supposita est, abundè & sumpsisse, nec aliquibus exhibeatur, nisi magna necessitas vrget.* VEL *mandragoræ aqua, opium, & papaueris semen cum allio, vel rebus caput ferientibus remisceantur: è quibus quod fabæ magnitudinẽ æquet, satis est sumpsisse. Fit quoq; sic ex omnibus*

Pomum somnificum,

Quod constat ex his: Opio, mandragora, cicutæ succo, hyoscyami seminibus, vini fæcibus, quibus moschum adijciatur, vt odore illectum olitorem feriat: in pilas

con-

conglobato, quantum pugno quis prehendat, hoc ſæpius odorando, lumina ſomno demulcet ac ligat. Qui id autem ſtatis efficere certant horis, fruſtra conãtur, variæ enim ſunt hominum temperies: qui verò affectarit, ſimilibus periculum captato, paremq́ue operam impendendo, inops fruaris. Ad retundendã eorum ſæuitiem, ſatis eſt præſidij, ſi tale ex aceto diſſoluto vel diſtillato tempora, naſum, et teſticulos perunges, vt eorũ vi ſomnos propellant ac ſoporantem excitent.

De mirabilibus quibuſdam experimentis, quorũ nec veræ ſciri cauſæ poſſunt, nec ſemper experientiæ reſpondent. CAP. XXI.

Operæprecium me facturum exiſtimaui, ſi multa, quæ ſuperſunt experimẽta, auditu mirabilia viſuq́ue deſcripſero, eoq́ue fuerint mirabiliora, quò cauſæ cognitio, minimè haberi poßit: vbi certò ſcio me inſciolorum ignominiam incidere, cùm ferè fieri non poſſe videantur, nec ita facile reſpondeant experientiæ. Nos vti à veteribus accepimus, ita exponemus: multa enim adijcimus, vt veritatis aliquantulum habeant. Sed ne quiſpiam fortaſſe minimè credendum noſtris ſermonibus arbitretur, optarim quidem (id quod iſtis præſtabilius eſſet) laboris primum munus hoc ſubirent, tandiu periclitantes, dum experientiam nanciſcantur: diſperſa vndique dicta decerpant, vſui accommodent, ac exploratorum dictis ſedulas adhibeant aures: maiora enim & creditu difficiliora reperirent, ac me vera retuliſſe cognoſcerent. Vt ea autem apponamus: ſic poſſumus

Mulieribus lotium compeſcere.

Extat enim in paſtinacæ piſcis cauda aculeus quidam,

quo

quo nil in mari execrabilius esse authores scribunt, mira operans multa: inter hæc id retinet, si mentem adhibes, mollis vbi terra vel horti fuerint, ac mejet vetula, ilicò ibi aculeum desigens vt totum abscondas, tandiu ei lotium prohibebis, quandiu scrobe effossa detrahes: pauculis enim immoraberis diebus, & extemplò mejet, sic vetulis sæpe iuuenes vrinam retinent, si alicuius vsum interdixerint. Si vis autem

Conuiuæ ne accumbentes edant,

Sic fiet: & quanquam minus veritatis habeat, non tamen omittam: Acum habeas illam, qua mortui sæpe linteis obuoluti resarciuntur, ac sæpe eos perforauerint, clàm cœnæ initio sub mensam figas: prohibet enim hæc conuiuarum esum, vt accumbētes potius cœnæ tedeat, quàm edendi vel sedendi voluntas insit: detrahe vbi eos aliquantulùm irriseris. NEC *tamen prætercam, quod Florentinus in suis Georgicis tradidit, nec omnino falsum experiētia redarguit: ideo nec scribere spreui. Si vis vt ne edant mulieres: Ocymum cape, cùm id operari nobis sit animaduersum sæpe, & tam mulieribus aduersari, vt si quis ea ignorante, sub obsonij patinam integram cum radicibus plantam supposuerit, obsonium mulier attingere non audet, vel ægrè, nisi ocymum fuerit ablatum. Tunc*

Pistor panem in furnum non immittere

Potest, & experiri si vis: Suspensi furis laqueum habeto, vbi habueris in instrumenti parte illa deligato, quæ furnū subintrat: si pistor in furnū panē immittere quæsierit, hinc inde discurrēs, verū nunquā reperiet iter: & si immiserit, foras eijcietur pala, quod mirabile videbitur valde, minus verū. Sed mirabilius fuerit

Homi-

Homines & mulieres ligare, vt ad concumbendum impotentes ſint:

Sed quid de Alberto dicetur? qui in libro de animalibus virgam ait lupi ſi viri, vel mulieris nomine ligaueris, adeò ad Veneris munus explendum imbelles fieri, vt ferè videantur eunuchi, donec ſolutus fuerit nodus, quod fortaſſe ridiculum haberetur, falſum quotidiana probaret experientia, & vulgò iactaretur: Sic autem ſolent aliquando pauliſper

Mulieres valdè lætari,

Cum leporis adipe lampades accendantur, ac mulierũ medio morentur aliquantulum, nec enim lætantur, vt ſaltent: id tamen raro operatur. Si volumus

Furtum cognoſcere,

Sic poſſumus, & ſubreptam illicò rem recuperare: Eſt lapis, qui aetites dicitur, & veluti prægnans eſt, nam cùm quatitur lapillus in vtero ſonat, ſi quis ergo terit eum, & ſubcineritio pane decoctum, & conditum furi offerat, fur manſum deuorare non poteſt, quin etiam cogitur, aut ſuffocari, aut fur deprehendi, quippe cum eo decoctum glutire nequit. Sed

Canes ne latrent

Si vis: Nigri canis oculum viuenti iam ipſi detrahatur, ſi tecum detinueris eum, alijs adhærenti canibus, vel iuxta eos ambulanti, nec adlatrabunt, nec foras voces emittent: quod fortaſſe euenit odore oculi: Violentiùs operabuntur, & tutius deges, ſi oculis vel luporũ corde comitaberis. Sic quoque dicitur de hyænæ lingua in manu detenta, nec ſolum illa canes elingues, ſed geſtantem ab eis incolumem reddit. Vbi autem libuerit

Grandines imminentes & tempeſtates abigere:

Phi-

Philoſtratus ait : Si ſpeculum incumbenti mihi oſtenditur præterituram grandinem: Palladius autem pellem hyænæ, crocodili, aut vituli marini ſi quis per poſſeßionis ſpatia circunferat, aut villa, aut atrijs ſuſpendat, cùm malum imminere videris, non cadet grando. Si quoq; paluſtrem teſtudinem dextra manu ſupinam tuleris, vineam perambulans, reuerſusque eodem modo illam in terram depoſueris, & glebas dorſi eius obieceris curuaturæ, ne poßit inuerti, ſed ſupina permaneat, nubi obuiabit & grandinum minas cohibebit. Hæc autem ex veterũ monumentis excerpimus: quantum enim indecora (bona eorum venia dixerim) & quæ fieri nequeũt, & riſu digna fuerint, conſiderandũ ingenioſis relinquimus. Naturaliùs autem & aliquatenus impedire poſſet maximus campanarum pulſus, vel machinarum bellicarum ſtrepitus: aërem enim diuerberantes & ſcindentes, fortaſſe conſiſtentiam nubium illam dißiparent & abigerent: quod in peſtibus putant faciendum multi, ne amplius nubium denſitas immoretur. Democritus autẽ ait imbres & tonitrua de repente fieri, ſi caput & collum chamæleontis ligno vratur, quod appellatur robur, idq; ipſum vſu venire, ſi iecur eiuſdem animalis in ſummis tegulis vtatur. Putat autem Gellius talis ridiculæ vanitatis, potius talem Plinium ei impegiſſe notam, quàm à Democrito nobilißimo philoſopho ſcriptam. At ſi vis

Homines longa ſaltatione torqueantur,

Vel riſu, ploratione, cantu, alijsq; affectibus, ſic ritè poterit euenire, naturalesque magis habet cauſas. Sed vt liquere poßit experimenti ratio, prius pauca dicenda ſunt. Eſt phalangi genus quoddam, quod à Tarento in

Apuliæ partibus tarantula dicitur, vniuersa enim regio sic eis laborat, vt perpauci sint, qui euadant: eorum morsus acerbior est quàm vespæ ictus, & homines qui ab eis iciuntur diuersis afflictantur casibus: multi enim perpetuò canunt, illachrimant, delirant: sed omnes ferè saltant. Messores enim dum operi accumbunt, ignarique doli, sæpe acriter percutiuntur, musicisque adhibitis modulis animum delinientibus permulcentur, eisque in sanitatem restituuntur: In quibusdam enim cauernulis vitam degunt, easq; in segetibus condunt: sic facilè capies: Arundinum folijs ore sibilum effingas, vt muscæ voces imiteris, vbi illud animal senserit, exit illicò: nam sæpe eis depascitur, vt aranei, qui amplissimas ædificijs in nostris telas contexunt, & muscis pandunt. Captum in puluerem ritè vertas, illius pusillum, quantum quis digitis duobus prehenderit, alijs remisceto pulueribus, ne sumentem offendat, venenum est enim: vbi illud absorpserit, ad tripudium saltationemque concitabitur, præcipuè si sonis fuerit allectus. Sed vt

Herniofo crepitent testiculi

Si optabis: Vbi eum igni accedere conspicies, & calefacere, sambuci vel ficus igni viridia immittito ligna, vt comburantur: sic enim crepitum dabunt, vt secedere illic cogatur. An id euenit, quàm eructat, aura, illi vento simili, qui quoque eis officere solet? At exploraturus, an

Mulier sit casta,

Quod vulgò inter scriptores iactatur, sic fiat: Cum castitatem coniugis prodat hic magnes lapis: diu enim seduli diuturna exploratione conquisiuimus, & experien-

rien-

rientijs clarè nouimus, non eos temerè sic protulisse, vt quædam quoque de lapidibus experimenta, quæ sæpe admirati sumus, sæpeque irrisimus. Magnes hic lapis, si dormientis coniugis capiti supponatur, si casta est, dulcibus virum detinet complexibus, sin minus, tanquam manu pulsa è cubili proijcitur. At postquam in huius mentionem lapidis incidimus, & si maximè fama notus est, quæ de eo nouimus experimēta non iniucunda, in medium afferre duximus: nec incongruū fuerit, si huic quoque seriei connectam. Magnetem à Magnesia putat Lucretius dici, Heraclium alij ab Heraclia ciuitate, vel ab Hercule, sideritin verò, quòd ferrum trahat, nam Græcis σίδηρος ferrum vocatur: tanta enim auiditate ferrum allicit, vt demirari sæpius spectantes contingat, & ob id ab Anaxagora animatus dicitur, quòd si supra, & lateribus accōmodabis in aëre pendulū stabit, tametsi nullis idipsum rebus ab inferiori loco suffulciatur, nec supernè visibili nexu colligetur. Hinc Dinocrates Architectus Alexandriæ Arsinoës templum concamerare inchoauerat, vt in eo simulachrum eius è ferro pendere in aëre videretur: aiuntque Græci in Serapidis templi fornicibus Alexandriæ magnetem esse fixum, æneamque pendulam statuam tenebat, vt quæ ferrū haberet in capite. Nec solùm ipse attrahit ferrū, sed vim infundit, vt tractum trahens videas, hoc autem aliud, & sic virtus illa propagatur, vt sæpe decem se mutuò contingentes anuli trahantur, vt anulorum catena videatur interdum, et pertinaciùs hærēt, quàm vt auelli queant. Tanta inest trahēdi vis, quòd non solùm per contactum trahit: sed eminus multum: nā si æquilibrio ferrum steterit: nec

in reuolutionibus impedimentum habuerit, ac sub solidam tabulam palmi craßitudine moueatur lapis, moueri videbis ferrũ, & lapidem insequi: nec leues hinc eueniunt doli, vt sæpe videant mulieres motum hinc inde ferulaceum, vel cereum puerulum in phiala ab impostoribus, putantes dæmona esse, ac digito per circumscriptum alphabetum de dubijs responsa præbentem. Vel ceream nauiculam amplo in cratêre aquæ pleno remis agitantem, ac hydromantiæ speciem insimulant. Quàm mira in prodigiosæ Naturæ gremio latent? inest ei, & præstantior virtus, nam si eo ferreus obelus perfricetur, & liberum emittis æqui libratum, quasi sentiens ad meridianum dirigitur, mundi verticem pertranseuntem. Huius cõmoditate & vsu tam vasta sulcantur æquora, eo iter ostendente: Siquidem maiores nostri Solem interdiu, noctu sidera obseruantes nauigabant: non enim aliter medio oberrantes pelago mundi plagas conspicere poterant. Multi rationem huiusmodi virtutis reddere conantur, aiuntq́ue ferrum trahi, quòd ordine ad cælestem vrsam magnes multo sit ferro superior: Vel eam ad terrã descendere nequeat grauitate, idq́ue alio impedimento negetur, tunc circularis motus violentiam fugiens cum nulla alia ratione assequi poßit, quàm vt axis fiat mũdi, tali enim modo nulla cæli motus intorquetur, & sic è lapidis parte contactum ferrum ad Boream dirigens, sic quæ contrariæ in situ partes sunt in lapide, ita ferrum eo tactũ ad Austrum dirigitur. Quocirca diligẽtißimum esse oportet: nam si veram experimento non noscis lineam ab Austro ad Aquilonem, quò ab ea elongabitur, eò ad Occidentẽ, vel Orientem inflectetur. Vidimus quoque

que ad ortum, Solisque occasum moueri, à loco tactum inter hos medio: Vnde si ferrum Borealem tetigerit partem, & ad Australem admoueris partem, in Austrum abiges, & è contrario. Hinc dirimitur dubitatio, an ferrum magnete tactum, stellæ in extremitate Vrsæ caudæ, an vero loco, quo tota innititur cœli vertigo, moueatur. Hinc fortasse euenit, quòd à scriptoribus narratur, vt ferrum Australi parte fricatū, Borealem propellat, tanquam si duo fluxerint lapides, vti Theamedes, quem nasci vult Plinius in Aethiopia, in monte quodam non longè ab eo, à quo magnes dicitur, quod ferrum abigit: vt mira potius scribere curēt, quàm vera, cùm præsenti nemo inspectione viderit. Est quoque omnibus dubium, cur nauigantibus verum ostēdet cœli æquidium linea ad ortum directa, dirigat verò postea nauem, nō illi, sed ei per æquidistantem circulum. Ipse allio perunctus maximas huiusmodi deperdit facultates: quod præstantiùs in nauigatoria pyxide conspicitur: vt nautæ, qui cæpas ederint, ab eius obseruatione depellantur: inebriari enim dicunt. Nos non iniucundū casu inuenimus experimentū, vt arenā albam â nigra separet, vel alio discrimine notabilem, & fortasse experimentum hoc antiquorum fuerit, quòd magnes, & ferrum, arenam, oleum, & omne traheret. Tandem eius commoditate per longinqua interualla alloquuntur simul, & simul nunciant.

Vtrum mulier intacta, an coitu, vel puerperio maculata sit, noscendi ratio. CAP. XXII.

ALiqua huius rei experimenta attulit prisca ætas illa, aliqua verò et posterior, paratu facilia, mirandaque: vt homines visis potius sensum

negare, & se stultos fateri, quàm veritatem comprobare audeant, quiq; desiderio huiusmodi demulcentur, inuestigationis oblectatione tenentur, & doctrinam hanc auidißimè sitiunt, capiant conficiendi normam, videantque

Experimentum

Gagatis lapidis (qui frequens est nobis, quo globulos effingimus in corollis precarijs, ad numerandas vel explendas preces) rasura, vel ipse pila tundatur, ac setaceo cribro transmissus, in tenuißimum redigatur puluisculum, inde ex aqua vinóue hauriatur, si cit illicò lotiũ, & retinere nequit, corruptæ virginitatis indicium, eamq; defloruisse prodit: si viri non adhuc congressus, vel puerperium passa fuit, eam compescit, & arctiùs cohibẽdi datur facultas. N E C *minus inualidè id manifestat succinum album, seu cryſtallũ quod electrum vocant, si in puluerem redactum ieiunè ex vino sorbeatur, & ad interiora feratur, nam si carnis senserit maculam, mouet vrinam. Possumus sic expeditiùs huius rei capere experimentum*

Idem suffitu:

Si portulacæ semen, vel personatæ folia, quam vocant nostrates lapatium, ardentibus prunis insperſa, ad suffimenta substituantur, & virginitatis fumus proditor surgat, tunc infundibulo alióue instrumẽto patulo vuluæ ore sursum permeet, proijciet ex tẽplò vrinam, & mejet, nec retinere valet si veneream passa est labem: Si veneris ignara, fumum irritè recipit, vrinã tenet, et virginitas deprehenditur. Si quis autem ioci gratia, non mejere solùm, sed semen mulierem emittere volet, hoc efficito: Agallocum, quod xilaloë dicunt, ferretur,

vel

vel præcidatur, eiusque serrat[...]m viuis carbonibus affatim inspargito, ac peruri curato: recipiat fumum mulier, ac vuluæ meatus subijens, effluet latè semen, nec iniucundum erit specimen. At si aliter & mirabiliùs vltrò atque inuito vis, vt

Mulier in somnis patrata narret facinora,

Quod Democritum quoque sensisse video, magisque in mulieribus quàm viris præualet, cùm ad loquelã promptiores, & loquaciores sint: Nocte intẽpesta, vbi profundo mulier fuerit demersa somno, lacustris ranæ linguas: sic etiamnũ syluestris anatis, bubonisq́ (quia noctu loquuntur) pectori, supra cordis palpitationem admoueto, immorari sinito, & quantũ poteris interrogato, nec reiterare pertædescat, si illicò responsa non præbeat: Nanq; erumpens tandem vox cordis secreta manifestat, interrogatis omnibus vera semper responsura: simulatis carminibus aliqui euenire tradunt, cum id omni abdicata superstitione operetur. Dij immortales vnde hoc euenit, vt sic efficacißimè operetur: vt in somnis ea liberè narret, quæ vigilantes in cassum conamur? quis hoc fieri posse credat? leniter tamen ad eam accedendo, loquitur blandè, in necessarijs vtitor.

Quomodo discolores, & pulchri fœtus gigni debeant. CAP. XXIII.

MAgnus est animi effectus, vel vis imaginationis, maximus verò dum sui in excessum fertur, vt id assequi cogitatione minimè queas. Gerentes vterum mulieres, cùm auidißimè cupiunt, vehementer excogitant, spiritus immutant interiores, & in his excogitatæ rei pinguntur imagines, ij sanguinem mouent, vnde in mollißima fœtus mate-

ria rei imagines exprimunt, ſic partus in perpetuum maculis varijſque notis inficiunt, niſi deſiderio refricato quieſcant. Ideo non impunè rerum exploratores exquiſiuêre, ita ſignari fœtus, vti cogitat anima, et maximè in præcipuis actionibus, vt in maris congreſſu, ſpermatis eiectione, & alijs. Ideò homini cùm inſit cogitationis velocitas, animiq́ue celeritas, & ingenij varietas, multiformes imprimit notas: plures idcirco in homine, quàm in cæteris animalibus differentiæ: alijs enim cùm immobiles ſint animi, ſingulis in ſuo genere ſimilia procreandi datur facultas. Hanc animi vim, et cogitationis rectè nouit Iacob, vti ſacræ teſtantur literæ. Nam

Pecudes vel equos diſcolores

Progignere quærens, id efficit, quod imitari omnes iubeo, qui idem cupiunt: Ipſe virgulta, ac perticas populneas, amygdalinas, quæue facilè corticibus ſpoliari poſſunt, edolatas corticibus interſeptas, circulis redimitas & ſinuatas, vti colubros albo nigroue interſtinctas colore, in canalibus iuxta aquas, in paſcuis, & præſepibus fixit, vbi grex ouilli pecoris ſtabulabatur, & coitũ ineundo, & oculos circumluſtrando, nil niſi virgas aſpicerent, vt quos dabant fœtus diuersè eſſent colorati, & paßim candida vellera pullis infuſcarentur maculis, non iniucundum viſu: ſic lanigera omnia animalia vel vniuerſum pecus. Præualet hoc in equis, idq́ue plurimum obſeruant, qui huiuſmodi curam habẽt, & ad coitũ equas admittunt, & equilia, vbi coitum explẽt, tapetis & pannis, varijs depictis coloribus exornant, vnde diſcolores equos, ſcutulatos, ſpadices, diuerſeq́ue coloratos efficiunt. Docet quoque Abſyrtus: Equam colore

lore aliquo contegas, qualèm futuram pullationem referre vis, siquidem qualem vestitu colorem ipsi mentiuntur, in talem enata progenies degenerabit: nam conscendens equus in coitu, colorum spectaculo detinetur, qui oculis aduersabitur, & talem dabit fœturam, vt tergoris diuersitas maculis euariet, totidemq́ue visuntur colores quot in exemplo fuère, plurimumq́ue emaculato blandiuntur colore. Sic etiamnum

Pauones, reliquiúe pulli albi

Generantur: Si auiaria, vel caueas quibus concluduntur, eorumq́ue cubilia tectorio inalbentur opere, vel albis linteis & velaminibus protegantur, & exiguis cancellis præpediantur, quò minus ijs locis fugiant: rectè pauimenta sunt euerrenda, ne nisi alba penitus conspiciant: cùm coitum ineunt, excubant, ouaq́ue fouent: sic albicantem dabunt sobolem: idem in alijs facito. Hinc solerti euenit excogitatu, quonampacto

Mulieres pulchros pariant filios:

Prodidit Empedocles mulieris in conceptione visionem fœtum cōformare, nam sæpe imagines & statuas adamarunt mulieres, quibus similes fœtus ediderunt, & sæpe scriptis proditur mulieres nigros & villosos peperisse filios: & causam homines rimati, vbi multa diuexarunt ingenia, picturas in parietibus reperière ex aduerso existentes, quibus fœminæ dum venereo fungerentur munere, oculi detinebantur, eaq́ue cogitatione animus affectus, similes fœturas referebant. Vnde quod vsu venit, memoriæ mādandum iudico, & quod maximè salutare remur esse, & sæpe occurrens omnibus præcepi, vt in eorum conspectu Cupidinis, Adonis & Ganimedis effigies pendeant, vel materia parentur

tur ſolida: inde venerem exercentes mulieres, animo verſent, & fortiſsima imaginatione animus rapiatur, & grauidæ diutius contemplentur, & partus inde genitus eum imitabitur, quem ipſæ coëuntes mente conceperint: nec parùm id profuturum ſcio. Cùm id ſæpius præcepiſſem, audiuit mulier, ſtatimq́ candidum marmoreum puerum, beneq́ formatũ ante oculos ſibi propoſuit: talis enim exoptabat formæ puerum, coëundo, et vterum gerendo quàm ſæpiſsimè animo eum deuoluebat, enatumq́ue poſteà fœtum oſtẽdit mater obeſulum, nec à marmoreo ſimulachro diſsimilem, ita pallentem vt verum imitaretur marmor: et veritatis experientia patuit: aliquæ artificio ſunt laudatæ, ſucceſſuq́ fauit: Ne ſint præterea inordinati coitus, néue in latera, ſurſumq́ue fiant: pleriſque enim hoc in cauſa fuit, vt diuerſa orientur monſtra.

Monſtra quomodo gignantur, & de vi mira putrefactionis. CAP. XXIIII.

NEC ita facilior dabitur monſtra producendi modus, quàm è ſuprà dictis. Si quis autem id ſummopere affectarit, multas patefaciemus talia producendi vias. Principiò putabat Democritus, ex plurimorum commixtione ſeminum, cùm hoc antè, illud poſteà iactatum vteri partes ſubingreditur, & ſimul confunduntnr, diſsidentq́ue membris, vt biceps homo, & multimembra gignantur animalia. Empedocles autem reſponſa omnia præoccupãdo verum concepiſſe viſus eſt: Ipſe enim ob ſeminis redundantiam, aut defectum, aut ob principium motus, aut in plura diſtributionem, aut ob imprægnationẽ monſtruoſa ait animalia gigni. Straton autem ab adiectione, ablatione,

ne, tranſpoſitione, aut ſufflatione id euenire tradit. At medici quidam id vuluæ aſcripſerunt, quæ ſæpe flatu imbuta, ſubuertatur. Natura ſagax in animalium efformatione membra primùm effingit, quæ in corpore principatum obtinent, poſtea ex impendenti materie, nunc parciùs, nunc profuſiùs operatur, vt ſe ſibi ſuggerit: ſic defectu coërcita, vel redundantia ſuperata ab incepto impenditur opere, vnde partus producit monſtrifica labe affectos: vt in arte ſæpiùs perſpicitur: nunc mutilata, vt claudos, monoculos, nunc ſuperflua, vt hermophroditas, quaternis oculis, totidem brachijs, totidemque pedibus, ſic quæ fortuitò vel arte ordinantur, adiuuat ipſa, & inchoatis dat finem. Tibi autem, qui cupidus arte quadam mõſtra in lucem prodire deſideras, vt ex exemplis condiſces, multa horum trademus principia: cogitato & exoriri, quæ conſequi poßibilia fuerint: ſubſcribet enim natura votis, opereq́ delectaberis, eaq́ euenient quæ nunquam putaueras, anſamq́ præbent conficiendi, quæ vetitæ deſcriptionis, & potius admirandi, quàm profani ſunt operis. Exuperantia primò, quonam fiat modo

Pullus gallinaceus quaternis alis enaſcatur, quaternisque pedibus,

Quod docet Ariſtoteles: Oua illa ſeligito, quæ bina cõperies retinere boleta, pellicula quadam non tenui intercurſante, ſed albumina cõtinuentur, quæ fœcundiores ſæpe gallinæ aſſolẽt párere, ex magnitudine cognoſces, patetque intuentibus ſoli exponendo, exuberante iam materia productum, ex plurium ſeminum commixtu, ſemenque habeat pullorum, glocienti gallinæ iam excubãda ſupponas, vt ſuo inſeſſu foueat ea, elapſo iam debito

debito tẽpore tales excludet fœtus, pedibus, alisq́ quaternis, curabis vt commodè educentur. Si autem membrana disterminabitur, gemini discreti pulli generantur, sine vlla superuacua parte. Sic enim & biceps nascetur serpens, & animal omne quod ouo excluditur: si tale euenerit non mediocris erit admirationis: sæpius enim monstra in prolificis animalibus & multiparis, quàm in minus fœcundis, & in perfectioribus animalibus, in alijs verò facilitas generationis præualet: vnde in vilioribus animalibus faciliùs monstra prodeunt quàm in nobilibus. Sic quoque aliter generare possumus

Animal è diuersis commixtum,

Quod facilè eueniet, vti de fructibus docuimus: sed hoc pacto rem aggredieris: Animalia quære multipara, id est, quæ plures edãt vno nixu fætus, et quæ maximè salacia sint, & in quibus vincat coëundi volũtas, mares fœminis obsequia sollicitent, commisceri inter se curabis, quibus par quoque sit corporis magnitudo, gestationis tempus æquum, vel sanè non longè diuersum, sic ex alienigenorum inter se animalium congressu, diuersa prodeũt semifera monstra, multiplici naturæ varietate. Ex lupo enim & cane generatur fera, quæ crocuta dici solet, producendiq́ue eius modum docet Aristoteles. Læena cum pardis coit, vnde ignobiles generantur leones, non iubati & maculosi fœtus, vt refert Philostratus. Cum pantheris quoque coëunt lupi, sic animal gignitur bigenere, quod Thoes dicitur, maculosa pelle pantheram refert, facie autem patrem, quod tradidit Oppianus, sic vulpe, lupo, & tygride, simia, leone, & similibus, vt crebro græcè dici soleat, semper noui ali-

ui aliquid Africam afferre, ob aquæ enim inopiam egestatemq́ siticulosis in regionibus, è longinquo coguntur bibendi gratia in vnum congregari, vt, aut voluptate ad commiscendum cogente, & inibi è varia seminum mixtura, varias subinde animalium nasci formas, nec tales fœtus Africæ regionibus tam prodigiosi habentur, cùm familiaris sit incolis eorū partus, in nouis igitur procreandis exemplis vtitor. ITEM in Aeliano legi, apud Sybarin pastorem fuisse nomine Crathin, qui cùm capellam omnium formosissimam deperire cœpisset, & libidinis œstro acriùs excruciaretur, eandem mirè inibat, ac vti amicam amplexabatur, nō citra suauiationem crebram, idemq́ue capellarius amator, pabulum lætius amœniusq́ue obijciebat, vt illi suauior fieret anima, inde ex concubitu brutino natum ferunt infantem, cruribus matrem qui referebat, facie autem patrem. PVLLVS autem è diuersis commixtus sic eueniet: Marem palumbum cum gallina coire curabis, pullusq́ue emerget non iniucundus visu. Sic quoque è perdicibus, gallinis, phasianis eueniet, diuersisq́ue accipitribus & pauonibus. Dabit mixtum fœtum gallina, sibiq́ue similem admodum, eiq́ue, quo prolificum acceperit semen. At si defecerit matrix, sic dabitur

Ouorum excubatio citra gallinam,

Vt docet Democritus: Columbarum vel gallinarum stercore tuso, atque in cerniculo subtiliter succreto, obruantur oua, non irrita tamen, ne simul collidantur, substratis eorum pennis, & circumpositis cubilia extruantur: turbinatior ouorum pars sursum vergat, & vicenis quaternisq́ue horis, alternis vicibus innouato circum-

circumuoluendo, ut æquabiliter concalesiant, sic effœtæ efficere sunt solitæ, loco calido & tepente seruentur: ubi bis deni dies elapsi, & completi fœtus, & pulli rostrelis oua percudere inceperint, ausculta num pipiant, sæpe enim propter eorum putaminum crassitudinem erumpere nequeunt, uel rimis fatiscunt: testas tollito, & gallinam inducito. ET *si collibuerit aliter potes: Oua tepido demergas fimo, senisque diebus recens subijcito, ne senescat sed tēpore suo foueat, & gallinæ calorem imitetur, uertendo semper, donec excludant, qui quæruntur pulli. Sic & tepente clibano.* SI *quis cognoscere affectarit marem progigni an fœminam, sic cognoscet: Aristoteles ait, & probat Auicenna ex orbiculari breuique ouo mas, ex oblongis acutisque fœmina progignitur: & suffragatur ratio, nam uirtutis perfectio in masculis ouis æqualiter abit, & continet extrema: in oblongis à centro longiùs abit materia, in quo est uitalis calor. Nec inficior artificio ingenioque enasci posse*

Animal viſu & tactu inficiens,

Ac si regulus uel catoblépa esset: cauetoque qui producere tentas, ne in te periculum recidat, quod facilè euenturum iudico, si illicò nefanda lues in lucem prodiens, ui tabidi aëris matricem interfecerit: Fœcunda mergite oua, ubi arsenicum, uel serpentum uirus eliquaueris, uenenaque cætera mala, per dies aliquos immorari sinito: ualidiùs operatur intus, si ritè apposueris, glocis subijcienda curato, manibus ne conquasses, ne inutile perdas, quod præualiturum speras. Nec dabitur occasio maior monstra producendi diuersa, quàm ouis: & huiusmodi sæpe gallinæ partus inter cætera efficiūt,

atque

atque etiam ex ſe fiunt: Ideo Leontius ferri laminam aliquam, clauorum capita, lauriq́ue ramulos, vbi nidiculantur afferre iubet, ne prodigioſos & monſtruoſos edant partus. Fimo commodè vti poſſumus, eſt enim naturali calori ſimillimus, nec ſpernendam retinet putrefactionis vim, mirabilium rerum parens: totq́ genera ex putrefactione animalium proueniunt, quot ea, quæ putreſiunt: quod ſi quis recte conſiderauerit, & mente perpenderit, non minimum eliciet ſecretorum principium. Hæc tamen mirabilia viſa ſunt. Menſtruatæ enim mulieris

Capilli in ſerpentes,

Et vermiculos vertuntur fimo obruti, et tempore iam modico. Nec minus putrefactus è mēſtruorum ſanguis rubetas ſiue ranas generare poteſt, facilè enim corrumpitur & conuertitur, & ſæpe mulieres ex eodem cum humano fœtu bufones, lacertos, & iis ſimilia generāt. Et Salernitanas legimus mulieres conceptionis principio, cùm fœtus viuificari debent, tale animal apii & porrorum interficere ſolent ſucco. Cùm mulier quædam præter opinionem prægnans videretur, fœtus loco quatuor animalia ranis ſimillima peperit, & ſæpe tali cauſa abortiunt, cuius monſtroſæ conceptionis, non eſt alia (credo) putanda cauſa. Ex corruptione quoque humani ſeminis, veluti vermes in inteſtinis. Alcippe elephantem peperit, & ancilla inter initia belli Marſici ſerpentem generauit. NEC *equorum minus è cauda ſetæ aquis iniectæ, animam recipere, & viuificari videntur.* TVSVM *ocymum inter lateres humido loco Soli expoſitum ſcorpiones generat, quanquam Galenus neget.* ET *combuſtæ anatis puluis, ſi humido inter patinas*

nas seruetur obrutus loco, ingẽtem & maximam mirè generat rubetam. Faciliùs autem rana procreari potest illicò, si earum cernatur ortus, non enim illas dico, quæ legitimo naturæ ordine, scilicet ex coitu, in aquis suos natales habent, sed quæ per se nascuntur, & temporariæ dictæ sunt: & æstiuo tantùm imbre littorum & itinerum pulueruleutis arenis generantur, earumq́ue breuis est vita: vel sæpe ventorum ira, altis montium iugis sæuientes, attollitur puluis, aquisq́ue mixtus, non solùm in ranas, sed in lapides cogitur: ranis enim aliquando pluisse author est Phylarchus, & Heraclides Lembus, circa Dardaniam & Pæoniam idem euenisse tradit, idq́ue tam copiosè, vt domus & viæ replerentur. Et Aelianus cùm ex Italia Neapoli Puteolos iter faceret, ranas perspexit, quarum pars quæ ad caput pertinet repebat, & duobus pedibus agebatur, altera nondum conformata, concretioni limosi humoris similis trahebatur, & ex eodem corpore pars altera viuebat, pars altera tellus erat. Narrat Macrobius in Aegypto quòd ex terra & imbre mures nascuntur, & in alijs locis ranæ, serpentes, & similia, vnde facilis est earum procreatio. Quidam enim cùm spuisset, ex sputo statim rana creata est, et Daumatus Hispanus, quotiès libuerat ranarum maximam ilicò producebat copiam. Sic verrinum & scrofarum ex coitu exceptum virus, & sanguinosum modo iam dicto, ineunte Sole capricorni principium, vt piscis exitu eijciant, dum affatim lacte & micis saturentur, subantes: perceptumq́; illud quod apriam vocant, quod idem est, quod equis hippomanes, vitreo sub fimo vase conditum, & operculatum, ne surgens calor euolet, aliquibus lateat diebus, perceptumq́;

opus

opus plumbea conditum pyxide erit vsui: qui id rectè nouerit componere, non vulgare cernet experimentũ. Si quis verò curiosius, quam par sit, noscere concupiscet, quam nouimus rationem experimento fimo & mirabilem admodum mandragoram producendi. Sic enim humanam feram ex ouo enatam fœneratitia iam nomenclatura vulgò appellari cœpisse audio, si cui collibuerit, & is ad exemplar gallis spermatis in ouo humanum & vitale asperserit virus, operculo coërcito. ne fœtuosum calorem coërcitum suspiret, efferet semiferum animal, hinc humanam, hinc verò vernaculam gerens formam. Nec negat id Auicenna, si occasio dabitur, alibi paulò vberiùs: sat sit normam & fieri posse demonstrasse. Pleraque & maiora iam omittuntur, apud inscios & plebeios fide penitus caritura. De partu monstruoso, deque producendi per fimum vi hæc dicta sufficiant.

De Lyra, & miris quibusdã eius proprietatibus.

CAP. XXV.

N*Onnullas in se vires Lyra retinet proprietates, & animaduersiones, quas in medium afferre operæprecium duximus: quanquàm nõ lateat gregarios & sciolos fidem non habituras. Etsi eorum aliquis hæc nostra putet delyria, arcanarum tamen literarum cultoribus me summoperè placiturum scio, quique naturæ miris peruestigandis, animum penitus addictum habent, ignota non scribo. Rythmos & modulos in hominibus posse certum est, nec tam immite & efferatum esse cor, quin coaptis modulis, & cantilenis animum delinientibus remittatur, contrà indecentibus & incõcinnis angatur & restringatur. Carmen*

men prodit Musæus dulcißimam rem mortalibus esse: & à Platonicis dictum animaduertitur, à musica mulceri omne quod viuit, plurimiq́ue visuntur effectus. Remugiunt in bello tympana, vt sint hortamenta, & torpentes suscitent, & ijs similia ab antiquis factitata reperiuntur. Timotheus musicus quoties libuerat Phrygium modulabatur cantum & Alexandri animum, sic accendebat, vt efferatus ad arma curreret, cumq́ue aliter voluisset, mutato animositatem exhauriens, segnem efficiebat animum, & remollitum ab armis ad epulas, & conuiuia trahebat: & Plutarchus ait: Cùm ipse audiuisset Antigenidam tibia modos incinentem, qui vocantur Harmatij, adeò inflammatum se esse, vt simul cum armis exurgẽs manus iniecerit in proximè aßidentes. Refert Cicero Pythagoram adolescentem quendam Taurominitanum, vino madidum, ac meretricio amore irretitum, cùm riualis comburere domum quæreret, qua detinebatur scortum, Phrygio modo concitatum, spondæo resonãte pacatum, & mitiorem reddidisse. Idemq́ue aiebat: Si tybiarum cantu impulsi adolescentes facinus aliquod aggrediũtur, tibicina spondæum canente distrahuntur, vt modorum grauitate eorum furens petulantia consedetur. Empedocles cùm eius hospitem, iurgijs, & conuitijs quidem laceßitus inuaderet, canendi retorsit modum furentisq́ue iram temperauit. Theophrastus ad compescendas animi turbationes, musicos fertur adhibuisse sonos. Et Agamemnon è patria discedens, ad Troiam profecturus, de Clitemnestræ dubitans pudicitia, citharœdũ reliquit, qui sono illam adeò ad cõtinentiam & pudicitiam incitabat, vt Aegystus non nisi occiso citharœdo ea frui potuerit.

potuerit. Thracius Orphæus citharæ incentionibus efferatas gentes saxi instar nulla ratione molles inflexerit. Arion citharœdus rationis expertes delphinos sibi conciliauit, vt demersum sospitem in littus duxerint. Teneros infantium sensus permulcet sonus, & crepitaculis vagientes acquiescunt, & ipsi conticescunt. Vnde Crisippum proprium nutricibus fertur carmen ascripsisse. Elephantes ait Strabo tympanis allici, seruis sonis detinentur, & modulato carmine capiuntur, cygni hyperborei cithara & cantu conuincuntur, auiculæ fistulis irretiuntur, & pastoralis fistula pastu progressis quietem imperat gregibus. Immò vulnera, et morbos, (quod multò mirabilius est) modulis prudens consolata est vetustas, vt ex historijs percipitur. Terpander atq; Arion Methimenæus Lesbios & Iones grauibus morbis curauêre. Asclepiades medicus turba surdis medebatur, cantuque populi seditiones compescuit. Hermenias Thebanus Boëthiorum pluribus coxendicum dolores melodijs abstersit Xenocrates organicis sonis lymphaticos curauit. Thales Cretencis cithara pestilentiam fugauit, & ægrorum venas Herophilus musicis pensiculabat numeris, sic affectibus singulis singulas adhibuêre prisci melodias, vti Dorica prudentiam castitatem, & doctrinam largitur, Phrygia pugnas excitat, furorem inflammat, quod efficit & tibia: ideo Aristoxenus in fabulis quod Dorica efficere non valuit, ad Phrygiam deuenit harmoniam, quæ illis congruebat. Lydia intellectum acuit obtusis, terrenoque grauatis desiderio cœlestem inducit appetentiam, ab Aristotele in Politicis traditum. Nonne Lacedæmonibus fertur repudiatum pridem fuisse cromaticum genus, quod ni-

mium audientes effœminaret? & ijs similia, vnde nō à ratione alienum reor, si simplici id accidat lyra, citharaue, quod verò arte ingenioque confectis euenit magis mirum, nemo est qui negare possit. Ideo

Lyra somnum concilians

Proditur, & à multis quoque expertum est, dulci suauique vt id eueniat harmonia, fiat igitur sic: E lignis materiam parato mitioribus, vt suauiorem efficiat & remissiorem modulationem, vti abiete & hedera ex vno inferior, ex altero superior compegitur pars, fides è tyris & serpentibus conficiendæ, sed ex intestinis, vel membrana spinalem medullam contingente, quam erues flumine currenti, capiteque suspenso, reliquum macescat, ijs fidiculam accommoda, cytharamue, quæ vbi digitis pulsata intonuerit, blandum, mollem, nec inamœnum efficit sonitum, gratumque audientibus conciliat soporem, vt inuito claudent oculos, non miti somno. Quod mirum hoc videri non debet, si id quoque Pythagoricos effecisse fertur, vt cùm diuersas resoluere vellent in somno curas, quibusdam cātilenis vterentur, vt leuis & quietus irreperet somnus, & experrecti statim cubili exurgentes quibusdam modulis alijs stuporem, somnique confusionem purgarent, ad subeundum munus aliquod. Aeolio euenire tradit, quòd animi tranquillet tempestates, somnumque pacatis tribuat. Est & aliud mirabile valde, quod eius sonitus fertur præsens atocium: dum enim per aures ad animum delabitur, vnde ab eius sonitu expellantur, credentium arbitrio relinquatur: neue hæc aliquibus offendiculo sint, consultius fuerit omittere. Hæc autem de vulgari accipies experimentum

Lyra

Lyra, quæ pulſata alteram eiuſdem toni recubantem moueat:

Tendantur in vnum nerui, & ad idem & perfectum perueniat vnaquæque melos, ſi grauium vnam pulſabis digitis, altera roboat, & mouetur grauis in ea, ſic acutarum: debita tamen approximatione: ſi id maximè non fuerit conſpicuum, paleam ſuprà inducito, & moueri videbis. Suetonius autem Tranquillus in libro ludicræ hiſtoriæ, neruos ait in fidibus brumali die alios digitis pelli, alios ſonare. Hinc quiſpiam poterit ignarus ſoni lyram accommodare: ſi æquè tenſa altera, & ad harmoniam ducta requieſcat, alteram manibus intendendo, & relaxando, & pulſando quouſq; quieſcentis neruus moueatur, eiuſdem toni ſignum: ſic in cæteris. Si verò vt

Lyræ ſurdus audiat ſonum

Vis, vel manibus aures obde ritè, ne ſonum audias, tunc capulum lyræ, vel cytharæ mordicus prehendito, pulſet eam alter, & concinnum in cerebro dabit ſonum, & fortaſſe ſuauiorem: Nec ſolùm capulum dentibus captans, ſed longiſsimam haſtam, quæ lyram tangat, et per eam clarè auditur ſonus, diciq́ue poterit non auditus ſenſu, ſed guſtu percipere. Remanet hoc, quod haud quaquam inamœnum reor, vt

Lyræ, citharæ, aliaq; inſtrumẽta vẽto pulſentur,

Hoc ſic perficies: vbi vaſta fuerit ventorum procella, è regione aduerſantia accommodabis inſtrumenta, vti citharas, tibias, ſambucas, fiſtulasue: adueniens enim ventus impetu ruit, leuiter pulſat, & hiantes calamos percurrit: vnde ex omniũ ſonitu vicinis auribus ſuauiſsimum percipies conſentum, & lætaberis.

Insomnia clara, & iucunda, obscura, meticulosáque inducere. CAP. XXVI.

Cibus ex concoctione (quod pro explorato haberi debet) in vaporem soluitur, tabescitque, quem caliditate iuncta in leue desciscere par est: cumque natura in sublime feratur, aliquatenus attolli, & in cerebrum per venas redundare, vbi natura cerebri perpetuo obrigens rigore, adinstat imbrium generationis, vt in maiori mundo sæpe visitur, fit humificus, & nebulescit: sic intestina reciprocatione denuò redditum incapescit, & ad cor defertur principis sensus domicilium: interim caput opplet, grauedinosum reddit, vt profundo demergatur somno: Quòd si noctis conticinio magis soporari contingit, imagines descendendo aliorum occursu, interpollantur: vt præposteræ monstruosæque videantur: Si matutino vbi excrementitius, fœculentusque sanguis, à puro, & frugi discretus & ipse refrixit, & deferbuit: meracæ, obsolutæque visiones demonstrantur, & gratæ. Non ergo irrationabile duximus, cũ immoderato tumefacta potu, virtus sopita langueat & natura edulij vapores attollantur, & ex ijs, quæ corpore abundant, in somno exultari, & immoderatè iactari, vt diuersa incendia, tenebræ, grandines, putredines: ex flaua atraque bile, frigido putridoque humore. Sic aliquem trucidare, vel impiè cruentari, sanguinis abundantiam habere. immò temperiei eiusdem præsagituram elici posse Hippocrati & Galeno placet. Vnde cibis vescentes flatuosis, eorum vi salebrosæ imagines, monstruosæque, qui itidem attolluntur, si tenues, modicæque exhalationis, gratis animum exhilarant simulachris, & incolumes

lumes videntur. Sic extrinſecus applicando ſimplicia, ſecum illius rei phantaſmata infecta ſenſum principi deferũt: arteriæ enim noſtri corporis (inquit Galenus) ad ſe intus quodcunque trahunt, proximè circundans eas, dum continuo dilatantur, ſic ea ſomniemus, quæ præoptabimus. Vt non minus peruigiles, quàm ſoporantes lætemur, en

Somnia gratia excitandi ratio.

Cœnæ ſomno, cùm cubitum pergimus, ſi leniter mandimus hippogloſſum, melyſophyllon, quam alij citraginem vocant, iisq́ue ſimillima, conſopiti varijs illudimur imaginibus, quibus lætiora non percuperet animus, agros, viridaria, arbores, flores, terram in virorem conuerſam cernet, vmbroſis operculis opacatam, ac denique oculos circumluſtrando, vernat vndique mundus, & arridet. Vel eleoſelini ſucco, populnearum nouellarum frondium, acori vulgaris, ſolani hortenſis, ſtramonij, aconiti, maximeq́ue viridantium tempora perunxeris, collum vel iugulum, per quem venæ aſcendunt ſoporariæ, loca vbi maximè venæ ſunt conſpicuæ, manibus, pedibusq́ue. Confert & iecur perungere, nam à ventriculo ſurſum euaporando, permeat ſanguis ad iecur, à iecinore ad cor ſubit: ſic reciprocantes tinguntur vapores, eiuſdemq́ue coloris imagines referentes. At ſi quærimus

Somnia obſcura & tumultuoſa:

Fabas edimus, quia ſiccæ & flatuoſæ, & ideo à Pythagoricis abhominantur, quòd talia pariant inſomnia. Pleroſque legiſſe memini, à fabis abſtineto, eiusq́ue vſum interdixiſſe, & fere legumina omnia, phaſeolos præcipuè quos ſmilaces vocãt hortenſes, lenticulas, craſ-

sum & melancholicum humorem excitantes, allia, cæpas, capitata porra, braßicam inter olera, raphanos, & tandem radices ferè omnes: inter hæc vinum, quia spirituosa, vapurolentaq; sunt, inflationem, calidum, mordacem, & noxium humorem parientia, insomnia ingerunt, in quibus phantasmata deluxata, laceßita, tortuosa, turbida. Sic per aëra delatus, maria, fluentaque transnare videberis, ciuitates multas lustrare, casus, mortes, tempestatũ sæuitiam, nubilos dies videre, imbres decidere, Solis fulgorem infuscari, cœlum hyemare, ac non nisi meticulosa omnia demonstrari. Sic prædicta loca illiniendo fuligine, vel omni adusto, acetoque (quod ideò addimus, vt penetrandi vim medicamentum adsciscat) ignes, incẽdia, fulgetra, corruscationes, & omnia tenebris inuoluta. Nec silentio præterierim postquàm in horum sermonem incidimus, huic addere seriei, quæ fortasse iuuerit meminisse, vsuique fuerit legisse. Si velimus

Idem suffitu edere, & aliter,

Sic sæpe factitare solemus: Interfecti vi recenter viri calcaneum in puluerem redigimus, cui magnetis parum addimus, porro simul commixta, si accensis carbonibus inieceris, vt locis pluribus fumus domicilij culmina petat, dormientes laruarum occursaculis, deterrimus spectris, horribilibusque afficies. S I C *quoque si dormientis capiti viuæ simiæ nuper extractum cor supposueris, non nisi feras in somnis cernet, & ab eis dilaniari, vt terriculamenta, & timorem incutiant magnum.* I D E M *præstabit oniches si collo ligaueris. Sed adeò dira cupido hominum mentes inuasit, vt quæ natura mortalium commoditati elargita est abutantur,*

vt

ut multis horum simul coaceruatis componant

Lamiarum unguenta,

Quæ quanquam ipsæ superstitionis plurimum admiscent, naturali tamen ui euenire patet intuenti: quæque ab eis acceperim referam. Puerorum pinguedinem ahæno uase decoquendo ex aqua capiunt, inspissando quod ex elixatione ultimum, nouissimumq; subsidet, inde condunt, continuoque inseruiunt usui: cum hac immiscent eleoselinum, aconitum, frondes populneas, & fuliginem. Vel ALITER *sic: Sium, acorum uulgare, pentaphyllon, uespertilionis sanguinem, solanum somniferum, & oleum, & si diuersa commiscent, ab ijs non parùm dißidebunt, simul conficiunt, partes omnes perungunt, eas antea perfricando, ut rubescant, & reuocetur calor, rarumque fiat, quod erat frigore concretum: Vt relaxetur caro, aperiãtur pori, adipem adiungunt, uel oleum ipsius uicem subiens, ut succorum uis intro descendat, & fiat potior uegetiorque: id esse in causam non dubium reor. Sic non illuni nocte per aëra deferri uidentur, conuiuia, sonos, tripudia, & formosorum iuuenum concubitus, quos maximè exoptant: tanta est imaginationis uis, impreßionum habitus, ut ferè cerebri pars ea, quæ memoratiua dicitur, huiusmodi sit plena: cumque ualde sint ipsæ ad credendum naturæ pronitate faciles, sic impreßiones capessunt, ut spiritus immutentur, nil noctu diuque aliud cogitantes, & ad hoc adiuuantur, cùm non uescantur nisi betis, radicibus, castaneis, et leguminibus. Dum hæc pensiculatiùs perquirendo operam nauarem: ancipiti enim immorabar iudicio, incidit mihi in manus uetula quædam, quas astrigis auis nocturnæ similitudine*

striges

striges vocant, quæque noctu puerulorum sanguinem è cunis absorbent, sponte pollicita breuis mihi temporis spatio allaturam responsa: iubet omnes foras egredi, qui mecum erant acciti testes, spolijs nudata tota se vnguento quodam valde perfricuit, nobis è portæ rimulis conspicua: sic soporiferorum vi succorum cecidit, profundoque occubuit somno, foris ipsi patefacimus, multum vapulat, tantaque vis soporis fuit, vt sensum eriperet, ad locum foras reddimus, iam medelæ vires fatiscunt, flaccescuntque, à somno seuocata, multa incipit fari deliria, se maria montesque transmeasse, falsaque depromens responsa, negamus, instat, liuorem ostendimus, pertinaciter resistit magis. Sed quid de eis sentiam? dabitur aliàs narrandi locus, ad institutum nostra redeat oratio: satis enim polixiusculi fuimus. Hoc præterea præmonendum censeo, ne facilè experientes dilabantur, non hæc æquè omnibus euentura: sed inter cæteros melancholicis, cùm natura præalgida, algiosaque sint, eorumque vaporatio multa non sit: rectè enim quæ vident percipiunt, & referre possunt.

Quomodo amor conciliari possit, deque rebus amatorij medicamenti vim retinentibus.

CAP. XXVII.

N*Ostrum fuit ab operis initio constitutum, omnia tantum naturaliter operari, & presertim, quæ magorum operibus impiorum eueniunt, ad eorum scientiam penitus pessundandam: mortalium enim mētes his laqueis, & errorum inuolucris irretunt, cùm hominum pars magna huic insistet, ac*

fallaci

fallaci ipsius illecebra multos diuexari videam, admiratione animos capi, & ingenia ipsa ad perniciem elabi, que eleuata, ac discendi cupidiora sunt. Nos quæ ijs poterimus amorum illicia recensere non pigebit, à naturæ postliminio minimè discessuros: quæso legentes boni consulant. Vt igitur exordiamur, scitu iam dignum est, quod aliò non intenditur hominum mens, nisi vt hominum mulierumúe animis amoris igniculos accendere eos mitiores reddere, nostræque voluntati optemperaturos nititur, cumque rebus eueniat, in quibus efficiendi potestas latet, ijs vtamur: quorum aliqua à maioribus tradita, nobis experientia comprobata, multaque recentiorum industria comparata sunt: & primùm Hippomanes, antiquitus ad sidera laudibus elatum, quanquam non defuerint, qui adstruxerint, muliercularum figmenta, & deliras esse fabulas, demonstrationibus fortasse addicti, nec prodigiosis naturæ miraculis, abditisq; causis fidem adhibentes: quibus euidens experientia refragatur. Quod duplex statuunt, vnum virus, ex equarum obscenis distillans, libidinis furore nimio obstimulatarum: noster in Georgicis Poëta sic cecinit:

Hinc demũ (Hippomanes verò, quod nomine dicunt
Pastores) lentum distillat ab inguine virus,
Hippomanes, quod sæpe malæ legêre nouercæ,
Miscerique herbas, & non innoxia verba.

Vnde apud Tibullum.

Hippomanes cupidæ stillat ab inguine equæ.

Nec instituto inefficax, eiusque vsum alibi tradidimus, & vires cùm poposcit locus: alterum autẽ caricæ est magnitudine, specie orbiculatum, latiusculũ, colore

iam

iam nigricante, fronti nascentis pulli adhæret, statimq́; fœta partu edito, secundas deuorat, & laborum oblita perlambendo, & abstergendo eum conuellit, hippomanes appellatum: quod si quis præripuerit, ad vbera partum non admittit, odit, & alienum tanquam à se fugat, nunquam amatura: quod idem rectè sensit in Aeneidos vates:

Quæritur, & nascentis equi de fronte reuulsus,
Et matri præreptus amor.

Merito ergo ex carne illa amorem creari, & illius esse irreticulum non absurdum putârunt, amatoriumq́; innasci veneficium. Et vt tradit Pausanias, nec Aelianus omittit, tantam in eo vim nouit Olympiæ Phormis Arcas quod illo æri mixto, & effuso equam posuit, abscissa cauda, vbi Hippomanes incluserat, fabrica non tam accurata, vt ex ea equi catenus fallerentur vt tantopere ad illius conspectum furijs stimulari deberent: Sic enim eos alliciebat, tantaq́ue insania ducebantur, vt ruptis frenis, in ipsam violètiùs, quàm in pulchram equam & viuam insilerent. Neque enim quod vngulæ, cùm æreæ statuæ hærent, lubrico lapsu elidantur, idcirco coitum desperant: immo ardentiùs multò hiante ore, imminenteq́ue adhinniunt, neque prius quàm flagris & magno ductorum robore abstrahantur, ab æreo simulachro depelli possunt. Vnde nomen veneno inditum ἱππομάνεσ, quod equinæ cupidinis similitudine, hominibus amores inducit, & effrenatè furere in Venerem facit. Traduntq́ue non minimæ authoritatis viri, quod hoc cognitum pènitus pastores habent, & si amatorias alicui insidias parare velint, vt amoris flamma conflagret, & cupidinis tabe amatæ mulieris torqueã-

tur,

tur, & intereant, callidè equam, quæ ventrem gerat, parituram obseruant, statimque à partu præreptum hippomanes habent, & in equæ vngulam optimè conditum seruant, vt egentes in pollinem ritè redactum insidijs esculentis, vel poculentis immisceant & animum efferatum mitiorem reddunt, & fomitem amoris inducunt, ceu lasciui iuuenes veris assolent initio, continuo paulatimque concrescentem, & adeò ad amoris cupidinem inflammant, vt ad omnem hominum ætatem libidinis oculos adijciant, sic excremento aliquo coarctant, & in eum animum inclināt, cuius substantiam combiberint, & mutuum reciprocumque reddet amorem. Erat & echeneis veteribus veneficijs infamis. Sic hyænæ vulua sinistro lacerto religata, si quis mulierem inspiciat, amatorium esse tam præsens, vt illico sequatur: id verum ne fuerit an falsum affirmare non ausim, ne quos reprehendimus, imitemur: difficilis enim hic esset, & penè impossibilis eorum captura. Docēt & ALITER si libuerit huic simillimū componere, vt multorum exemplis noscere discant.

Animalia respiciendo, quæ maximè in amore furiunt: vti passeres, & columbæ: sed commoditatis gratia in catulis exemplum detur: Ligetur catella semestris, vel annua, cùm ostendit se maritari velle catulo, veris principio: eo enim anni tempore conceptum sitiunt maritum, cuius desiderio hiant: ita ligentur arctè, ne conscendant, & aptè accommodentur, ætatemque habeant coëundi, cibos posteà opiparè exhibeatur, vt spermatis vbertate luxuriæ desiderio conflagrent, cùm catulire desiderant feruentique fuerint animo, furientes & vociferātes, præcaue ne ad coitum admittas, vt violentiùs

tiùs inferantur. Cùm cognoueris in summum luxuriæ gradum fœminam peruenisse, vt genitalia pruriant, inflentur, turgeantq́ue, quod diei spatio eueniet, iugulant, eaque decerpunt membra, vbi maximè huiusmodi desiderium insidet, & cùm carnem gustauerint proiecta amatoria libidine constrictiùs tenetur, vt vociferet & perbachetur, poculisq́ue deuicta mens, libertate amissa Veneris insania exagitatur, vt extabescat corpus. Multa præterea sunt, ex quibus pauca meminimus tanquam suffectura. Satis enim diximus, & si vera dixisse pertesum est.

De Fascinatione, & quomodo per eam illaqueari possit, & fascinationis amuleta.

CAP. XXVIII.

IAM de fascinatione est differendum, quiq́ue effascinatores fuerint, nec silentio prætereundū: nam si nobis priscorum monumenta percurrere libeat, comperimus huiusmodi multa posteritati prodita iam esse, cum noua recentioris æui euenta, antiquæ famæ non prorsus vanæ suffragentur. Nec histor ijs fidem derogare opus esse censui, si veras rei causas validis rationibus aptare nequimus: præterea cùm pleraque sint peruestigationem penitus summouentia. Quod autem ipse ex alijs operationibus senserim, in medium explicandum duxi: multa apud Theocritum & Vergilium reperies, vnde

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Isigonus & Memphrodorus in Africa terra familias quasdam produnt voce & lingua effascinantes, quæ si impensiùs fortè, quàm liceat admiratæ fuerint, vel laudauerint pulchras arbores, lætiores segetes, infantes

amœ-

amœniores, egregios equos, pecudes pastu vel cultu opimas, arescere & emoriantur repente, hæc omnia nulli aliæ causæ obnoxia: quod Solinus quoque scriptum reliquit. Idem Isigonus Triballis, & Illirijs eiusdem esse generis qui pupillas binas in oculis habeant atque visu exitialem effascinationem faciant vt interimant quos diutius intueantur, iratis præcipuè oculis tam nocenti visu sunt: & impuberes maximè noxam sentiant. Huiusmodi fœminas in Scythia esse, quæ vocantur Bithiæ tradit Apollonides Philarchus in ponto Thibiorum genus alterum, multosque alios eiusdem naturæ, quorum notas dicit in oculo altero pupillam geminam, in altero verò equi effigiem esse: quorum meminit quoque Didymus. Nec dissimilis generis Damon prodidit pharmacum in Aethiopia, cuius sudor tabem contactis corporibus afferat, ac fœminas quoque omnes visu effascinare patet, quæ duplices pupillas habeant. Cicero quoque de ijs scribit, sic Plutarchus & Philarchus effascinatrices gẽtes Paletheobcorum pontum incolentes non pusionibus modò, quorum habitus sit imbecillis, sed adultis, qui solido concretiorique constant corpore, pestillentes esse, & intuitu, soloque habitu in morbos languere, quos perimant, & in tabem resoluant: nec solum qui continuo, sed hospites, & qui eorum commercio alienissimi concutiuntur, tanta oculis vis: & fascinum quanquam per contactum, & miscellam iniatur sæpe, per oculos tamen perficitur: vti exterminatio quædam per spiritus per oculos ad fascinati cor deueniens, totumque inficiens: Sic enim euenit, vt adolescens subtili, claro, calido, dulcique sanguine præditus, tales det spiritus, cùm à

cordis

cordis calore à puriori ſanguine exoriantur, quia leuiſſimi in altiori corporis parte perueniunt, & per oculos procidunt, & iaculantur, qui maximè foraminoſi & venulenti ſunt, omniumq́ue partium nitidiſſimi: & cum ſpiritu ipſo vnà vis quædam ignea radijs emittitur, vt rubentes oculos, & lippos ſpectantes obuios, ſimili cogantur laborare morbo: mihiq́ue accidens detrimentum attulit: inficit enim aërem, qui infectus alium inficit, ſic oculis proximus vnà ſecum vaporem corrupti ſanguinis deferens cuius contagione ſpectantis oculi rubore ſimili afficiuntur: Sic adimit lupus vocem, ſic regulus vitam, qui aſpectu venenum excitat & radijs virulentos infigit ictus, cum ſpeculo autem, reciproco iaculatu in ſui authorem retorquentur. ſic immundæ mulieris intuitum reformidat politum ſpeculum, vt affert Ariſtoteles, eiuſq́ue aſpectu ſordeſcit, & fulgor hebetatur: quod euenit. quia ſanguineus vapor in ſpeculi ſuperficiem propter terſitudinem in vnitatem coit, vt quadam eluuiecula operiatur, & clarè demonſtretur: immo ſi nouitium ægerrimè elues, quod ideo in panno vel ſaxo non euenit, quia in illo ſerpit, & in profundũ deſcendit, in hoc verò ex partiũ inconcinnitate diſsipatur. At ſpeculum quia pertinax obſtat, quia terſum infractum reſeruat, quia frigidum coacto aëre guttulas gignit: tali ferme pacto ſi in clarum vitrum reſpires, facies ſaliuæ roris aſpergine rigatur, tenuiſq́ue euolans pars in ſaliuam relabitur, ſic ex oculis radiorũ profluuium, qui ſpirituum vehicula, ad occurſantis oculos perueniens tranſuerberat, & percuſſi hominis interiora afficit, propriam quærens regionem, cùm è corde exoriantur: ſic ipſi in cordis marginibus

coguntur

coguntur in ſanguinem, peregrinus hic ſanguis ab effaſcinati natura viri diſcordans, reliquum tabe conficit, vnde ægrotat, eatenus contagione ipſa permanente, quatenus vis tabidi ſanguinis in membris viget, & cùm ſanguinis affectio ſit, ex nunquam interpollari contuetur febri, quæ ſi in bili, vel pituita eſſet, per interualla fortaſſe ſedaretur. Vt autem diſtinctiùs pateſcant omnia, id primò ſciendum: duplicem apud authores faſcinum reperiri. alterum amoris: inuidiæ, vel maleuolentiæ alterum. Si verò pulchri deſiderio, formæque concinnitatis fuerit deſiderio irretitum, quanquam eminus iaculetur, per oculos venenum hauritur, & venuſtæ ſpectrum formæ amantis cordi reſidet, igniculos ſuccendit, vnde ſemper afflictari ſolet: & quia ibi molliſsimus amati ſanguis vagatur, vultus repræſentat, ſuiq; ipſius ſanguine relucet, in ſe non quieſcit, & ſic ab eo trahitur, vt vulnerati ſanguis in vulnerantem labitur, rectè hoc ſic innuit Lucretius:

Idque petit corpus, mens vnde eſt ſaucia amore,
Nanque omnes plerunque cadunt in vulnus: et illã
Emicat in partem ſanguis, vnde icimur ictu:
Et ſi cominus eſt, os tum ruber occupat humor.

Si verò inuidiæ, vel maleuolentiæ fuerit quem tale virus infecerit, effaſcinatio noxia admodum maximéque in vetulis reperitur. Nec valet aliquis inficiari, quin animo affecto malè habeat corpus, animuſque affectus corporis vires firmat, & potiores reddit: nec ſolùm immutat corpus proprium, ſed alienum reddit, & tanto id, quanto ardores interiores vindictæ, vel cupiditatis in corde cient. Nónne auaritia, mœror, vel amor, colores, & habitus immutat? Inuidia nónne corpus pal-

lore insigni, & extrema induit macie? Nonne prægnantis auiditas inficit tenerum fœtum rei agnatæ nota? Sic ubi flagrantes inuidia oculos, & truces deflexerit, & perniciosè nocendi cupido acriùs micat ex oculis, & intestinus ardor proficiscitur ab eis, astantium corporibus maximè, speciosis malum inferunt, & oculorum acies uti telum transuerberat, præcordia peruerit, & maciei præbet causam, si cholerici, & sanguinei præsertim fuerint: nam pororum apertura, & humorum subtilitate facilè depascitur morbus. Nec solùm ex paßione tale fit corpus, sed venenum humano reperiri posse corpore facilè est, quod probat Auicenna: plerique tali sunt natura præditi: quod mirum videri non debet, si arte fieri posse sæpius visum est. Mittitur Alexandro ab Indorum Regina insignis speciei puella, serpentium veneno delibuta, & depasta: ut Aristoteles tradit, & auicenna Rufi testimonio scribit. Galenus autem alteram fuisse, quæ Hyoscyamun impunè sumeret, alia verò aconitum, ut nec gallina appropinquaret. Et frequēti eius usu (ut ex antiquorum monumentis accepimus) usque adeò innoxium præbuit se veneno Mithridates Ponti Rex, ut cùm vellet, veneno sibi mortem consciscere, ne se Romanis dederet, nullam ex assumpto veneno percepit noxam. Gallinæ anguium, & lacertorum carnibus obesæ, vel tritico eorum iure decocto, si accipitri glutiendas dabis, accelerat pennarum defluuium, multaque præterea fiunt, quæ longum esset recensere. Sic plerique viri suapte natura sunt qui tactu infirmitates aliquas curant, multi araneum & oleandrum comedentes, serpentumque morsus floccifaciunt, nec tabem sentiunt, si similem sor-

tiuntur

tiuntur naturam, quorum obtutus, vel emanans ſpiratio non homines ſolùm, ſed plantulas, herbas, cæteraque emaciat, vt exareſcant penitus: & ſæpe vbi huiuſmodi animalia reſident, arentes ſegetes veneni participes factæ exiccatæ cernuntur, non niſi oculorum vi, & auram quandam eructantes. Nónne mulieres menſium tempore cucumeres, & pepones tactu viſuque inficiunt vt maceſcant? nónne pueri innocentiùs viris, quàm mulieribus tractantur? & plures fœminas, quàm viros effaſcinatrices reperies complexionis ratione, fortiori enim lapſu à temperamento decedunt, plurimisque noxijs veſcuntur, vt ſingulis menſibus ſuperfluitatibus expleantur, & ſanguis ebulliat melancholicus, vnde vapores orti, ſurſum elati, per oculos prolabuntur, & aſtantibus venenum expirant, et tali corpus explent. At ſi formoſam deperis iuuenem, eiq; vis, vel mulierem viro faſcinum inducere, vt ſi fieri poßit in amorem coarctetur, hîc patet

Amatoriæ illaqueationis modus:

Sint oportet ſanguinei, ex parte quadam cholerici, oculos habeant amplos, nitentes, & glaucos, & multum conducit caſtè viuant, ne frequenti coitu humorũ ſuccus exhauriatur, vnde frequentißimo intuitu, diutiſſima imaginatione, debita approximatione, cum conamine facto, aciem aciei dirigant, radij radijs, & lumina luminibus coniungantur, ſic ex intuitu vltrò citroque facto naſcitur amor, & combibitur. Cur autem tui faſcino detineatur non aliorum, ex ſuperiori, & ex hac videtur ratione: Euenit enim ex faſcinantis intentione, qui quidem per ſpiritus, ſiue vapores tranſmittitur ad maleficium, & ſpiritu illo affectus ei ſimilis ef-

ficitur: existente enim maximè in passione illa, & imaginatiua virtute circa rem valde fixa, habitus diu permanens, spirituum habet obedientiam & sanguinis: tunc exoptata re potest à virtutibus deuinciri, & inflammari. Quanquam animus (vt Auicennæ ascribitur: neque ab hac sententia illius abhorret authoritas) solo affectu, & imperio tales pruducere potest affectiones. Placet Musæo, quòd amoris fundamenta oculus iaciat: & præcipuè ad amandum illices sint, & ex aspectu amorem nasci dicit Diogenianus, vbi incongnitum amari non posse dicit: & tanquam prodigij loco Iuuenalis de amante refert:

Qui nunquam visæ flagrabat amore puellæ.

Nitidus enim oculorum obtutus visam ad insaniam compellit, amorisque allicitur per oculos rudimentum. Reliqua verò membra non verè dant causam, sed concitant, vt formæ lenocinio cernentem remorentur visis rebus illectus, & immorantem obtutu feriant, & ibi Cupidinem excubantem aiunt sua mittere tela, vt emissus ex oculis aculeus in astantis oculos confugiat, ac præcordia perurat. Apuleius: Isti enim tui oculi per meos oculos ad intima delapsi, accerimum meis medullis commouent incendium. Iam non paruam tribuimus quærentibus radicem, ni penitus, malæq; mentis cõpos extiteris, multis corroborare poteris. Quod si aliquibus fortasse mirum fuerit, morbis perpensis, qui ex contagione eueniunt: vti pruritum, scabiem, lippitudinem, epidimiam, si tactu, visu, loquela, astantem inficiat, facileque tabem contrahat cur amatoria contagio, morborum omnium grauissima pestis, non illicò homines inuadat ac penitus consumat? Nec in alijs solùm,

sed

ſed in ipſos quoque relabitur, immiſſumque faſcinum ipſi alliciunt. Veteribus quoque ſcriptis proditur de Eutelida, qui refluxionibus aquis, ſpeculo vel fonte reſilientibus, in videntem imaginem retorquẽtibus, ſibi faſcini perniciem intulit, author.

Ευτελίδα αύαλ' Βυκαίρεν ἰδὼν ὀλόφισης αίνυς
Δινήεντι ποταμῷ ἀδ' ἄντικα νῦσοσ ἀδίκυσ.

Adeo ſibi pulcher viſus eſt, vt eodem quo alij ipſe faſcino deciderit, ſic priſtinum corporis habitum deperdit, peculiariſque morbi pœnas dedit. Sic ſe proprio pueri vitiant faſcinatu, parentes verò veneficis & faſcinatoribus cauſam aſcribunt. Nunc autem morbi cape

Alexiteria remedia,

Multa enim ſunt, quæ prudens inſtituit vetuſtas. Si amoris faſcinũ amoliri conaberis, ſic aueruncabis: viſum abſtrahas, ne tui aciem oculis adigat, neúe lumina luminibus copulẽtur, vnde enim affici ſolet, inde cauſam amoue, cõſuetudinem interpollatim remoue, otium repelle, grauis animum adhibe curis, ſanguinem, ſudorẽ, & excremẽta omnia largè eijcito, vt vnà noxia eijciatur aura, & contraria primis extant quoque. Si inuidorum fuerit maleficium, illud ſic noſces: Colorem deperdet, difficulter oculos eleuat, ſemper inclinat, crebra iactat ſuſpiria, cor anguſtijs cohibetur, nec ſignum conſpicitur mali alicuius, lachrymas effundit ſalſas & amaras. Ad ipſum exfaſcinandum, quia aër contagioſus, & contaminatus eſt, odorata ſuffimenta ſubſtituantur, vt aërem inſtaurẽt, nec minus aquis irrorando, cynnamomum, garyophyllos, ciperum, xilaloë, moſchum, ambram. Ideo priſca æuum ad hunc noſtrum ſe propagauit conſuetudo, retinentque hoc mulieres, ſi

 noxam


noxam pueros contraxisse vident: ad expiandos thure eos suffumigant, & circumuoluunt: claro seruentur aëre, ij pendeant è collo lapides, carbunculus, iacinthus, saphirus. alissum in domo suspensum, rhamnum, & phu opiferum putat amuletum Dioscorides. Isopum et lilium odorato. Anulus deferatur, ex onagari vel vngularum asini domestici, satyrion, quæ orchis, & fœmina dicitur. Rutam sua dote probat Aristoteles. Hæc omnia veneficiorum vires hebetant. Quæ autem experientia comprobata, & ad veritatem propensiora visa sunt incerti generis experimenta, hoc scripsimus libro.

FINIS SECVNDI LIBRI.

IOANNIS BAPTISTÆ PORTAE NEAPOLITANI

Æ NATVRALIS LIBER III.

PROOEMIVM.




IAM ad ea videor accessisse experimenta (dum ad varios rerum perspiciendos ferimur effectus) quæ vulgus vocat chymica, nec parum cōtinent lucri, circa quod non solùm magna mortaliū pars hæret: sed eius inextinguibili siti vniuersus æstuat mūdus: vnde vt aliqua percenseamus, coacti aggredimur. Est sanè res non paruipendēda, sed expetenda præcipuè, qui Philosophiæ studijs nauant operam, ac naturæ perscrutantur arcana: inuenient enim plura, quæ admirari possunt,

ſunt, & quæ noſtro vſui mirum in modum ſunt neceſſaria, dum multas perſpiciẽt tranſmutationes, & eas vidiſſe non parum lætabuntur: non metallorum tamen eorum, quæ maximo diſtent interuallo, ſed quæ cognata & vicina ſunt, accidentibusq́; differunt aliquibus, quòd maximæ authoritatis viros philoſophos fateri non puduit, vt in rebus alijs naturalibus quoque videmus, quas diximus. Nunc autem vana ſpe lucri, ac ſub eius continuæ voluptatis eſca, & illecebra tam rudes homines, & idiotæ accedunt, vt non ſine magno huius ſeculi opprobrio pertractentur, ac huius artis cultores inuiſos omnibus reddant. Dum enim ſophiſtico auro laborant præparando, vti horum principia penitus ignorantes, vbi bona decoxerũt in perniciem ruunt, & vana auri ſpe deludentur: vt rectè Demetrius Phalæreus ait: Quod capere debuerant non cœperunt, quod autem poſſidebãt amiſerunt: & metamorphoſin, quam in metallis expectant, in ſe ipſos experiuntur, tũc (cùm hoc vnicum ſolamen inueniant) commentitijs fraudibus alios fallere, ac ſibi comites nituntur efficere: ſic bonæ rei fidem in peiorem vſum conuertunt, ceu altioribus ſæpe rebus contingere videmus. Et adeo artis vel lucri deſiderium libros auxit & mendacia, vt nil fere aliud circunferatur, ac optimè Diocletiani iuſſu ſint omnes exuſti, & in cinerem verſi. Ipſe autem qui aliquid videre affectas, id ſcito in omnibus naturam imitari non poſſe, ritè metallorum primor-

dia pernoſcenda ſunt, & ſi ea transformari, vel penitus tingi quæruntur, in prima diſſoluito elementa, nec efficere ea coneris, quæ nec fieri poſſe cognoſcũtur. Aliqua hic nos apponemus, quæ in his videre contingit, nec laboris minimum in periclitandis, experiendiſque habuimus: horum exempla perdiſcito. Hic montes non pollicemur aureos, nec quem homines rentur percelebrem philoſophorũ lapidem illum, multis ſeculis iactatum, & fortaſſe aliquibus compertum: nec poculentum aurum, quo homines ab interitu immunes tueãtur: neceſſe eſt enim mundo hoc vertibili, & alterabili permutationibus omnia eſſe obnoxia. Talia autẽ promittere temerarium prorſus nec penſi habens quicquam fuerit: Vtilia tamen ad humani corporis tuendam valetudinem, atque prorogandam fieri poſſe non imus inficias. Quæ tradere intendimus hæc ſunt:

De extractionibus aquæ & olei, & operationibus quibuſdam, quæ paſſim operibus ſubingrediuntur.

CAP. I.



PERATIONES quaſdam præmittere viſum eſt, quæ obiter in opere leguntur, vt quæ docentur ordinatè procedant, neue alibi quærantur, & quanquam hæc aliquibus aliter operentur, nec fieri poſſe iudicent, opus tamen ſubintrant noſtrũ, & ijs nos efficere conſueuimus, quibus ignoratis non facilè votum aſſequeris. Diſtillatio-

ſtillationis autem, vel apti diſtillationum vaſis, quia to to hoc meminimus opere, ne ignoretur, locus hic dicendi oportunus videbitur. Recentiorum quorundam inuentum eſt, aquam ex omnibus haurire, vt puram habemus aquam ſine terra (vt fieri tamen poteſt) vides enim diſtillatã aquã nullis redũdare fæcibus, & præſtantiùs à putrefactione liberãtur multa, vel ſi aliquid imbibere indigemus. Vas primò parant fictile, melius autem vitreum concauũ, turgeſcens pilæ inſtar, vel potius turbinatum vti pyrum: ac collum oblongum habeat, cui pileum vitreum accommodatur, vt ſubiectis prũnis res in vapores ſoluatur tenues, & vacua omnia repleat, & in ſublime feratur: vapida hæc craßitudo, vbi pilei frigidum tetigerit, & vitrũ occurſabit, illius marginibus in rorẽ cogitur, inde per pilei fornices delabens, in aquã relabitur, & aperto quodã canali, quod ad illud pertinet, largis riuulis decurrit, ſubiectũq; receptaculũ ſtillatim eã recipit: hoc diſtillariũ, vel alembic chymiſtæ vocant. Multi ne fumi nidor potores offendat in feruentis aquæ vas organũ locant, & tenuior elicitur aqua, balneumq; dicunt. Tenuißimam quoque detrahes aquam, ſi vitrea: hæc vaſa in fictile aliquod concauum accommodaueris, vt foras promineant colla: hinc calentis aquæ plenum ſubijciunt ahænum, vt ſurgentis vi fumi, nec aliò permeantis eliciatur è rebus ingenioſè aqua, quæ è potabilibus præſtantior fuerit. In vacuam ollam aliqui hoc ligant vas vitreum, vndique non contingens latera, & os obturant, relicto tantùm foramine, quo collum foras promineat, ſic incandeſcens olla, aëremque concalefaciens in vaſe res contentas in vapores ſoluit: ex ijs commodiorem elige mo-
dum

dum, ac sufficiat semel enarrasse. Multa sunt præterea vasa, quibus vtuntur, & penè infinita. Rem autem si inobediens & contumax fuerit distillationi, putrefacere, & macerare solent, nunc equino fimo, qui eiusdem semper sit caloris, innouando diebus quiuis, nunc soli opponunt speculi concaui ope, & sic etiam nos sæpe aquam extraximus, nunc vinaceis tumulando, vel cineribus, & accensis carbonibus iuniperi, nam cùm densum, et valde spissum sit lignum, multum accensum durat. Nunc autem ad operationes accedendũ, & primò extrahatur quomodo

Talci oleum,

Quod apud multos arduum, nec ferè fieri posse iudicent, sic tamen parabis, vbi fuerit opus: In sacculum immittito talcum cum littoralibus calculis, & qui in fluminibus paßim conspiciuntur, multùm exagitentur, dum in tenuißimum redigatur puluerem: vel id alia perficies industria: sic enim omnibus fieri consueuit: inde in crudam ollam accommodato, craßitudinis & roboris nimij, operculo inducto operi, & ferreis circulis munito, ac figularia creta vbi illeueris Soli resiccandum tradito, postea in fornace lapidum locato, vbi eluctãtur flammæ, vel alibi, dummodo violentißimus sit ignis: vbi fornax ardere desierit, eximito, & vas frange, si in calcem iam redactum optimè noueris: sin minus, iterum efficere ne pigeat, & parem operam impendas. cùm perfectè inalbuerit calx, porphyretico marmore terito, & in alium sacculum accommodato, vel in marmore humidißimo in loco, præalto puteo vel cisterna, diuque immorari sinito, & nimia humiditate stillatim effluere cernes: seruato, & in vitreum

vas

vas dictum inducito, quo vtuntur chymistæ, in oleorum & aquarum extractione, sic ignis vi optatum recipies liquorem, faciliùs enim & citiùs in aquā soluitur, si perfectiùs & diutiùs fuerit combustum, & in calcem versum: nam in calcem redactæ partes, magisq́ue per ignem subtiles, cum aquis commiscentur, et in aquam conuertuntur. Si vis autem

Sulphuris oleum,

Vel aquam, sic extrahes: Vas vitreum habeto oris ampli & concauum, in campanæ formam, vbi luto illeueris pede ferreo suspēdatur filo, inferiùs autem amplum receptaculum locato, vt è marginibus campanæ extillans oleum recipiat, cuius medio terreum, vel ferreum accommodetur vas sulphure conditum: ignem tunc succendito, & dum comburitur, aliud recentius superindatur, nam dū vritur consumeretur, erigens se fumus, vasisq́ feriens fundū, humectis exhalationibus corporescit, & reciprocans in oleum coalescit, ac inde dilabitur. Hoc dealbandis, & expergificandis dentibus optimum ostēdimus. In igneis verò mixturis ALIVD *est: ignem enim admittit, & detinere potest: Viuum cape sulphur, nō ignem expertum, ac iuniperi oleo portionibus æquis remisceto, & igne vitreis cucurbitis oleum elicito: in necessarijs vtitor. At*

Ouorum oleum

Sic parabis: Supra ignem largo accommodato vase sartagine, vel alio in hoc boleta proijcies, spatha permiscēdo semper, ac crebra diuerberatione ne crementur, vbi in puluerē versa, prælo exprimi curato, expreßūq́ oleū pyxide seruato. Vel ea elixando indurabis, et sic exprimatur liquor. In incensiuis autem mixturis ALIVD

sic

ſic parabis: Ouorum multa remiſceto vitella, cum ſulphuris medietate viui, ac ſartagine accommodentur igni, vbi eluuies, vel oleoſum quoddam per eorum ſuperficiem enatabit, ſeruato: illud enim quæſitum erit oleum. Terebinthinæ reſinæ, & mellis oleum, vti cætera efficies: Eam vaſi inijciendo, & lento igni accõmodando: vehemens enim aſcendere facit, & intus concipit ignem. Nunc autem laborioſam aggrediamur operationem, quonam modo exprimi poſsit

Argenti viui aqua.

Sic tamen ſedulò efficies: Fictile parato vas rotundo ventre, ac craſſo, collo verò leniter turbinato, vt aptatæ capitis parti accommodari poſsit vitreum pileum, inde figulorum luto circumlinito ſpiramenta, ne viuum argentum in tenues auras euaneſcens reſpirare poſsit, aperto canali vas ſubijcito, vt liquorem ſuſcipiat: ſit vas poſtea peruium è latere, quo viuum argentum intromitti poſsit, igne totum incandeſcat, & vbi incanduerit, infundibulo vel inſtrumento alio viuum argẽtum immittito, & extemplò cretam inducito, vt aptatæ parti par ſit: vbi enim valde intonuerit, & crepitum ediderit, cogitur in vaporem ſolui, ac paulatim craſſeſcens, in ſubiectam elabitur fideliam.

De ſublimatione, in calcem reductione, & reliquis in hoc neceſſarijs. CAP. II.

Reliquum eſt quomodo ſublimare, & in calcem reducere oporteat edocere, quæ res noſtris operationibus neceſſariæ paſsim conſpiciuntur, et præmiſſas quodammodo ſequuntur, quas breuiſsimè narrabimus: Et primò

Sublimare quomodo debeamus

Auri-

Auripigmentum, vt huius similitudinē discas & alia. Quia videmus aliquando res prorsus corrumpi, denigrari, & fœdari, idque secundum diuersitatem eorum euenit: fit enim aliquando propter partes eorum terreas nos sic defæcabimus: nec per aliud potest perueniri magisterium, quàm per solam sublimationē, cùm subtiles euolent partes, vnde peruium magis & perspicuum videbitur & per hoc ab adustione priuatur: Illud primò teratur, vt tenuius poterit, fictilem ollam intus vitream conijcias, & oleum infundatur, quod non minus dodrante superemineat, lignea rude miscendo semper, ne fundo inhæreſcat, resiccatum terito, similemque impendas operam aceto & acri lixiuio, puluis demum cum tartaro, viua calce, ærisue ramentis in vase claudatur vitreo oblongo & concamerato, non ad summū vsque labrū replendū sed mediotenus, ritè venter foras luto muniatur, & in solem conferto, finitoque in sole esse vsque dum resiccatum fuerit, & igni resistere valeat, clibano accommodabis, os ne claudas, ne occluso spiritu strangulетur, coërcitamque suspiret auram, leuis verberet ignis fundum vasis, inde paulatim senis concrescens horis, igne tandem cādeat, eiusque vi petat figitiua pars vasis cameras, ibique in argentum album congestum insideat: vas frange, detrahe, ad vsum recondito. Euenit idem in descensu, nam in præceps faciliùs fertur. Si verò fuerint corpora & grauia, alijs adiungantur leuioribus, vt faciliùs ascendat. Sublimandi modum præbuimus, quo in reliquis vtitor: nō enim multum inter se euariant. Si verò vis

Argentum in calcem vertere,

Vel aliud, sic fiat: Ex argenti ramentis, & viuo argenteo

teo triplicato malagma confice, inde communi sale porphyretico marmore multum læuigabis, vbi ad perfectam vnionem peruenisse scies, in obtorto vitreo vase locato, quod facilior sit ascensus, igni appone, eiusque vigore viuum argentum per fistularum colla in receptaculum dilabatur, quod vasis imò remanet fundo, dulci aqua confricato, nouam subinde affundens, dum nullum salsuginis vestigium excernatur, & amarorem omiserit omnem, dulcescente aqua iam calcem habebis.

Est & parandi ALIA *ratio: Argentum forti aqua soluatur, vt assolent aurifabri, & fontis immisceas aquam, quæ communem salem exederit, sic argentum ad imas vasis partes procumbere videbis, penicillis aquam exugito, & calcem testaceo vase flagrantibus carbonibus appones, detrahe, dulcique aqua salsedinem amoueas, quod denuo semper exercebis, dum totum abijsse cernes, & modus lauandi sit, quem in priori reddidimus. Sic argentum in calcem & ceram vertes: Eius ramenta cum sublimato viuo argento permixta vitreo apto condantur vase, & flagrantibus prunis exponantur, & vis ignis viuum argentum expellat, & in ima vasis parte fixum argentum vti ceram reperies, gemmis aptum, pyxidicula seruetur. At*

Plumbum & stannum

In calcem vertere si volumus: Stannum vase liquescat aliquo, & in tenuißimum salem proijcito, corili caudice vertendo, vt adhærentes partes separentur, & granulis milio proximis vertantur. Vel eliquatum per arcta cribri foramina traijcito in frigidam aquam, ac veluti vermiculos effinges, denuò opus repetendum, dum tenuißimum efficias: inde puluerem in feruentem a-

quam

quam mergito, tantisper mutata aqua, & colata, donec victo sale dulcescat, & salsilago abierit tota, & in fictilem ollam condito, & laterum vel vitrariorum fornaci cōdes diebus tribus, & in calcem redactū reperies totum. Vel ALIO *modo vt granulorum vicem expleat, & docet Geber: Aperto liquescat cratêre oris ampli, vnco ferro superficiem erodendo, vt cutim detrahat superficialem, excoriando semper, donec omne cinefactum, vel pulueratum habebis, ollæ imponitur, et fornaci inditur, & laxato obturamento visitur, dum in calcem vertatur candidam. Vel* ALITER: *Fictili cratêre amplo, lutoque munito colliquetur plumbum, ferrea spatha versando per diei quadrantem, nulla dum in puluerem vertatur interpollatione, quod in ollā inijce, ac forti reuerberationis igni per diem apponito, & candicans reperies, setaceo cribro trāsmissum seruetur. Remanet autem vt doceamus, &*

Aes coquere,

Quod à multis traditur, stibium tamen nullibi, quod sciam traditum est, talique expedies pacto: Aes fusorio in vase liquato, cum æquis stibij portionibus, simul colliquatis tantundem super addito stibij, & super planū marmor proijcias, vt in eius superficie frigescat, vt aptiùs in lamellas ducatur, duos deinde excauabis lateres vt intus commodè accommodari poßint laminæ: vbi accōmodasti operculetur alio, ac ferreis vinculis, & luto stipetur, resiccatum vitrariorum fornaci inditur, ibique per hebdomadam immorari sinito, vt perfectè comburatur, detrahe, & ad vsum acommodato. Possumus quoque

Argentum viuum è plumbo extrahere,

Et in

Et in hunc modum: Tenuißima plumbi raměta in ardentem aquã nullo phlegmate redundante proÿciãtur, adiecto tartari & ſalis momento, vel quod medietatẽ æquet, & aqua ſuper plumbum quadrante ſupereminear, os operculato, & per mẽſem ſub fimo abruito, poſt detrahe, & vitreo in vaſe obtorto ne multũ aſcendendo laboret, ignis ſubÿciatur, & aquam extillans viuũ argentum in guttulas verſum aſcendere conſpicies: vbi hæ notæ comites apparuerint, aucto igne recipias. SAL *tartari ſic fit: Eligenda eſt fæx à vino vetere, ea autem diligenter ſiccata, noua teſta largo igni vratur, vſque dum penitus incendatur: experimentum legitimæ vſtionis eſt, vt aërio nitore inalbeſcat, linguamque tactu vrere videatur, id calida diſſolues aqua & penicillo coletur, & noua olla lento igni euaporet tota, remanens in fundo eſt ſal, quo in operibus vtimur. Vel* ALITER *argentũ viuum è plumbo vberiùs faciliori ſic detrahes via: Sit fictilis ollæ fundum crebris foraminibus laceßitum, & exiguis, in aliam ſubintret ollam, ac tenaci luto cõmiſſuras ſtipabis, breui eiuſdemq; capacitatis effoſſa ſcrobe obruatur, ſola vndique terra pedibus conculcata, ſuperiorem vacuam mediotenus viua repleas calce, nec aquam experta, inde lima quæſitum plumbum, & tenue tritum diſſeminabis, viua calce reple totam denuò, vt in medio collocetur plumbum, & puerorum vrinam expergificabis ſupra, ſic operculo impoſito, omniq; oblinito ſpiramẽto ignẽ adhibe vehementem, & vndiq; tumulabis, & per diẽ immoretur: fortißimi enim vi ignis per aperta fundi foramina in ſubiectum vas viuum decidit argentum, ſextæ illius reſpondens parti. Nec dißimiliter nimium*

E ſtanno ſpiritum elicere

Poſſumus, cùm volumus: Stanni enim elimata ſcobs cum ſalnitri æquali pondere, ollæ inditur, cui ſuperiùs ſeptem, vel multas pertuſas accommodabis ollas, ac ſpiramenta luto claudas & munias, ſupra vitreũ vas inuerſò ore accommodabis, vel aperto canali cum ſubiecta paropſide: inde ignem adhibe, & incandeſcentis rumorem audies, euolat in fumo ſpiritus, & ollarum cameris, & vaſis vitrei fundo compactum reperies. Temporis ne nimium teras in elimando ſtanno, in liquatum ſtannum medietas viui mergatur argenti, & pila tun datur, & habes ilicò & citius euolat ſpiritus, & fixum argentum viuum habes. Organum ſi terreum à latere perforabis, commodius paulatim inijcies & obturabis. Sic quoque

E ſtibio

Poſſumus extrahere: Stibium, quod ſeplaſiarijs antimonium dicitur, tenuiſsimè manualibus molis ſubigitur & tritatur: inde noua olla carbonibus accenſis condita rubeſcat tota, cui ſtibium, tartari duplum, ſalnitri quadruplum optimè tuſa paulatim inijcies, cumque tollitur fumus, operculo claude, ne ſurgens fumus euolet, tollito demum, & aliud proijcito, dum totus comburatur puluis, igni poſtea aliquantiſper proroget moras, extracta refrigerari ſinito, & ſuperextantes tollito fæces, & in fundo inſidens viuum argentum reperies, quod vocant chymiſtæ regulum, & plumbum præ ſe fert, facileque in hoc tranformatur: Si enim (Dioſcorides ait) paulo magis concrematur, in plumbum vertitur.

Quomodo friabile adimitur, in corpus reducitur, & color in cutim trahitur.

CAP. III.

Quædam quoque dicendis necessaria subiungere visa sunt: in metallis enim fucandis, & adulterandis sæpe accidunt: vt instructus operator ad ea accedat: Sic enim pulchriora & perfectiora spectabuntur. Primò autem

Friabile tollere

Docebimus, vt fieri poterit, in calcem redigito, sub fimo condito, post hæc facito cùm incanduerit igni, restinguantur, vel liquata proijciantur, vbi ardens aqua sæpe purgata, terebinthina resina, ipsius oleo, cera, sepo, euphorbio, mirrha, factitia chrysocolla, qua vtuntur aurifabri, vt celeritatẽ dent fundendo, auriq; ferrumini, nam si inhabile metallum fuerit tundendo, quia vnctuosa sæpe corpora præmollire solent: si omnibus, vel aliquibus ijs liquora subacto in pastillos digerimus, & vbi metallum vi follium ignibus cædit, intus proijciemus. Vel hæc limi modo crassescant, & vti lutulenta reddantur, metallum igni apponito, vt accensis carbonibus ignescat, & exemptum restinguatur, ac sinito semissem horæ combibere. Vel canalicula perungantur, illaque infundantur, & supprimẽt fragilitatis multum, & huius adminiculo malleo cædunt, & sus eo extenduntur, vbi priùs tacti in partes dißiliunt multas. At si volueris

Metalla in corpus reducere

Quia in calcem versa, non denuo leui inunguntur artificio, consentaneum fore duximus edocere, cùm crebro in nostris operationibus vsu veniat. Hæc huiusmodi reti-

retinent vim: chrysocolla, tartarum, alumen, ouorum vitella, sal alchali, ammoniacum, salnitrum, & quem saponem vocant, omnibus ijs, vel eorum quibusdam globulos effingimus, ac fusorio in vase vbi calces liquescunt igni, proijciuntur, & in pristinum reuertuntur statum: cùm hoc probè noueris extrahito. Id tamen animaduersione dignum est, si calx auri fuerit, cum ouorum vitellis & similibus: cum albumine & tartaro argentum: amurca verò olei maximè in hoc prævalet, id ne ex corporum reductione coloris nitore defraudentur, sed magis concinnum præbeant. Nunc verò reliquum dictum video, quonam modo poßit quis nobilius metallum

In cutim trahere,

Quod idiotæ dicunt chymistæ: putant enim partes in meditullio positas se imposturis foras allicere, ac extrahere, & internatas partes ex solis vilioribus constare. Sed à veritate discedunt, quia in superficie tantum remißiores exest partes, & aliquantulū viuum argentum foras allicitur. Res enim corrodūt omnes, quæ medicamentum subintrant, duriores relinquuntur: expoliunt, & dealbant: antiquorum fortasse numismatum fide ducti, intus meracum æs, foras autem simplex argentum conspicientes: sed hæc simul ferruminata sunt malleis tusa, tum demum typis excussa, id tamen artificio simili sic fieri posse penitus est arduum, nec fieri posse iudico. Quæ tamen expoliunt hæc sunt: communis sal, alumen, calcanthum, sulphur viuum, & pro auro tantum ærugo, & sal ammoniacus: Cum opus obeundum est eorum partem in puluerem redigunt, & cum metallo vase aliquo intermittunt, fictili luto circumli-

to, & operculato, exili peruio spiramine lento igni accommodant, ac peruri permittunt, & ne metallum liquetur, ne follibus ignem vexes: cùm pulueres perusti resident, quod fumo dignoscunt, laxato obturamento visunt, sed metallum igni accenditur donec ignescat, & ignitum ijs immergunt. Vel ALITER: *Aceto accommodant dum strigmentosum fiat, & vbi circun litum opus linteaminibus inuolueris, coniectum in fictile acetum continens diu decoquetur, extractum in vrinam conijcies, sale, & aceto ebullire sinito, donec nulla prorsus sordes emergat, & fœdæ medicaminum maculæ aboleantur: & si candidissimum non deprehenderis, idem munus rursus obeundum, dum perficitur. Vel sic* ALITER *seriatim procedas: Opus cum sale, alumine, & tartaro ex aqua in olla sinas ebullire, quum tota superficies inalbuerit, sinito paulisper: inde sulphuris, salnitri, salis, æquis portionibus ebulliant tribus horis, vt in eorum pendeat medio, nec vasis latera contingat: eximito, & cum arenula perfricabis, dum sulphuris virus euanuerit: demum vt prius ebullias denuò, & sic inalbescit, vt ab igne se tueatur, nec vti vitiosum improbabitur, vtile reperies, si ritè peregeris, & gaudebitis, nisi in vestrã perniciem eritis abusuri.*

Quonam pacto ponderosius fiat metallum vnumquodque. CAP. IIII.

S*Aepe apud chymistas, eosq́, qui huiusmodi studio vacant, quæritur quonam pacto fieri possit, vt in auri pondus argẽtum excrescat, & metallum vnumquodque suum debitum superet pondus. Nos qui prouinciam hanc assumpsimus hic ea docere, quæ magnis eorum conatibus & sumptibus efficiuntur, facile*

cile

cilè & parcè faciant, capiant conficiendi normam, & hinc perspicuè hauriant, quicquid occulunt alij, suorumque dogmatum mysteria fabularum inuolucris, & figurarum vmbraculis contegunt: eos tantùm rogatum velim, vt cùm necesse sit tantùm vtantur: ergo ita exordiamur. Sale aliqui, & antiquis testis argentum in tenues bracteas deductum igni detinent, vt ibi ab humiditate vindicent aliqua, & densentur partes, quæ pondus adducunt. At sic expeditius IDEM efficies: Argentum in subtiles lamellas ductum cinnabari, ac sublimato viuo argento vicißim inspergunt in vase igni contumaci, & suprà luto, & vinculis munito ne vim suspiret, carbonibus circumseptum per naturalis diei medietatem detineatur, & friabiles exemptas laminas in cineritium alueolum igne candicans, & in collicatum plumbum immittunt: & eximiè vi follium flatu, quod pessum it plumbum, ad receptaculi oras expellunt, vt secum contrahat sordes, & purgatum relinquat argentum: quæ solet probatio commentitia, vel cupellaria omnibus nominari, quòd commentum omne purgetur. Quòd si ponderosum non reperies multum, denuo rem perage, dum auri expleat pondus. Possumus sic & ALITER argentũ augere: Stillatitium, & forte acetum in labellum infunditur, confractum stibium, ac lima quæsitum plumbum tundantur, & succernantur, quicquid non transmeat, denuo in pilam repetitur & molitur, vt sic tenuius cribretur, in distillatum acetum inijcies, & sub fimo conditur, dum soluta conspicias omnia, igni postea demittito vas, & opus intus extinguito sæpe. vel ex ijs aquã extrahito, & idem præstabit. Cum sulphure, vt docet

Geber, in calcem, & corpus reducendo multum acquiret ponderis. Si exoptabis

Aurum excreſcere

Plurimum, & augeri: Si in vas fuerit efformatum, aliudúe, ſi ponderi magnitudo non reſpondet: Aurum fluido argento manibus digitisúe perfricabis, dum illud bibat, donec quæſitum expleat pondus ſuperficiei cohæreſcens: dein validum parato lixiuium ex ſulphure, & calce viuis, & cum auro in ollam patentioris oris conijce, leuibus ſubiectis prunis, tandiu indeſinēter bulliat, dum ſuum iam colorem contraxiſſe perſpexeris: ſic eximito, & habebis. V E L *ex ouorum boletis, lithargyrio aureo aquam valido exugito igne, & in eo ignitum aurum extingue. Si autem vnum quodque excreſcere volueris, ſic habes*

Aliud optimum.

Si ritè peregeris aurū ſatis ponderoſum reddes, nec cælaturæ formæq́; erit impedimento, ſedulus tamen eſto: Antiquorū laterū ruberrimi ſalis nobis vbiq; venalis, ac flagrātiſſimus calcanthi puluis parctur, aptoq́ue inſpargas vaſe: Argentum puluerabis, vel forti aqua, vel ex calce, vel leui artificio aliquo: inde aurum viciſſim cum puluere inſpargendo accōmodabis, ac præpoſtere vas explebis, & obturabis, igni accommodato per tertiam diei partem, nec ignem follium vexes ſpiritu, detrahe, & ſolis puluеribus ſine argēti calce innouabis, & explebis. Si aurum colorē deperdet, ſic reſarcies: Salnitro, ammoniaco ſale, calcantho, & laterculorum puluere, cum vrina ſtrigmentum facias, aurum operi, & lento condes igni. E S T *& laturæ genus aliud vti fieri conſueuit: Aceto ebullire curabis,*

ſale

ſale ammoniaco, ærugine, tartaroque dum amiſſum recuperet colorem. Si fulgentiſsimum nitet, & remiſſiùs optas, remedio eſt, vt vrina madefactum in candentem laminam refrigerari ſinas. S I C *calcanthum concremabis, vt flagrantiſsimum reddas: In vas coniectũ, carbonibus obrutum decoquatur, dum in florentiſsimũ & flagrantiſsimum colorem permutetur, eximito & recondito, nec in malum ſuſcipies vſum. Poſſumus æris ramentis* A L I T E R *opus explere argenti vicem explens, nimiumq́ ponderis ſuſcipiet. Et fit* A L I T E R: *Antiquos lateres ignitos in oleo reſtinguas, inde terito & cũ viuo argento remiſceto, marmore ſimul læuigato, ac vitreo in vaſe ad ignem imponito, eliciatur oleũ, cuius igniti operis extinctione, augeſcit pondere.* A L I T E R *autem, & perfectius aurum augebitur: Si æris duplum cum argento colliquetur, inde in tenues ducatur bracteas, ac paruulas, parato interea è fortis aquæ fæcibus puluerem ſalnitri ſcilicet, & calcanthi, ac forti in vaſe fuſorio lamella, puluis, inde augendum aurum accommodetur, & præpoſtero ordine vas explebis: poſtremò os luto munito, & igni lento committito per diei medietatem, detrahe ſemper idem innouando, dum ad ſtatum peruenerit pondus. Iam pondus augere docuimus, ne cælatura vel rei forma impedimentum accipiat. Nunc verò reſtat quomodo poſsit & ſine formæ quoque ac celaturæ damno*

Argentum, vel aurum diminui:

Forti aqua aſſolent multi, opus autem tuberculis, & depreſsionibus ſcabrum reddit. Sic autem facies: Sulphuris puluere aſperges opus, & circum vndiq; candelam admoueto, vel ſub opere incendes, paulatim exardeſ-

ardeſcens conſumit... malleo decute in aduerſam partem, & ſuperficies cadet, quantitatis eiuſdem, cuius volueris, vti ſulphure vtêris.

De Aëre, & illius medicinis primi ordinis.

CAP. V.

NOS ne ſcribendi ſeriem conturbemus, metallorum tincturas aliquas conſcripturi ſumus, poſtquam de eorum præparationibus ſatis dixiſſe viſi ſumus: & ſecundum ordines tradere decreuimus, tum quia ſic poſceret ordo, tum quia id ab antiquis obſeruatum philoſophis comperio, et id cæteros conſecutos vſu inualeſcente, vt ſua quiſque retineat experimenta, quæ quantulacunque ſint, à nobis non omittentur, & eorum lectioni cupidus accedat, qua trahitur. Hîc ea docentur primò, quæ metallica colorant corpora, fucant, & adulterant, non perpetuò ſed paulatim euaneſcentia, nec examinibus omnibus expoſita ſubſtinent ea, non concupiſcenda, nec omnino poſthabenda, & quia perpauci non ſunt libri qui huiuſmodi re ſcateant, & pleni ſint, multaq́ue circunferantur, ea nos tantùm cõſcribemus, quæ paratu facilia, ac perpulchra ſpectantur, vt ſplendore & formæ lenocinio optimatis cenſuræ oculos ſubinde fallant, nec diſcernant vera, an falſa, eo tamen habeantur, quo fuerint precio. Sed optimi expoſcunt artificis manus, qui verò tali defraudantur experimento, optimos ſaltem conſulant, ne fruſtrentur. Dealbant æs præcipuè arſenicum, argentũ viuum, argenti ſpuma: quam Græci lithargyron vocant pyritis, magnes, argentum viuum ſublimatum, tartarum, ſal ammoniacus, communis, quem vocant Arabes alchali, ſalnitrum, & alumen. Si omnium, vel aliquorũ diſſo-

dissoluto liquore æs igne inflam[m]atum extinguatur, vel colliquatũ mergatur: aut in tenues lamellas diductum, ijs in puluerem redactis fusorio in vase vicißim intermissum diutius igne detineatur, vt fluxum reddatur: vel fuso metallo insparsum cumulatius in frustrũ (in puluerem verò caueto, ne ignis vi absumatur, & metallum non inficiat) mirum semper suscipit inde candorem, vt mirũ videatur argentũ. Tu verò vt discas, et alia cõponẽdi occasio porrigatur, aliqua nũc apponemus

Exempla,

Facilior enim est ad intellectum per praxim via: ideo, quod sermo descripsit, operatio aßignet: Incandescat olla fictilis viuis carbonibus exaggerata, plumbum intus conijcito, & cum igne diffusum cernes, tertia arsenici pars, quod crystalli modo pellucet, inspargito, in puluerem redacta paulatim dũ vratur, ac olei instar per eius superficiem fluit, & partes aliquæ combustæ per fumum volens, sine quiescant dum extinctorum carbonũ reliquiæ supersint aliquæ, vas deinde frange, & concretum oleum in eius superficie insidens, & cinerulũ deradatur, tundito, & in fusum æs pondere triplicato, paulatim proijcito, ac dealbescet. nec obest si paulò plus impositum foret. At si argentosum peroptas, vt eximium recipiat candorem, cum æris massula argentũ illequefacito, proijcito, & demum eximito, vt minus moræ in ignem proroget, alioqui euanescit, quod in ijs animaduersione dignũ est. Si enim in igne diutius manẽt, quàm fuerit opus, colorẽ expirãt, & vi efflata elanguescunt, vt in pristinum reuertantur statim, quàm minus ergo poteris igne detineantur, sic album & mentitum dabit argentum. ALITER *si ex æris ramentis*

& viuo argento malagma conficies, vitreo vase indita, in igne euolet viuum argentum, æs album remanet, si opus fuerit iterabis. Si salem ammoniacum, & oui cortices simul tritabis, & ex ijs aquam elicies, extinctum in ea ignitū æs, miram suscipit inde albedinem. Habebis sic quoque

Aliud

Cum Auripigmento, nec operando inefficax, & si tēpore liuoris inficiunt notæ, abstergere conabimur: Sit auripigmentum optimū, in squamas dehiscens, fissile, aureo micans colore, ter, quater sublimabis cum elimata æris scobe, tartaro insperso, & cum eo pari pondere, vel descendere facies, vt perpetuò fulgeat, & splendidissimum perduret. Soluatur argentum forti aqua, quæ nullo phlegmate redūdet, ac efferuescente vase siccetur, donec id septies, vel minus expleueris, simul per misce, ac porphyrite lapide læuigato, leui imbre, vel guttatim inspargendo tartari oleum, vel ammoniaci fixi salis: vbi verò feruidus Sol illuxerit, ei exponito, & siccetur, plus denuò suggeratur olei, & siccescat tantisper, donec argenti pondus expleat. Sic vitreo vase condito, & fimo supponito, quousque soluatur, solutum coaguletur, & super illud decem vel octo æris partes proijciantur, & peculiosè dealbat. EST *aliud: Si ex stimmi viuum argentum extractum, plombi colore, quod omnes vocant regulum, super æs proieceris, dealbat æs, & multum. Extractionis modus iam patuit. Nec prioribus*

Dissimile

Habebimus experimentum, maximeq; æs dealbescit: Arsenicum, sal, tartarum porphyretico teres lapide, sæ

pius

pius diſtillato aceto imbibẽdo: calenti Soli exponito, & exiccato, denuo madeat, & ſicceſcat denuo, inde vaſis ſolio inſternes, & ignis vis ſublimet, vaſis collo & cameris compactum inhæreſcat, quod bis ſenis eueniet horis: igne ſubinde factitium liqueſcat calcanthum: liquefactionem enim non reſpuit, cui viui argenti medietas immergatur, lignea rude miſceto, & extractũ porphyritis attritu valido, aceto ſuperinfuſo, excrucietur, nec auripigmentum deſit ſublimatum, vti diximus: deinde argentum forti aqua ſoluatur, & calidis cineribus euaporet, tertia relicta parte, humido in nocte ſeruetur loco, cui tantũdem ardentis aquæ adijcito, & ſub fimo diſſoluatur, tunc iam ſeruatas terito ac tartari oleo triplum adiũgito, & ſub Sole inareſcat, vel furnulo lucernæ lumine, multoties ardẽti aqua innouato, & æquali pondere cum argenti aqua immiſceatur, mixtura ſub ſole arefacta calido condes loco, ne ſoluatur, cuius pars ſuper æris viginti partes repurgati, vel triginta in calcem redacti, optimum dabit pſeudogyron, quod dentium apprehenſu cedit ſine aſperitate, & ſub malleo tunditur. Sic verò aliter optimum

Idem

Conficiemus ex aurichalco, auro ſimili, ei tamen inimico: nec enim valet illud conatibus imitari, vti rude putat vulgus: albũ autẽ facile ſic reddes: Aurichalceas bracteas per diem in aceto ebullias, & cum argenti viui æquali portione, ſale, & tartaro infuſa aqua, fictili & noua olla ſinas ebullire, lignea rude ſemper miſcendo, vel ex creta excocta, non tamẽ ferrea, vel alterius metalli, quod proinde maximè præcauendum: inficit enim tũc mixturam, vt nimium illius contrahat,

&

& tandiu coqui vult, donec candoris satis contraxisse videatur, & fragilitatis, detrahe viuum argentum, & refrigeratum ad vsum repone: Bracteolas autem in vas conijce igni contumax cum arsenico, & tartaro, vicißim insparsis, dum vas expleueris: os operculato, tenaciq; luto stipato, ne halitum eructet: vbi enim huiusmodi pulueres vel tenue aliquod subintrat, vinculo suprà, & luto inhiberi oportet, ne surgens fumus euolet, & intactum relinquat metallum: obest enim multùm, vasis os inferiùs obuolue, vt minus euolans, effectus habeat acriores, per horam flagrantibus prunis candens peruratur, inualescat ignis, sic deinde carbonibus tumulatum per tres alias horas conquiescere sinito, & exemptas mortario terito: friantur enim attritu facili, ac igni eliquatas super tres æris partes proijcito, & insignem recipient candorem. Magnetis quoque puluis dealbat æs. At si ALIVD *quæris optimum: In vas conijcito factitij arsenici, & salnitri paria pondera, claudatur os vasis ne respiret, & vratur carbonibus succensis, & in puluerem vertatur: cuius medietas cũ sublimati argenti viui pari portione misceatur, ac tartari pauculo in calcem redacto: vbi autem vi follium æs cædit liquefactum igni, proijcitur puluis, ac rude lignea mouetur, dum purgetur, si id factum noueris, reliquum proijcito puluerem, ac viuo argento sublimato, super æris quadruplum in melle refrigerari sinito, & dealbescet. Si verò quæris*

Aes argenteum reddere,

Vel cyprium, vti sæpe pueri, & circulatores assolent, vt ilico vasa argenti nitorem capiant, conficiendi hæc est ratio: Ammoniacus sal, alumen, & salnitrum pari pon-

ri pon-

ri pondere misceantur, & modica argenti scobe lima quæsita igni admoueto, vt inferuescant, & vbi fumare desierint, respersa puluere vel saliua oris madefacta, vel paulatim adiecta digitis fricando tractabis, & argenteũ colorem imitari videbis. Nitidiùs autem ALIVS *conficiendi hic est modus. Argenti pusillum forti aqua soluatur, tartari tantum mergito, & ammo niaci salis, dum strigmenti crassamentum imitetur, inde in orbiculos digerere, & inarescant, sic eis æs, vel aliud consimile genus digitorum tractatione crebra, ac saliuæ complexu frianti argenteum videbitur. Nec minus* IDEM *euenit argento viuo, mireq́ue dealbabitur. Seruentur hæc argentata, ne ab acribus noxam suscipiant, veluti vrina, aceto, limonum succo, & similibus, de facili enim colorem perdunt, coarguuntur, & deprehenduntur.* SIC *quoque si æs soluatur aqua forti, vel eius ramenta ferrum tangens in colorem tingitur æris, sic idem in auro & argento: & metalla diuersimodè colorabimus & fricabimus.* SIC *tactu argentum possumus inficere, vt infectum reijciatur: Manibus sublimatum argentum viuum pertractato, inde argentum, vel argentea numismata manibus versans inficies, vt nil penitus valere videantur. Hoc præterea indictum non abibit, quod præcipuum in colorandis metallis est, vt sint ea sæpius defæcata, elota, ac recrementis omnibus expurgata, & præstantiora erunt: vti aceto æs extinctum, in calcem cum sale redactum, vt defœdantes tollantur partes, quousque earum appareant notæ, & profundiùs fiat commixtio: sit vasis fundum crebris foraminibus laceßitum, & per ea colliquatum metallum descendat, vt recrementa, & spurcitias*

citias ſupra relinquat, nullaq́ extet ſcoria, eoq́ue præſtantiora fuerint, quo minus excrementi in eis fuerit, infrà purum dilabatur, cuius tamen meminiſſe ſemper oportebit.

De ferro, & eius medicinis primi ordinis.

CAP. VI.

IAM de ferri medicinis aliquid commentari monet ordo, id enim ſapientes Indi magni fecerunt, cũ in ſe boni retineat multum, & in nobiliùs facilè tranſmeet metallum, aliquibus verò, quod ægrè igni liqueſcat, ob fixum ſulphur, & maximas partes terreas difficulter tractetur, ceu inutile reijcitur, nos ad eius liquefactionem moliendã, & colorandã dicimus, cùm ab æris medicinis non parùm diſtent: Primo ſcoriæ & rubiginis viru defæcabimus: terreũ enim magis cæteris eſt metallis, ideo quoties excoquitur, toties excrementitias ex ſe ſordes gignit: Sæpe forti lixiuio, & aceto tenuiſsimas reſtingues laminas, vbi communis ſal, & alumen ebullierit, donec candicent, eiusq́ue ramenta ex ſale in mortario teres mutato ſubinde ſale, donec nullũ nigredinis indicium præbeat, ac ferri recrementum eluatur, cuius laminas ſic albabis: Ex argento viuo & plumbo malagma confice, terito, eiusq́ue puluerem teſtaceo in vaſe cũ laminis interpones, claudatur, & luto muniatur, ne vllũ relinquatur ſpiramentũ, in igne per diem perſeueret, vehemẽti demũ liqueſcat: malagma enim & candorem, & facilem colliquationẽ molietur, denuo in lamellas duces, & denuo incæptũ perages, dũ candoris ſatis contraxiſſe conſpicies, ſic quoq; ſi per vaſis fundũ liqueſcens deſcendat cũ plumbo, pyrite, arſenico, & omni, quod in ære diximus: ſi argenti

partem

partẽ addideris, ei magis aſsimulatur: cõiũgitur enim facilè auro, & argento, nec per ſeparationis examẽ ſine magno labore, et induſtria ſeparari poteſt. Ex eo quoq;

Ferrum auri colore tingere

Sic poſſumus: ex eo enim crocum elicitur, quòd croceo tinctu inficiat, ita nuncupatũ eſſe auguror: ferrum tamen hoc optimè præſtat: Ferreas laminas fictili in olla viuo intermiſſo ſulphure, & luto munita, igni concremabis, dein extrahe, & friabiles reperies, terito, & in vas patuli oris ponito, vbi diſtillatum acre acetũ infundatur, ſub caniculæ ſidus exponito, ſi ad ruborẽ nõdum peruenerit, rurſus ſub ſole habendum: vel feruentis aquæ balneo, dum rubeſcat ſinito, pennicillo exugatur, vel in vas aliud trãsfundatur, rurſus acetum addatur, & eadem ſequantur, dum ferrum ſoluatur totum: per vitreum vas euaporet humidum, & reſidẽs puluis ſuper argentum, vel aliud album proiectus, auri colorem imitabitur. At

Ferrum in æs commutare

Si deſiderabis, vt nil ferri prorſus retineat: alumine et atramento ſutorio tingi poteſt. In Carpato enim monte Pannoniæ Smolinitio oppido fertur puteum eſſe, in quo aqua in tres canales hauſta effunditur, ferrum illis impoſitum vertitur in æs, & ſi tenuia erunt fruſtula, in lutum tranſeunt, quod ignibus excoctum in puriſsimũ æs tranſit. Sed ſic faciliter commutatur: Fuſoriũ in vas ferrum conijcito, dum vehemẽti occanduerit igne, & fluxũ fieri incipiet, viui ſulphuris aſpergine ſaturabis paulatim, remoue, & in virgas proijce, & teratur: facilè enim friatur, forti demum ſoluatur aqua, ex ſalnitro alumineq́ue confecta, calidis inferueſcat cineribus

bus, dum in vapores soluta euanescat, remanens puluis in corpus redigatur, & habebis.

De plumbo, & eius medicinis primi ordinis.

CAP. VII.

ARduum esset plumbum in nobilius metallum commutare: id tamen cõmoditatis habet, quod in rubeum facile tingitur, vel aurum, at in verum aurum transmutari id penitus difficilè esset, cùm multùm ab auro nobilitate recedat. Igitur, vt ad tingendi normam accedamus, id de plumbo præcipiatur, vt priùs quàm aliquid cum eo aggrediare, lauetur optimè: multam enim terreæ partis exuberantiam habet, vbi optimè laueris, sic facilè

Plumbum in aurum tingere

Poteris: Combustum æs lapidea pila subtiliter pinsito, & tenuiter cribrato, identidem crystallinum vitrum, inde plũbi bracteis, alternis his inspersis repleatur fictile fusorium vas, vt vtrinque combustum æs contingat, adhibe paulatim ignem: inde follium flatu liquescat, vbi autem refrixerit, adhærentias separabis, & ter quaterque eandem operam impendas, & colorabitur: inde cadmiam terram tenuiter tusam, & rubeam habeas, ac passis vuis, aridis ficubus, & dactylis remistis in vase substernito, inde cyperi radicem, vel curcumam dictã adhibeto: & semicoloratas bracteas vicissim inspargito, ac operculo inhibeto, tenui tamen foramine peruio, tandiu lentũ adhibẽdo ignẽ, donec humiditatẽ exhalauerit, inde vi folliũ ignẽ vexãdo colloquetur, & in virgã proijciatur: nec auri patitur societatẽ. CADMIA autem terra sic purpurascet: Ferri ramẽtis, cum in lebete ignescunt ammoniacũ sal inspargito,

remiſceto, & in pilam proijce, & contere, deinde in ignem quater reuoca, & in vas demum proijcito, diſtillatum peracre acetum infundendo, per menſem fimo condito, acetum detrahe, & fecibus ijs cadmiam terram ſæpius imbibas, & rubeſcet: in alijs vtitor. ALIVS extat tingendi modus: Ferri, quod diximus, crocum habeto, in pilam calcanthi par pondus inijcito, hæmatitis lapidis, & ſulphuris, æquis portionibus tantundem, auripigmenti ſeſquitertium, cadmiæ terræ rubificatæ ſextum, omnia in minutiſsimas partes concidito, aptoque vaſe ignibus indito, dum euolet humiditas: vigorato poſtea, & vis ea ſublimet omnia, cuius pars vna, ſuper plumbi quatuor, in auri colorem conuertet. Tantam verò plumbum cum ſtanno affinitatem habet, vt facilè poßimus con-

Vertere plumbum in ſtannum.

Quod ſimplici euenit lauacro, dum enim ſæpius lauabitur, vt pars illa aboleatur terrea, in ſtannũ tranſmutari vidimus: argentum enim viuum illud, quo in puram reducebatur ſubſtantiam, & non fædam, ſemper in plumbo remanet, vel eius pars, vnde facilè ſtridorem adducet, & in ſtannum conuertet.

De ſtanno, & eius medicinis primi ordinis.

CAP. VIII.

EST & plumbi ſpecies altera, & alba, quam ſtannum vocant, cum ab eo parum differat: vnde ſæpe in plumbum vertitur: & plumbum in ſtannum: perfectius tamen plumbo eſt metallum. Eſt & ar[illegible]mulum, ſimulque multùm colore communicant, [illegible]rentque: ſuapte natura ſtannum talem ſortitur colorem, vt alia maximè dealbet corpora, ſed

frangit, & friabilia reddit, præter plumbum: quique artificio aliquo commiscere callet, non minimum nanciscitur opus. Pro viribus ergo argentum imitari conemur, quod facilè præstabitur, si quæ inficiunt, infirmitates abolescimus, ac funditus eruimus stridorem, videlicet, surditatem, liuorem, & molliciem: non enim prius ignitum liquatur, sed igni adhærescens eximiè velox fluxum facit: has impingunt notas, nec in meditullio coniunctæ, sed vti aduentitijs illud spoliare possimus, & primò docebimus

Stanni stridorem tollere, & molliciem.

Non desunt, qui id euenire tradant cineribus, calce, oleis, & distillatis aquis, si colliquatum extinguitur, nec minus bullitionibus: at sic perfectiùs, & commodiùs expedies: Igne stannum postquam fuerit solutũ, argentum viuum inijce, amoue, & in vitrea cucurbita accommodato, cui venter in orbem turgescat, & collum in longum porrigatur, atque curuetur, inferuescat igni, eiusque vis argentum viuum sublimet, & per vasis collum suspendatur, & descendat stillatim, vt prorsus absumatur, remanet in fundo stannum, hoc identidem ter, quaterq́; efficito, dum penitus, vti glacies, nullum exhibeat stridorem. Sic verò ALITER *rectiùs expedies: In calcem redigito, vti docuimus, vt fugitiuam illam, & non fixam argenti viui substantiam deleat, vel sulphuris potius illius causam: & si primam, & secundam post vicem non eueniet, vicissim tertiò prosequere: in corpus cum debitis reducens, voti fies compos, & sic durescit, vt pr[illegible]e candens videatur, quàm soluatur: nam vehe[illegible] ignis viui argenti humidum consumit, quod facilem præbet fu-*

sionem,

ſionem, vt durius igne ſoluatur, & ſic omnia poſſumus corpora mollia indurare, vt igniantur, ſed manifeſtiùs in ſtanno, quàm in alijs metallis id experitur. Si vis autem

Stanno ſurditatem adimere:

Quia per ſe molle, eſt ſurdũ: cedit.n. percutienti, metallis verò reliquis aſſociatũ fit magis durum, et ſonorum: ſed hoc opus hic labor erit: conſortiũ enim peruicax omniũ reſpuit, niſi plumbi, et omne reddit fragile. Sed tali perficies artificio: Forti aqua ſolutũ fatiſcat, ſic argentũ ritè purgatũ plumbo, aliúdue, vnà miſceatur aquæ, & leui igne vas inferueſcat, et vi redundantis caloris in vaporẽ ſoluta ad ſumma elata deuolet aqua, reſiccatã extrahito, & in aliud transferatur vas, forti denuò infuſa tantiſper aqua, donec cõiunčta, ac per minima complexata videãtur: Vel vtrunque in aquã ex calce redigatur, & permiſceatur: ſpirituum enim (vt aiunt) corporumq́; fit mixtio. Si contingat ipſius lucẽ hebetari: Igne liquatum cyclamino demergatur: ſic dulce, ſonorum, fulgens, & optimum, quod vocant, habebis album. Commiſceri quoq; poterit argẽto, & alijs ſtannum, per viuum argentum, quod aliquos ſenſiſſe video, & optimum parant pſeudargyron: In liquatũ cum viuo argento ſtannum immiſcent argentum, & diutiùs igne detinent, detrahunt, & ſic fragile in figulariæ cretæ pilam inuoluunt, & per diem ſub igne detinent, vel calidis cineribus. Facile quoque

Sta[illegible]m in plumbum vertere

Quiſque [illegible] ſi ſæpius in calcẽ reducet, et præcipue, ſi conuenie[illegible] in reductione illi adhibuerit ignem: ſtridorem enim amittens, facilè in plumbum vertitur.

De auro, & argento, eorumque medicinis primi ordinis. CAP. IX.

NEmo est, qui auro iis operetur, cùm nobilissimum sit metallum, sed omnibus illud imitari conantur, cùm raro quoque antiquitus misceretur: unde si de eo medicinas aliquas apponerem, non nisi dicta repeterem, argento tamen sic illud imitari conabimur. Et

Argentum in aurum tingere

Dabitur sic facultas: Lixiuium primo tale parabis acre: Calx immittatur in ollam, cuius fundum crebris foraminibus sit solutum, tenuibusque: peruium supra lignũ, vel tegulam accommodabis: inde puluerem, & aquam paulatim infunde calidam, ac per arcta fundi foramina in subiectam fideliam mundam defluat, ac iterabis, vt acerrimum fiat, in hoc tritum immittas stibium, vt in tenues auras euolare possit, ocioso igni ebullire sinas: nam vbi inferbuerit, purpurascet aqua, tunc per lineam laciniam, in purum vas exprimito, in residentes pulueres denuò lixiuium immittas, & in prunas sufferuefacias tantisper, donec non amplius cruentata videatur aqua, coloratum lixiuium conferuefacito subiectis ignibus, donec euanuerit aqua, residentem verò resiccatum puluerem, cum tartari oleo desiccato, & dissoluto, & ex auri, & argenti ponderibus æquis, lamellis fictili fusorio vase vicissim inspargito, carbonibus celato tantisper, & opus innouato, donec perfecti coloris prærogatiua aurum [illegible]mulari videbitur. AERE *combusto, sic aureum co[illegible]ffinges: si ex calcantho, salnitro, alumine, cinna[illegible] & ærugine fortem facies aquam, ac solutum fatiscat in ea combustum æs,*

ſtum æs, in corpus reducendo, aurei coloris multum retinebit: Fit quoque cyano ſæpius argentum inſpargendo, & ignibus committendo.

De viuo argento, & eius medicinis primi ordinis. CAP. X.

I*AM Hydrargyri operationes aggredi non intempeſtiuum videtur, & illius congelationes minimas, quod incongelabile putaueram, veras autem poſteriùs: nunc, quæ aliquibus factitari non inutiliter ſolent, cupientibus aperiemus, & primo*

Argenti viui congelatio cum odore

Metallorum, & præcipue plumbi, & nunc eo efficere libet: Purgetur plumbum, & à ſcorijs ſeparetur, liquatum in foueam projcito, vbi iam frigeſcere incipiet, ligni præfixa cuſpide, & detracta, fluidum immittito argentum, & congelatur, pila tundito, & multoties reiterabis, vbi durum iam habes, ſæpius colliquato, & in claram aquam immerſo, tandiu opus iterabis, donec durum, & ſub malleo ductile habes, nec tamen inutile fore cenſeas. Fit & alia

Argenti viui congelatio cum caſside ferrea,

Vel patina, projciendo cum eo aquam, qua fabri ignitum extingunt ferrum, ac illo duplũ immittatur ammoniaci ſalis, calcanthi, & æruginis: vehementiq́ue igne ſinas ebullire, ferrea ſemper ſpatula verſando, & ſi abſumitur bullitione aqua, calida paretur alia, & projciatur, ne [illegible] ebullire: ſic diei quadrante congelatum hab[illegible]nteo fiſco, vel corio ſtrictè manibus congelatu[illegible]o, vt exudet quantulumcunque habet, ex[illegible]ò congeletur, dum omne perficiatur, ſic in[illegible] fictile dimittatur cum fontana aqua

detractis, quod pessum ierant sordibus, in eandem fideliam misceto, & confundito, donec lotum, & clarum habeas, sub dio tribus noctibus apponito, & in testæ duritiem crassescit. Illud autem

Argentum viuum congelatum in aurũ tingere

Si vis, & pulchrè: Infractis particulatim partibus, cũ cadmiæ terræ pulueribus alternis fusorium vas, & testaceum compleas, quibus mixtura mediet, è schidijs, & paßis vuis, & cyperi radice Indica illa, quam officinæ curcumam dicunt, contusis, & inuolutis: expletũ vas luto circumlinias, & Soli exiccabis, vel igni, vt Solis vicem penset, sic igni appones, vt ferueat horis sex, & incandescat, inde vi follium profletur, & maximè vexetur, vt fluxum faciat, & vbi fluxerit, frigescat carbonibus tumulatum, sic aurum coloratum, et splendidißimum reperies. Et aliter

Argentum viuum cum æneis pilis

Fixum reddere possumus, & congelare: Aerea duo hemisphæria fabricemus, vt se inuicem penetrent, ne expirare poßint: intus viuum argentum cum crystallini arsenici æquali portione, & tartari ritè contusorum, & cribro succretorum immittantur, luto foras commissuræ perlinantur, ne respirent: sic resiccescant, & carbonibus exaggerabis, et obrues quarta diei parte, postremo incandescat totum, inde extrahes, & aperias, & totum ænei vasis concauo coalitum inhærescere videbis, malleo percussum decide [illegible]ato, & proijcito, & optimum dabit argenti col[illegible] difficileq́; ab eo secernitur. Si æri immiscere plac[illegible]o æris triplo immisceas, & sine argento op[illegible]dет album, dulce, & malleabile. Vel A L I [illegible] *ductili ol-*

[illegible]eneum

le æneum operculũ ... : & quo leuiori uum argentũ in operc... etur. Sic verò alius cõgelabitur: alij è fer... rcietur: Sublimato auro conficiũt, diuersisque ... ulliat, inde viuum ar vtile fuerit sciſſe, nec mem... curuo vaſe viuum ar

Argenti viui co... *deuolet, & in receptaclia, & ſic factitatam ... ponderis (ſi ſapis) parum aliquid, & ingenioſa eſt ... ſic, & citius, et lucroſenico, & aurichalco ... nabaris partes ad teſſerarum quod ritè operculum coo... linteum ſacculum accommoto reple, & iuncturæ lu... ique diſtantem, inde lixiuiũ mine, vel reſina pini, ... alumine, tartari duplo, viuæ lini oleo plenã, & na... neris roboris æquali portione cõlire, extrahe, & exe... vel ratione aliqua parandũ: per mito, & ſi quid inco... xime, & ebulliat cũ oleo, iugem coagulari cogito. Si ve... integram cum nocte diem ſinito deris amiſiſſe vides, e... xemptas ex oleo cinnabaris pardas, è pondere enim ... perlinito, ac in tertia parte elam poſcit ordo fixa... reuoluto, in fundo apti vaſis ſubcoagulationibus ſu... creta munitũ, vt diximus, ignẽ minusue retinent ... tam poſtremo augeſcat, vt*

Argenti ... *liqueſcat, detrahe, & ex fæcibus. Hæc ſic procedit ... examine perluito, & ad verum, & quod igni reſiſt... & Aliter fixum reddere raſuram ſubſte... in vaſe rotundo vndique clauſo, dando, aliu... cinnabarim immiſeris, glutino ex no vitro, pil... as, ne vis ignis carbunculet, igni ſubtili... im vigorando, vel lignorum ſer... ndem contraxiſſe colorem cernes: ... omne corrumpit, & ſæpè à philo... ces: ſed hoc miniſterium quærit maius.*

detractis, quod pessum[illegible] *ad candorem reducatur.*
deliam misceto, & co[illegible]*iectis prunis supra pri*
rum habeas, sub dio t[illegible]*, inferiùs posteà & colli-*
testæ duritiem crassesci[illegible]*argentum, si quid remanet*
Argentum viuum co[illegible]*m euolat, & ex omnibus,*
si vis, & pulchrè: Infra[illegible]*periri, fœlicissima hæc suc-*
cadmiæ terræ pulueribus al[illegible]*l in corpus illud fixat, quo*
staceum compleas, quibus m[illegible] LIA *argenti viui fixa-*
& passis vuis, & cyperi rad[illegible]*vti poteris, si placuerit:*
cinæ curcumam dicunt, contusi[illegible]*rentur, & in pollinem*
vas luto circumlinias, & Soli e[illegible]*flammam erigens, com-*
lis vicem penset, sic igni appones[illegible]*rtatur, et leuis flamma*
& incandescat, inde vi follium[illegible]*s cum chrysocolla fa-*
vexetur, vt fluxum faciat, & v[illegible]*m vt alumen) triplo*
carbonibus tumulatum, sic aurum[illegible] *hoc congelatum in-*
didissimum reperies. Et aliter [illegible]*ueatur, inde circum,*
Argentum viuum cum[illegible]*oris, & partes reti-*
Fixum reddere possumus, & cong[illegible]
hemispheria fabricemus, vt se inui[illegible] CAP. XI.
expirare possint: intus viuum argen[illegible] *medicinas, illæ e-*
lini arsenici æquali portione, & ta[illegible]*per diminuta ali-*
rum, & cribro succretorum immitti[illegible]*t sic corpus, vt pa*
commissuræ perlinantur, ne respirent[illegible]*nimisq; diuersifi-*
& carbonibus exaggerabis, et obrues [illegible]*e obstant exami*
te, postremo incandescat totum, inde ext[illegible]*antes, vt à ma-*
rias, & totum ænei vasis concauo coalitum[illegible]*mque deficit,*
re videbis, malleo percussum decide[illegible]*unt, & dif-*
cito, & optimum dabit argenti col[illegible] *& ap-*
eo secernitur. Si æri immiscere place[illegible]
triplo immisceas, & sine argento op[illegible]
bum, dulce, & malleabile. Vel ALI[illegible]

aurum: Ex argen[illegible] : & quo leuiori
plo igni malagma com[illegible] res peragetur. SIC verò a-
inferuescat, dum illu[illegible] resarcietur: Sublimato
tum superatur, inde sal [illegible] bulliat, inde viuum ar
phur æquali argenti pond[illegible] curuo vase viuum ar
vase aliquo duas horas fla[illegible] deuolet, & in recepta-
dum eius vis salem amm[illegible] ponderis (si sapis) parum
gentum sublimet, & va[illegible] sic, & citius, et lucro-
& argentum aureo col[illegible] nabaris partes ad tesserarum
vel maioris seruato, ta[illegible] linteum sacculum accommo-
manum chalcãthum [illegible] ndique distantem, inde lixiuiũ
[illegible] stillatitij, quod vo[illegible] ex alumine, tartari duplo, viuæ
hinc omne dependet: [illegible] neris roboris æquali portione cõ-
tertia, ac cinnabaris [illegible] vel ratione aliqua parandũ: per
stillatim exugito, cu[illegible] xime, & ebulliat cũ oleo, iugem
to per naturalem die[illegible] integram cum nocte diem finito
distillationis igne, d[illegible] exemptas ex oleo cinnabaris par-
fundo remanet, cu[illegible] perlinito, ac in tertia parte e-
fusorio accommode[illegible] reuoluto, in fundo apti vasis sub-
liquationis ignem [illegible] ta munitũ, vt diximus, ignẽ
argentum, maxim[illegible] & tam postremo augescat, vt
permutaturum, [illegible] liquescat, detrahe, & ex fæcibus
tũ, coloris parum [illegible] mine perluito, & ad verum, &
rem auri æmul[illegible] & ALITER fixum reddere
se iam debes è[illegible] in vase rotundo vndique clauso,
medietate c[illegible] cinnabarim immiseris, glutino ex
vt videri p[illegible] as, ne vis ignis carbunculet, igni
aliquo[illegible] im vigorando, vel lignorum ser-
[illegible] dem contraxisse colorem cernes:
[illegible] omne corrumpit, & sæpè à philo-
[illegible] ces: sed hoc ministerium quærit ma-
ius.

detractis, quod pessum ... *acre acetum fun-*
deliam misceto, & co... *e sinas, & colore au-*
rum habeas, sub dio t... *remo impones auri exa-*
testæ duritiem crassesci... *, & laterũ puluere, ad-*
Argentum viuum co... *nque sic purgatum acci-*
si vis, & pulchrè: Infra... *mnibus, ac non solùm in*
cadmiæ terræ pulueribus ... *at ordinem.*
staceum compleas, quibus m...tij ordinis.
& passis vuis, & cyperi radi... I.
cinæ curcumam dicunt, contusi... *s aggredi oportunum*
vas luto circumlinias, & Soli e... *nos ab huiusmodi le-*
lis vicem penset, sic igni appones ... *nitio nil aliud concu-*
& incandescat, inde vi follium p... *Nunc profundiora*
vexetur, vt fluxum faciat, & ... *s tamen, qui num-*
carbonibus tumulatum, sic aurum ... *i eos non depereat.*
didißimum reperies. Et aliter ... *medicinas tradidi-*
Argentum viuum cum ... *aliud tempus for-*
Fixum reddere possumus, & cong... *qui multa pericli-*
hemispheria fabricemus, vt se ... *e lucrosiora et ex-*
expirare poßint: intus viuum argen... *imò*
lini arsenici æquali portione, & ta...dere.
rum, & cribro succretorum im... *n esse censeo: Cin*
commissuræ perlinantur, ne respiren... *nẽ iuglandium*
& carbonibus exaggerabis, et obrues ... *i pondere iam*
te, postremo incandescat totum, inde ex... *& vicißim*
rias, & totum ænei vasis concauo coalitum ... *n minus in*
re videbis, malleo percussum decide... *immersum*
cito, & optimum dabit argenti col... *lum*
eo secernitur. Si æri immiscere place...
triplo immisceas, & sine argento op...
bum, dulce, & malleabile. Vel ALI...

obſtabit, maioris ponderis & [illegible]: & quo leuiori vtêris igne, tantò fœlicius [illegible] peragetur. SIC verò animatur argentū, & ami[illegible] [illegible]rcjetur: Sublimato viuo argento ex aceto, diſti[illegible] bulliat, inde viuum argentum remiſcebis, & vit[illegible]curuo vaſe viuum argentum in ignem inferueſ[illegible]o deuolet, & in receptaculū dilabatur, & ſeruet[illegible]: ponderis (ſi ſapis) parum amiſiſſe comperies. ALIT[illegible] ſic, & citius, et lucroſius facies: Infractas cinnabaris partes ad teſſerarum magnitudinē in oblongū linteum ſacculum accommodabis, ollæ lateribus vndique diſtantem, inde lixiuiū peracerrimum fundas ex alumine, tartari duplo, viuæ calcis quadruplo, et cineris roboris æquali portione cōfectum, vti fieri ſolet, vel ratione aliqua parandū: per diem èbullire ſinas, exime, & ebulliat cū oleo, iugem operam impendas, & integram cum nocte diem ſinito quoque illic eſſe, & exemptas ex oleo cinnabaris partes, oui albumine ſubacto perlinito, ac in tertia parte elimatæ argenti ſcobis reuoluto, in fundo apti vaſis ſubſternito, ritè figularia creta munitū, vt diximus, ignē adhibe diebus tribus, & tam poſtremo augeſcat, vt igni cedat, & ferè liqueſcat, detrahe, & ex fæcibus extremo argenti examine perluito, & ad verum, & naturale deducito [illegible] & ALITER fixum reddere poſ[illegible]: Si te[illegible] in vaſe rotundo vndique clauſo, vbi exili ſpir[illegible] cinnabarim immiſeris, glutino ex oui albore pa[illegible]as, ne vis ignis carbunculet, igni [illegible]mod[illegible]im vigorando, vel lignorum ſer[illegible] [illegible]ndem contraxiſſe colorem cernes: [illegible] [illegible] omne corrumpit, & ſæpè à philo[illegible] [illegible]ces: ſed hoc miniſterium quærit maius.

ius. Nec aliter inu[illegible] redditur, vsto ære inspar so fictili in olla, prius [illegible] chalcantho disseminato, et calce expleta pertin[illegible] [illegible]iatur luto, & triduo vitrariorum fornaci reli[illegible]tur, detrahe, & argentum æs retinebit, si rectè h[illegible] [illegible]imaduertes, non parũ nancisceris lucri: omnibus eni[illegible] antestat, qui tali parantur arte, facultate & fructu: n[illegible] pauca dixisse pœniteat. Id autem ingeniosorum re[illegible]rit diligentia, vnius pharmacopolæ exemplo, qui cùm cinnabarim cõficere quæreret, in argentum casu optimè versum inuenit. Vtilius fixum redditur, si cinnabaris arte conficitur, sulphure nõ tam adustibili, ac maiori parte. E R I T *quoque voluptuosum, si cui placuerit, è fixo cinnabari argenteam barbam elicere: Si vase eodem accommodabis, igne solùm inferiùs lentè admoto, argentum adhuc spirituosum, nec plumbum expertum, vti sylua erectũ cernes capillamentum, vt nil fuerit visu iucundius. Quæritur & apud chymistas, non cinnabarim solùm fixum reddere, sed*

Aurum ex argento extrahere.

Nec tam parum, quin sumptib[illegible] reficiens, multum nõ superlucreris. hæc est eius conficiendi norma: Tenuis elimata ferri scops in fusorium [illegible] & durũ igni tandiu incandescat, dum soluatur: i[illegible] factitiam chrysocollam, qua auri ferrumini vtunt[illegible] [illegible]rifices, & rubeum arsenicum paulatim inspar[illegible] & postquam insparseris, æquali argenti ponder[illegible] [illegible]o, exquisitè purgetur, vase è cineribus parato [illegible] [illegible]m exclusis sordibus omnibus auri in separati[illegible] [illegible] immergito, & aurum deorsum vasis fun[illegible] [illegible], curges, nec veridicum magis è multis, & [illegible]

labo-

laboriosum reperimus, laboribus [illegible]parcito, & ritè mi-nistrato, ne tempus & oleum teras.

De Phœbi & Pythonis pugna.

CAP. XIII.

R*Emoueatur suo loco ingentis corporis Python, faciei horridæ, rutilis cristulis, maximoq́; veneno minax, latiori aculeorũ aceruo stipatus: ex omnibus acrior, quæ mater tellus producit, multũq́; loci conducit situs: vt hinc omne dependeat. Hic tabidi vi aëris, vipera virulentior, eminus duros infigit ictus: cùm inimicum absorbuerit, cæco demergatur antro, vbi primùm obmutuerit, ne surgentis vi vaporis, strangulantemq́ue halitum eructans, astantes interimat, vnde cõducit vesicis caput obuelent, si fuerit quoque tutum, sed tutius erit militantes relinquantur: sic Phœbus suis paulatim cõfodiens sagittis, ingentem sternat Pythona, & sic in fine percutiet, vt exhausta sit pharetra, venenumq́ue effusum, nec cœli desit clementia, sed longa imbrium procella sæuientem compescat, humoremq́ue cupitum ipse hauriat, multaq́ue humiditate intereuntem, detineat: sic Phœbi Pythonisq́ue, per diei quadrantem immoretur bellũ, vel plusculum, quod nil referre arbitror, dummodo victoriam referat: sic populatis visceribus, prostrato hoste, exhausto exinanitoq́ [illegible]no, ira Phœbi cesset, & si amplius reuiuiscit, aditus vitam repullulandi resecetur, & tantùm p[illegible]net, dum pugnando occumbat: tunc Phœbus frondibus & [illegible]lis caput redimitum, ferat insignis victoriæ pram[illegible], nec lasciuum puerum iniurijs lacessat, & sat f[illegible]sse sciet. Neque hoc tamen me clam est, perpaucos esse, quos æquus amabit Iupiter, eisq́; propitia-*

pitiabitur: si ad [illegible] sensum eruendum prouehit inuestigatio, facilis tamen præ alijs, veris doctrinæ filijs patet: semel tantum in serijs ludere placuit.

Corallium in formulas digerere, & è multis fragmentis vnum efformare. CAP. XIIII.

SÆpe vsu venit, vt multa fingantur ex corallio gestamina, & nonnunquam ex assulis in plures formas digestum reddatur, vt vasa efformentur, cæteraque concretitia, vt in testæ duritiem transeant, nec minimi consurgũt pretij, ideo ritè rationem parandi exhibeamus, cùm à multis huiusmodi compositiones flagitentur, si optimè curabis, à marino parum differre scito: optimi coralli, qui eximiè rubent, ramenta, vel schidia pila tundantur, vel mola, incerniculo succreta, quæque non transmeant, denuo in pilam repetantur, dum in tenuißimum redigantur puluerem, vt ægrè tangantur, & in auras euolent, quàm diligentißimè valebis, & docebimus: vt autem omni abstergatur spurcitia, feruenti in aqua sal alchali demergatur, vt liquescat, & in humorem transeat, in amplum cratêra effusa aqua, vbi pulueres inieceris, diligenter manibus exagitentur, ac probè versentur: & vbi considere desierint excolato, & priore effusa, alia superinfundatur, manuque expansa denuò exagitentur, vsque dum sordes omnes abierint, inde copiosa aqua perfusa simplici tractentur tandiu, donec sal abeat totum, & aqua salsilaginem non resipiat: cum hoc cognoueris, ahæno transferas rebus vnà maximè tingentibus, vt proniores ad colorandum reddantur, quæ sunt cinnabaris, sanguis draconis, minium, æmatites, bolus armenus, rubricæ, coccus baphica, sandalum, brasile, eritrodani

radi-

radices, & ijs similia, vel qu[...]s vicem exhibeāt, largè effuso limonū succo, quē prius parato, & purgato, vel pennicillis, vel vitreis chymistarum organis, coquito simul, dum aliquid habuerint humoris, sæpe rudicula vel cocleari vertendo, vt permisceantur, in vitreum deinde tranferto vas, cum reliquo succo, vt ipsius acrimonia soluatur, longo collo, lato alueo, vt promineat foramen in medio, quod ferè pertingat mixturam, rectè permiscendo, vas fimo condito, ac innouato, dum dissoluantur, quod huiusmodi argumento percipere licet, dum guttatim oleū rubicundissimum emergere conspicies in dies: vbi abundauerit vas inclinando oleum decapulatur, seruato, & mixturam manibus tractabilem & mollem accipe, manus autem munire primò lardo, vel adipe aliquo oportet, nam inhærescens pertinaciter, vix conuellitur. Tunc vas efformato, imagines, aut ramosissimū effinge, primoq; rude ratu deformatū calēti Soli expone, caueto, ne puluere, ventoq; infestentur, vel superficiē deturpent, vel phialis fimo condito, seruato semper oleo perungendo, puniceum enim illum colorem cōciliat, ac paulatim lapidescens, in duritiem redit pristinam, & sonum, nitorem induces expoliendo, vel leuiter læuigando, sic facilè peculiari, natiuæque constitutioni restituemus.

Margaritas itidem confractas in vnam conglobare. CAP. XV.

NEC minus in margaritis adhibenda est diligentia, si maximè omnibus, & præcipuè mulieribus expetantur, vti luxus, vel deliciarū irritamenta, & collo magnitudine insignes, & semunciales lapillorum orbiculi, vti crotala gestentur, & adeò*

deò adulterata con[...]am formam mentiuntur, ut tales indicus non mittat oceanus, nec quæ in conchis nascuntur proximis. Vt institutum autem opus exequamur, primò ne labe aliqua vel sordibus deturpentur, sic exaluminatos reddes: In sacculo, cum smiri, pumicis, sepiæ oßis pulueribus inijciantur, & ex aqua manibus tractentur, dum elotas & politas cognoueris, resiccato, & in pollinem redigito, uti diximus, & dissoluantur, vel limonum succo, vel huiusmodi vapore surgenti, pendentes è vitrei vasis collo per diem, vel forti aqua, non vulgari tractabiles fiant: melius ergo sub fimo condito, quinis semper diebus innouando, dum solutas noueris, & pingue quoddam, vel oleum per humoris superficiem enatare videbis, optimè excipiatur, vel ventris foramine, vel argenteo cocleari: inde remollitum puluerem manibus sumptitabis, & tractando in orbes digere, vel uti pyra turbinata: siq; tua non respondet ars, ex argento parato typos, vel alio metallo auratos, & si pertusas velis porci seta, vel argentea acu perforentur, seruata semper pinguedine, perungẽdo è filo pendentes, tereti vase vitreo claudito, et Soli exhibeto pauculis diebus, vt assentur, ne latera cõtingãt, vt à venti, pulueris, aliorumq; iniurijs vindicemus, ne innubiletur, & varijs obnoxium maculis margaritum reddant, cum duritiem contraxisse vides, ex milij vel hordei pinsita farina pistorio opere in paneficio ducta, circumlita, & cõdita, furno coqui sinito, vel palumbis margaritas commanducandas præbeto, quibus purgata sint viscera, & ventriculum, vel ieiuni sint, vel ijs aluus sit subducta, vbi deglutierint, sinito aliquantisper, tum è ventre trahito, vel filo suspensos, vel interficito:

ficito : Vel lacte ficus ebulliant, & preciosum habebis margaritum. Si ALITER placuerit: Vbi succo, vel forti aqua sunt dissoluta, clara lauabis lympha vel distillata, lotisque manibus, ne tractando sordescant & palleant, sic lacteo fici succo, coclearum aqua, feruenti balneo distillata, aut oui albore glutinabis, perforabis, & resiccare curabis, argentea lauando semper aqua, & commiscendo. AQVAM argenti sic parabis: Forti aqua solutũ fatiscat purgatum argentum, leuibus prunis euolet aqua, tertium relinquendo, mox ab igne vas tractum dimittito, dein sub dio noctu relinques, donec glaciet, et argentũ in crystallini lapilli speciẽ reperias, ritè ablues fontis aqua, vt lucidiores cõspiciantur, quos vitreo condes vase, ac putri fimo soluere sinas, quo mergas factitios vniones, & immorari sinito, & lucidos argenteo colore pellucenti reperies. EST artificiũ, quo maculæ ab vnionibus abolentur, et inter multa facilè, & præstantissimũ reperi : Maio mense in lactucis rorem accipias sparsum, quo vniones immergas per diẽ, & perlinito, & fulgidum euadet margaritum, nec absque ratione inuentum reor : rore enim nascuntur. Nam certo anni tempore luxuriante conceptu sitiunt rorem, veluti maritum, cuius desiderio hiant, & cùm maximè lunares liquantur aspergines, oscitatione quadam hauriunt humorem cupitum, sic concipiunt, grauidæq; fiunt, ac de saginæ qualitate reddunt habitum vnionum, nam si purum fuerit, candicant lapilli, si turbidum, pallore languent & rubescunt. ALII sunt adulteras & decerptorias ementientes sic: Piscium oculos emundatos acri aceto detinent, dum mollescant, eosque effingunt, ac durescere sinunt, sed pallore lan-

P guent.

guent. Sic candore, leuore, magnitudine, pleniori orbe, & pondere vniones insignes habebis.

Crystalli, & vitri operationes, quibus in adulterandis gemmis vtimur. CAP. XVI.

IAM ad preciosorum lapidum compositiones est accedendum, de quibus prisca non parum laudatur ætas: nec fraus est (inquit Plinius) vitæ lucrosior. & sic æris desiderium luxuriæ facem excitauit, vt sæpe horum censores optimi haud fuerint tuti. Vitro, aliqui crystallo, alijsq́; rebus parant, decenti quadam prærogatiua, vt naturales videantur. Nos quibus imitari poßint, recenseamus. Nunc aliqua præmittamus, quæ ijs sunt necessaria, & primò

Crystallus, vt fusilis fiat,

Docebimus, nec parum aliquibus impedimentum erit liquefactionis mora, nec illud efformare poterimus, quod cordi fuerit: sic tamen id aggrederis: Crystallum terito, & incerniculo in tenuißimum puluerem subcernito, cum tartari salis medietate ex aqua orbiculos effingas, & crudo fictili validißimo fornacis igne tota candeat nocte, nec liquescat, apto deinde vase colliquetur, sed omnibus longè sordibus: si enim fætulentus fortasse fuerit, arguitur, & dolus detegitur, sed inoffensa interniteat perspicuitate. quod si salis plusculũ suggeratur, celerius liquesit. Sal iam patuit. Assolent multi crystallũ præparare ALITER, *vt facilius liquetur sic, & operi aptior est: Ferreum cocleare capiunt magnum, luto muniunt, & infractas crystalli partes igni cõmittunt, dum illæ incandescant, inde tartari oleo restingũt, id multoties innouãt, & æreo mortario terunt, vt facilius puluis colliquetur. Fit etiam-*

num

num pro adulterandis gemmis

Vitrum fictitium,

Et illud ex oui albumine parant, quod alij ex harena fluuiorum quorundam, & herbarum cineribus conficiunt, sic efficies: Multa ouorũ albumina simul exagitabis, ijs vesicam impleas, inde in ollam aquæ plenã feruẽtis immittas, ac diu coqui sinas, detrahe, & per multos dies resiccari curabis, loco tamen non puluerulento, nam non relucens vituperatur, & sic lapidescet, vt in vitri duritiem transeat. Si autem coloratum reddere quæsieris, coloratis aquis ebullire sinas, si topaziõ, aqua croco in ea dissoluto, si pyropum, brasilis rasura, sic alios tingito. At si vitri pondus, vel gemmæ non explent, ponderosos immisceto colores, vti cinnabarim, argenti viui vbertate nõ leuem, sic vitri pondus imitabimur, non tamen duricie tam robustissima, vt scalpturis pertinaciter resistat, nec radi abnuat lima.

Quomodo diuersis modis Gemmæ adulterentur. CAP. XVII.

Antequam sua cuique assignentur gemmarum compositio, quædã eorum placuit apponere experimenta, vt hinc quisque assequi liceat, quicquid ad eas fucandas, & adulterandas attinet: ex vnoquoque enim horum alia componendi datur methodus, vt vnius exemplo in omnibus vtantur, & periculum naturæ sumant. Quarum prima se offert

Hyacinthus,

Nec à verò multum aberrabit, & huiusmodi semper meminisse oportebit: Fictili olla, & dura plumbum immittatur, ac vitrariorum fornacis igne accommodetur, immoreturque per mensem, & dimidium, sic

vitrum & hyacinthinum colorem imitabitur naturalem, multumque gloriaberis, nec factitia dignoscitur, locoque inter has habetur principe. Si autem

Carbunculus,

Vel quem vocant Rubinum, placuerit, sic mentieris ludi gratia: friabiles enim sunt, multumque cædunt, & in particulas dissiliunt: Tritum auripigmentum in rotundam immittes phialam, & igni accomodato, eiusque vasis collo reperies optimos, & colore flagrantissimos, multumque suffunduntur cocci rubore, rutilos emittentes ex sese radios. Sic vero

Succinum

Imitaberis, si mastichen in olla liquidam per colum traieceris, vt sordibus expurgetur, & lucidior interniteat, parum deinde radicis curcumæ dictæ, cum ea remisceto, & imagines efformato. Sic si in crystallum liquefactum tartarum vini albi crudum immittitur, et in vas ore circumlito, per naturalem diem igni detineatur. Sic quoque fiant omnes

Gemmæ fictitiæ,

Primo crystallum, berillos, vel lapides alios ignobiliores rotis læuigant, lateribus æqualiter quadris, vel quam quærunt inducunt formam, inde tincturam parant, smaragdum ærugine, carbunculum cinnabari et brassile, saphyrum cyano, chrysolitum auro intermixto auripigmento: ne tamen perspicuitatem arceant, ijs mastiches lachrymam, vel gummi tingunt, & gemmam hinc inde diuisam lento igni super laminam accommodant, talique inficiunt, & ceu glutinum quoddam vnit, & sic tenaciter adcorporantur, vt dimoueri non possint, quòd si meracius rubent, aquam, si dilutius colorem

rem

rem addunt, & ad decorem proficit, subtus autem bractearum quadrulas accommodant, cumque anulo insignita est, & in orarum extremis coloris tinctura non deprehenditur, quo omnes arguuntur, nec aliquibus fucum subolent. Varioque huius colore mirè variatur gemmæ color. At si placeat

Saphyrum in adamantem vertere:

Saphyrum eum inuenito dilutioris coloris, ut ferè albedinem retineat, in ferri elimata scobe, fusorio in vase obruito, ac validißimo igne ubi excanduerit, ne tamē colliquetur, visere ne parcas, ne plus, quàm deceat, igni detineatur, ubi perfectum recepisse colorem, ac de adamante multum fuerit mutuatus, detrahe, & in usum transferto. Albus autem

Sardonix,

Quem alij cameum vocant, si cordi fuerit, imitarique eum vis, cape modum: Conchas terito multas, paruas illas, quibus mulieres facies fucant, & expoliunt ornamenti causa, & limonum purgato succo, impones, ac dies decem fimo obruito, & lotam mixturam oui albore porphyrite teres, & quam vis imaginem effingito, & resiccari curato, eam quoque anulo insignire poteris, uti libuerit.

Gemmarum compoſitiones aliquæ.

CAP. XVIII.

GEmmarum cōpositiones aliquas apponemus, quales plerisque locis factitantur, si earum aliquando egens fueris. Nunc primò quomodo fingatur Adamas

Docere lubet: Primum optimum parabis crystallum, ac olla vitrariorū fornaci per noctem inditur, in aquā

restingue, tum minutissimè commolito, & terito, & cum tartari sale remisceto, & ex aqua pilulas digerito, per noctem feruentissimo immorentur igni candentes, ne tamen colliquentur, inde detrahe, & in aliud contumacius igni vas dimittantur, binisque immorentur diebus, & optimum habebis. Nec minus

Smaragdus

Effingitur: si tali eum parabis opere: Aes optimũ fornaci tres dies cõburitur, detrahe, & pila contundatur, & succernitur, vase alio iterum fornaci imponitur: igni vero imbecilliori, per quatuor immoretur dies cũ duplo arenæ, ex qua vitrum cõficitur, duro vase remissiori igni detineatur per diei medietatem, & crassius virentem reperies, visu iucundissimum, vt suauitate oculos alliciat. Fiat nec dissimili industria

Saphyrus,

Facilisq́; talis est tinctura: Si vitri puluis cum cærulea terra illa, quã figuli zapharũ vocant, portionis semisse mixtus, fornaci inditur, & triduo, requiescere pateris vase forti, perficitur. At carbunculi speciẽ, quæ Græcis

Pyropus,

Nobis Rubinus dicitur, & magis fusci, quæ granatæ dicuntur, sic efficimus, & vt purpuream emicet alacritatem, aut meraciore suffunditur, cocceo rubore per omnem intimam sui partem, & si puram feceris, inoffensam admittit perspicuitatem: Crystallum fusorio in vase forti, ad colliquefaciẽdum fornaci imponimus, cui minij parum addimus, & per diem immorari sinimus, postera die detrahe, & refrigerari sinito, tunc pila tundatur, & cribro excutiatur, quibus quam minimum in calcem redacti æri addimus, igni iterũ imponimus,

ponimus, & in colliquatū huius pulueris parum addimus. Igni fusum stannum triduo detineatur, & croceum, quod pessum ierit, ne amplius eluuies illa innatet, remisceto, & per naturalem diem ferro versato, & nunquam cessa, quin verses, quousque refrixerit, sic languidius, et liuidius omnes rutilabunt, vti libuerit. Ipse tamen

Topazion

Si vis componere: Arenam sumito, quam diximus, et cum sui quadruplo combustum immisceas stannum, et testaceo duro vase lento fornatium igni adhibe, & per diem igni detineatur indesinenter: valde enim arena fusibilis est. At

Chrysolitus

Sic fiet: In colliquatum crystallum sexcuplum ferri stercoris, vel recrementi permisceas, & pertinacior igni vas triduo crucietur. Sic quoque

Prasius

Mentitur: Crystallus colliquetur, cui duodecima immisceatur ferri, & æris in calcem bis redacti pars, per artificialem diem igni ferrea rudicula permisceto sine intermißione, & smaragdo eueniet similis, si dilutioris peroptas coloris, sextum immisceas plumbi calcis & stanni, post versato, et igni per naturalem diem relinquito, mox ab igne amotum vas, vbi refrixerit, prasium dabit. Sic

Calcedonius

Eueniet: Cum igni ad colliquefaciendum crystallum immittes, argenti calcis parum remisceto, per diem fornaci immorari sinito, sic pars internitebit, pars autem innubilabitur, & hebes erit. Lapis autem

Cyanus

Si effingi velit: In liquefactum crystallum terræ illius pusillum immittas, quā in saph[redacted], ritè ferrea rudicula permiscendo, dum combibat, et per diem relinquatur, paria deinde argenti calcis pondera remisceto, per consimile tempus igni detinendo. Si vis lapidem, quem vocant vulgo.

Smaltum,

Et album, sic fiat: Plumbi cinis cum crystallini pulueris duplo permisceatur, in pilulas conglobato, et per noctem lento imponas igni, præcaue tamen, ne res inhæreat vasi, ferrea spatha permisceto, & colliquationis ignem auge, & fiet. SI *hinc interniteat, hinc vero albescat vis, è dicta terra cum vitri duplo, ex aqua globulos effingito, ac per noctem reciprocationis igni apto vase liquetur, rude aliquando ferrea permiscendo, sic translucidæ partes, & hebetes paruo eius orbiculo deprehenduntur.* SI *vis autem viride, quo solent parietes incrustari. Vbi album effeceris, cum terræ cæruleæ illius pusillo misceas, et colliquetur, rude ferrea versato per noctem, & fiet. Horum exemplo reliquos tuo marte effingere poteris, vt si iaspidem, antiqui lateris puluere, si lacteo colore calce, & gypso. Omnes hæ tamen gemmæ si languidius micant, vel nube aliqua circunfunduntur, angulis atterantur pluribus, vt nubilus color angulorum repercussu excitetur, & ad nitelam incendant pinguiorem. Hæc de chymicis, & de adulterione gemmarum visa sunt: superest de speculis, & de gemmarum inscalpturis, quod proximo Libro faciendum erit.*

FINIS TERTII LIBRI.

10-

IOANNIS BAPTISTÆ PORTAE NEAPOLITANI [redacted] NATVRALIS LIBER IIII.

PROOEMIVM.



NIVERSVM tunc hoc negotium me abſoluiſſe reor, cum experimenta Catoptrica quædã, quæ ſuperſunt, enarrauero: ſatis enim, vt cenſeo, attigimus Chymica, vt eorum aliqua rudibus innoteſcere poſſint principia, nunc ea docere ſatis præſens exigebat locus. Eſt enim quædã Geometriæ pars, quæ ὀπτική, id eſt perſpectiua appellatur, ad oculos pertinens: multa enim huiuſmodi demiranda facit experimenta, vt imaginem nunc extra porrigat, nunc nihil imaginet, nunc aliorſum tranſlata imagines faciat Item quoque rectius ſpeculũ inſpectando pedes ſurſum, caput deorſum videntur, & cætera, vti latius in ſequentibus perſpiciũtur: id tamẽ ſcito, quòd ſi diuerſitatem aliquam es effecturus, à plano recedas, & ſemper à vero diuerſum ſpectabis. Reddere tamen eorum cauſas, alienum puto, cum diſciplina ea affatim ſatisfaciat: multique eas reddiderint: quas qui præoptarit, cõſulat Archimedem Syracuſanum, Euclidis Opticam, & Catoptricam, Ptolomæum, Vitellionem, & reliquos, quorũ multa deſumemus, multaq; denuò excogitata

gitata adijciemus: vt hinc quiſque poſsit in infinitum ea propagare: vt in omnibus euenit experientijs. Poſtremò quomodo ipſa formentur ſpecula, ac poliantur, vti commodè à nobis fieri poterit, pertractabimus. Poſt autem ſpeculares apparitiones, ne quid omiſiſſe videatur, vel aliquid noſtris hiſtorijs deſiderari poſsit, de phyſicis ligaturis, vel colli ſuſpenſionibus, de gemmis, deq́ue figuris eis inſculpendis, & earum virtutibus exponemus: ne autem legentium animos nimia ſermonis prolixitate diutius immoremur, conſultiùs fuerit ad eorum operationes accedere.

Quomodo interdiu aſtra contueri liceat.
CAP. I.



MNIBVS iam eſt planum, exiguum lumen potiori, viuidiorique propinquum euaneſcere. Si facem vel flammam aliquam luculento appoſueris ſoli, diſsipatur lumen, & marceſcit, deliteſcunt interdiu ſtellæ Solis fulgore nimio, cùm æque diu noctuq́ ſplendeant: eas igitur intuituri, remedio non fuerint deſtituti. Die magno Solis defectu, cum lumine orbatur, & profunda tegitur caligine terra, nec oculi offenduntur luce, ſideribus cælum diſſeminatum conſpicitur: quod ſuis accidiſſe temporibus Thucidides memoriæ mandauit, noſtroq́ue ſæpe patuit æuo, nec oculi ſolùm vehementi caligant luce, ſed offenduntur, vti de Xenophontis militibus legitur, &

de

de Dionysio Siciliæ tyrãno, qui splendidissima luce, carceribus tetris obductos occæcabat: cùm enim oculorum acies Soli obsistere nequeat, nec ferat, hebetatur illicò: quique fuerint aliqua conspecturi, ad cilia manus obtendunt, vel propugnaculum aliud. Hinc auspicamur, qui ea conspicere affectabit, vti è Galeno & Philopono docetur: In præaltum descendat puteum, vel huiusmodi simile, vt per tenebras multumque interuallum cælum contueatur serenum, vtique nec obtectum nebulis, inconniuentibus oculis, & sine nictatione clara intueatur astra & lucentia. Plurimæ enim ibi tenebræ (noctis instar) visum congregant, nec à lumine superfuso dissipari sinunt: non id tamen periclitaberis Sole meridianum occupante: magno enim impedieris lumine: & si profundiùs descendes, clariùs conspicies, & celerius: sin minus, obscuriùs & tardiùs. Sic profundo cæcoque aliquis demersus antro in Sole candelam ardescere conspiciet, quod tamen splendidissimæ lucis occursu repentino non euenit: quia à maiori Solis vetatur lumine. Sic quamplurimos haud minimæ authoritatis viros hallucinatos reperi, vti sæpe legisse & audiuisse memini, si diu astra conspectari nequeunt, tali ea contemplari aggrediuntur artificio: Speculo aquæ immerso in meridie cælo stellas se contueri fixas credunt ostenduntque. Perpendiculares enim Solis radij in aquæ superficiem incidentes, speculum obliquè feriunt, & ex eiusmet superficie ad spectantis oculos bene locatos intorquentur, Solisq; repræsentant figuram, at radij obliquè aquam percutientes, inde refracti speculum & visum feriunt, videbitur eiusdem figuræ, et minor, propter densioris medij refractionem, astrum-

que

que videre pũtabis, Solis corpus insequẽs, quod patet in Opticis. Ideo Stilbon illud putant multi, cùm parùm à Solis corpore recedat, eumq́ue semper consequi conspiciũt: Caniculã aliqui sidus, & æstiuis ideo diebus visere properãt: quod si minus demonstrationi fidem adhibes, sed experientiæ sensuiq́ue magis credis: verum illius in æquinoctiali requirito interuallũ, nec eandem semper reperies distantiam, vt nunc remotiora, nunc verò propinquiora sidera videantur: quod speculo eandem semper distantiam monstrat, si æquè apposueris: non tamen inficior tali ope nõ modo Orientem, Occidentemúe Solem, sed Meridianum occupãtem libérius nos posse contueri, præterea luminarium defectus: cùm enim oculi imbecilli, cominus solem conspicere non sustineant, nimio lucis splendore, sic clara luce, robore nullo, ac disci cernes similitudine, nec minus nigro panno, vel papyro, paruo foramine peruio.

Quomodo in tenebris ea conspicias, quæ foris à Sole illustrantur, & cum suis coloribus.

CAP. II.

SI quis id videre affectarit, fenestras omnes claudat oportet, proderitq́; si spiramẽta quoque obturentur, ne lumen aliquod intro irrumpens, omne destruat: vnam tantum terebrato: ac foramen rotundæ pyramidis formam habeat. cuius basis Solem, conus verò cubiculum aspiciat, è regione parietes albos, vel linteis, & papyro tectos oppones. Sic à Sole illustrata omnia, & deambulãtes per plateas (vti antipodes) spectabis, quæq́ue dextra sinistra, commutataq́ue omnia videbuntur, et quò longiùs à foramine distabunt, tantò maiorem sibi adsciscunt formam, et si papyrum, vel tabu-

tabulam appropinquabis, ea visuntur minora. Aliquantisper tamen immorando, non enim illicò simulachra apparebunt: Quia simile validum maximã cum sensu nonnunquam efficit sensationem, talemq́ inuehit affectionem, vt non solùm cum sensus agunt, sensorijs insint, eaq́ lacessant, sed etiã cùm ex operibus discessêre, diutius immorentur: quod liquidè potest perspici: nam per Solem deambulantes, si ad tenebras conuertimur, comitatur nos affectio ea, vt nil vel ægerrimè cernamus, cùm adhuc in oculis seruetur affectio ipsa à lumine facta, inde paulatim euanescente, clarè in tenebris aspicimus. Nunc autem enunciabo, quod adhuc semper tacui, & tacendum putaui. Vti

Omnia cum suis coloribus

Videre si quæritur: E regione speculum apponito, non quod disgregando dißipet, sed colligendo vniat, tam accedendo remouendoq́ue, quousque ad suam veræ imaginis quantitatem cognoueris, debita centri appropinquatione, & si attentiùs perpenderis inspectator, vultus, gestus, motus, hominumq́ue cognosces vestes, cælum nubibus dispersum, cyaneo colore, & volantes volucres: quòd si ad verum perueneris, non parùm lætaberis, mirumq́ue cognosces, obuersa omnia, quia centro speculi vicina sunt: si enim extra centrum elongabis, maiora erecta, vti sunt, conspicies. Vt clarius appareat: feriat Sol vultus, sin minus, speculum dirigendo solis reflexione iaculetur, vt insigni fulgore illustretur, debita tamen distantia, tandiu sitũ variando, dum verum te assecutum esse cognosces. Hinc philosophis & medicis patet, quo fiat in oculis visus loco, ac intromittendi dirimitur quæstio sic agitata, nec alio præstan-

tius

tius vtrunque artificio demonstrari poterat: intromittitur enim idôlum per pupillam fenestræ instar, vicemque obtinet speculi parua magnæ sphæræ portio, vltimo locata oculi: quòd si quis distantiam mensurauerit, centri loco fiet visus. quod scio ingeniosis maximè placiturum. Hinc euenit, vt

Quisque picturæ ignarus, rei alicuius effigiem stylo describere posit,

Dummodo solùm colores aßimulare discat, hoc in subiectam tabulam vel solidiusculam papyrum imagine repercussa: erit enim perito facillimum: si Sol defecerit, id alio imitaberis lumine: pleraque alia eueniunt, & cognosces, quàm vt enarrare poßimus, præcipuè, si diligens inspector pertractauerit. E T *hinc rei conscio quispiam occultè narrandi auspicari poterit principia, & quæ voluerit, & remotè carceribus occluso, nec leues poterunt imaginari technæ, distantiam speculi emendabis magnitudine. sat habes: qui se id fecisse iactarunt, non nisi meras nugas protulerunt, nec aliquibus adhuc inuentum putarim.*

Iris quomodo videri posit.

CAP. III.

M*Vltis id euenire poterit modis, commodiùs tamen è crystallo paretur, vel ex Iride quoque gemma, sexangulo crystallo simili, quam sic maiores appellauêre, cum Solis subdita radijs, summa tecti laquearia subiectumque planum tremula verberet vmbra, iridique colores similes ostendat. Sic enim nascitur hexagona, sin minus, arte paretur trigona, longitudine dodrãtali, latitudine duorum digitorum, inde rota expoliatur, & concinnetur. Cùm ergo iridem videre*

videre quæsieris: cryſtallinum vel vitreum priſma manibus ſumes, & in longitudine oculis accommodabis, ſi per infernam ſuperficiem intueberis, omnia diuerſè colorata è puniceo, viridi, xantho, & cæruleo: item ſi ad ſupernam ſuperficiem oculos flexeris, permutatur colorum ſitus, cùm permutentur perpẽdiculares, & hoc clariùs Solis luce, nec contemnendum rei ſpecimen erit, ſi hortos inſpexeris vndique tapetis ſparſos, floribus & corollis ornatos, & ambulantes homines, vti angeli viſuntur, veſtium fimbria yſdem coloribus redimita, ſi ſecundum latitudinem oculis accommodabitur, in latum colores videbis: ſi ſupra vel ſub oculos inuertes, inuerſa et erecta abſque coloribus vides, ſpectans verò quaternis inſpicietur oculis, omnia tamen inflexa, ob oculorum conuexitatem, aliquam inde cera ſuperficiem opacando, & ſæpe per oculos reſoluendo ea videt, quæ potius ſunt faſtidientis, quàm voluptuoſæ narrationis pertractare. IDEM quoque ſic videre poſſumus: Si in peluim aquæ plenam ſpeculum immergatur, diligens intuitur in parietum marginibus iridis colores generatos reperiet: & pulchriores. ALITER vitreum vas, vel pellucidum aliquod rotundum, foris aqua perfuſum Soli oppones: radijs enim Solis ictum, rutilo aêris repercuſſu in ſubiecto plano cæleſtis arcus ſpeciem imitabitur, per varias Solis inflexiones. SIC Soli aquam obijciendo ſtillatim, è regione nigra in ſuperficie diſſultans Iris ſpectabitur, vt ſæpe remigantibus euenit, aquarum motu, idem quoque euenire conſpicitur circa lucernas Auſtro flante, & maximè humidos oculos habentibus.

Quo-

Quomodo res multiplicata videri poſsit. CAP. IIII.

INter ludos qui circumferuntur, non parum iucunditatis eſt ſpecillum inſtrumentum vitreum illud quod oculis apponimus, vt commodius aliquid intueamur, neque enim ex his, quæ oculos fallunt, potior reperiri poterit via, quàm medio, eo enim permutato, permutantur omnia, illud ergo è ſolidiori vitro maioríque craßitie paretur, vt aptiùs in facies rota verti poßit, in plures ergo facies, & angulos accommodetur, quibus aliquid numerare volumus: in eorum tamen medio anguli metam habeant, & oculorum congruat aciei, vt diſgregetur viſus, ne verum conſpicere poßit. è pluribus ergo ſuperficiebus iam paratis, oculis apponi, & ſi alicuius faciem vicinius intuebimur, Argum vel oculatum totum, ſi naſum, non niſi naſum, ſic manus digitos, & brachia, vt non hominem, ſed poëtis fictum Briareum, ſic nummum videre contigerit, multos non vnum conſpicies, vt nec manibus tangi valeat, ſed tangentem ſæpe ludat: meliusque fuerit cum eo dare, quàm accipere, ſi in trireme longius intuearis, armata videbitur claßis. ſi ambulantem militem, exercitus agmine facto incedens, ſitque, vt res geminari videatur, & duplices cernas hominum facies, binaque corpora: & hinc fiunt diuerſi conſpiciendi modi, vt res vna, alia videatur, quæ omnia quærentibus & explorantibus pateſiunt.

Speculis planis, vt caput deorſum, pedes ſurſum videantur. CAP. V.

SI quis planis speculis, sursum pedes, caput verò deorsum spectare conspiciet (quanquam id repræsentandi proprium concauis speculis sit) planis tamen sic efficere conabimur: Specula planá bina secundum eorum longitudinem collocabis, vt simul hæreant, ne hinc inde agiliter dimoueri poßint, rectumque efficiant angulum: vbi ritè paratum fuerit, secundũ longitudinis cohærentiam faciei opponatur, vt in vno media, in alio reliqua videatur facies, tunc speculo læuo, vel dextro inclinabis latere rectius inspectando, et caput intorqueri videbitur, cùm secundum eorum latitudinem faciem dissecabũt, fiet imago huiusmodi, vt caput infrà, pedes verò suprà locati videantur, quod si amplum fuerit, totus spectabitur inuersus homo. id autem mutua, & multiplici euenit reflexione: ex vno enim in aliud resilit, vt obtortum videatur.

Speculum è planis, in quo vnius rei imagines plures appareant. CAP. VI.

SPeculum autem è planis compactum, cui si vna res demonstrabitur, plura illius det simulachra, prudens inuenit vetustas, vt è Ptolemæi scriptis percipitur: cuius talis est compositio: Plana tabula vel loco, quo tale erectum quæris, hemicyclus disponatur, & hunc secundum imaginum numerum æquè diuidas punctis, ijs cordas subtendas, & absides abscindãtur: inde similis latitudinis paralelogramma erigas plana specula, & altitudinis eiusdem, firmiter glutinentur, & accommodentur, ne conuelli poßint, secundum longitudinem adiuncta, & super planam superficiem erecta. postremo spectãtis oculus circuli locetur centro, vt vniformem ad omnia visum habeat, singulis singu

las ſpectabit facies, & in circulum diſpoſitas, vti in choreis ſæpe viſitur, vel theatrali ſpectaculo: Ideo ab eis Theatricum, vel Theatrale dicitur: è centro enim faceſſentes lineæ perpendiculares omnes, ſuper eorum ſuperficiem incidunt, in ſe ipſas ergo reflectuntur, ſic oculo imagines afferunt, depromens vnaquæque ſuam, ſic deuoluendo diuerſeq́ue ſitum euariando, varios & diuerſos monſtrat ſimulachrorum ſitus.

Speculum multiuidum conſtruere.

CAP. VII.

SPeculũ conſtruitur, quod polythaton, id eſt, multorum viſibilium dicitur: illud enim aperiendo & claudendo ſolius digiti viginti, & plura demonſtrat ſimulachra, ſic igitur id parabis: Aerea duo ſpecula, vel cryſtallina rectangula ſuper baſim eãdem erigantur, ſintq́ue in hemiola proportione vel alia, & ſecundum longitudinis latus vnum ſimul colligentur, vt libri inſtar aptè claudi & aperiri poſſint, & anguli diuerſentur, qualia Venetijs factitare ſolent: faciem enim vnam obijciens, in vtroque plura cernes ora, & hoc quãto arctius clauſeris, minoriq́ue fuerint angulo, aperiendo autem minuentur, & obtuſiori cernes angulo, pauciora conſpicientur numero. Sic digitum oſtendens, non niſi digitos cernes, dextra inſuper dextra, & ſiniſtra ſiniſtra conuiſuntur, quod ſpeculis contrarium eſt, mutuaq́ue id accidit reflexione, & pulſatione, vnde imaginum viciſſitudo eſt.

Speculum è planis componere, in quo imago vna veniens, in altero recedens conſpiciatur.

CAP. VIII.

At

AT speculum, in quo imago vna veniens in altero recedens conspiciatur, è planis componere sic facilè poteris: Plana duo sumes specula, quorum longitudo latitudini dupla, vel sesquialtera erit, & id commoditatis gratia: nil enim eorum refert proportio: sint tamen longitudinis eiusdem & paria, et super stylum inuicem inclinata vniantur, eriganturq́ super planum aliquod perpendiculariter, vnde super mobile latus fixa moueantur specula, non dubium sanè est, quin & in vno accedi, & regredi in altero inspicias: & quantò hæc appropinquabitur, elongabitur illa tantò, vt simul in hoc veniens, in altero discedens videatur.

Speculis planis, vt ea cernantur, quæ longè, & alienis in locis geruntur.

CAP. IX.

SIC sanè poterit quis occultè, & sine suspitione ea intueri, quæ longè & alienis in locis tutò geruntur: quod aliter fieri non posset: sedulus tamen esto in speculorum situ: Statuatur in domicilio locus, vel alibi, quo aliquid spectare libeat, & è fenestræ vel foraminis regione speculum accommodetur, quod faciem spectet tuam, & bene erectum, si fuerit opus, vel parietibus figatur, vndique mouẽdo, & inclinando, quousque quæsitum imaginet locũ, quod oculos admouendo, & accedendo assequeris: & si arduum fuerit, Dioptra vel alio instrumento minimè falles, & super lineam perpendiculariter erigatur, angulum secantem, & reflexionis & incidentiæ linearum, & ea intueberis, quæ loco in illo geruntur, & clarè. sic & in diuersis eueniet locis. HINC *euenit, quòd si vno minus fuerit commodum speculo, idem pluribus spectare*

poteris: vel si distãtia nimia visile deperdatur, vel parietibus & montibus interiectis dirimatur: Speculum super accommodabis, ex alterius regione super lineam erectam, quæ angulum diuidat rectum: sin aliter, neutiquam id eueniet, & locum cõspicies optatum, vnum enim in aliud imaginem remittens, per decem, & multis elisa imago, oculo euolat, eaque cernes, quæ primum offenderint, dum imago per rectas profertur lineas, nec locorum vel parietum anfractu cohibetur visile: facilisque fuerit constructio: Sic sæpe simulachra transferre consueuit. At si ALITER *fastigiosum aliquod vel erectum spectare quæsieris, quod neutiquam visus cernere possit: Secundum longitudinem bina adiunges specula, vti diximus, & ligno, vel parietis culmine firmetur alterum, vt promineat, & rem habeat obiectã, reliquum verò funi, vt aptè dimoueri possit, quando libuerit, & cùm primo nunc obtusum, nunc acutum causet angulum, vti visus expostularit, dum visæ rei linea secundi speculi medio visui refringatur, & incidentiæ & reflexionis pares sint anguli, & si alta videre quæris, erige: si infirma, deprime, donec refringatur visui. tum demum spectabitur, si manibus alterum habebis, inspecto illo faciliùs eueniet.*

Speculum quomodo constituatur, vt nil imaginet, nisi quæ volueris. CAP. X.

Constituitur sic quoque speculũ, vt eo inspecto aliquis imagine non visa sua, alienam videat rei speciem, nec vndique circumspectam: Planum speculum in pariete firmabis, super planum perpendiculariter erectum, & sub notam anguli portionem capite inclinetur, è regione cuius parietẽ scindas,

sub

ſub certã picturæ vel idôli alicuius quãtitatem: eamq́ ei apponas ſecũdum portionis quantitatem, ac operias, vt ſpectantem lateat, & res mirabilior videbitur, nec ad illud accedere poßit. Speculum conſtituto loco imaginem refringet, vt viſu & viſibili per ſpeculũ ictus fiat reciprocus, & ibi locetur oculus, quem locum reperies, vt ſuperiùs docui. Incedens ergo inſpector, nec ſui imaginem, nec quicquã cernet vnquã, cùm ei opponitur, & ad ſtatutũ peruenerit locũ, picturæ vel alterius rei ſimulachrum cernet, quod nec alibi ſpectare valet:

Speculum è planis quomodo conſtituatur, quo imaginem in aëre volitantem aſpicias.

CAP. XI.

NEC erit minoris cõſtructionis, & voluptatis ſpeculum illud è planis compoſitũ, quod humi iacens homines volitantes oſtendit, nec ſine miraculo intueberis. Si quis id aſſequi velit, facilis ſic erit cõſtructio: Bina iungãtur ligna, vt gnomonis figurã imitentur, & fixa vndequaq; conſtituãt angulum, vt orthogonij trianguli, & iſocelis figurã habeant, firmetur: inde in vnoquoq; pede ſpeculũ magnum vnum æquè ſibi è regione aduerſans, et æque ab angulo diſtãs, proſternatur eorũ alterum, iaceatq́, quorũ medio locetur ſpectator è terra eleuatus aliquãtulum, vt faciliùs calcanei formã accedendo, & recedẽdo cernat, ilicò enim cernes, ſi in recta linea te cõſtitues angulũ illũ ſecãte, ſitq́ orizõti æquidiſtãs. Sic imaginans ſpeculũ illud in aliud tranſuerberat, ꝙ ſpectat, intuitor, manus et pedes agitet, et iactet, vt volãtes plumigeræ ſolẽt, ſic videbit ſuã imaginẽ in altero volitantẽ, vt ſemper moueatur, dũmodo è reflexionis loco nõ faceſſat, nã vetaretur.

Speculo cylindrico conuexo quis intuens, alterius rei penſilem imaginem in aëre videat.

CAP. XII.

HAbet & columnare ſpeculum cõuexum, vel eius hemycilindrũ (quod parum referre arbitror) talem ſitũ in domicilio, vel loco alio conſtitutum, vt clarè rei ſimulachrum in aëre nõ ſine miraculo pendulum imaginet. quod ſi videre affectabis, ſic parabis: Cylindricum ſegmentum, media domo ſupra tabulam vel tripodem erectũ firmetur, vt perpendiculariter ſolum feriat, inde è foramine aliquo vel rimula, à ſpeculo aliquantulũ diſtanti oculus collocetur, & ſit fixus, ne hinc inde moueri poſsit: è ſpeculi deinde regione rumpatur paries, ac feneſtræ inſtar accommodetur, pyramidis formam habeat, intus conus, foris verò baſis exiſtat, vti fieri ſolet, vbi pictura vel imago aliqua collocetur, vt oculo ſpectari poſsit, ſed à ſuperficie columnaris ſpeculi reflectatur: ut pictura illa extra collocata, quæ ex oculi foramine videri non poteſt, in aëre penſilis videatur, quod non ſine admiratione intuebitur. efficit id quoque ſpeculum pyramidale conuexum, ſi ſic accommodabis, vt eandem referat imaginem. Fit quoque eo modo, quem inferiùs explorabimus.

Sphærico concauo vt penſilis quoque imago videri poſsit. CAP. XIII.

POteſt & facilius eiuſdem rei imago reflexa in aëre videri, quàm conuexo cylindrico, & clariùs cõcauo eueniet ſpeculo ſphærali, mirabilius tamen in eius ſegmẽto, à ſpeculo enim lõge videbitur, cùm in ſphæræ centro appareat: Illud obſcuro aliquo cõſtitues loco, & vbi aliquantulum ab eo diſtabis, inuerſum

ſum cernes caput, tu fixis oculis, & inconniuentibus centrum aſpicias, donec ad tuas deuenerit acies vltra ſpeculum in aëre reflexa ſpecies, ſemota penitus, dummodo oculares radij per ſpeculi centrum acti, ſpectrum ſimulachrumque in ſpeculo quoque videas, inde vicinius viſum appropinquando maior fit, vt manibus tangi videatur. Quòd ſi magna fuerit ſpeculi portio, non eſt, qui non miretur: nam ſi propius accedet, ab imagine terretur, & videbitur naſus naſo obuiare, & diſrumpi, ſi quis verò ſtricto mucrone inuaſerit, videbitur ab altero inuadi, manus perfodi, vt retro manus agat, & ſi quis dũ aliquis inſpexerit, pugnum retro demonſtrauerit, videbitur & inſpector colapho affici, vt timeat, faciem retorqueat & inclinet. Vt tandem faciliùs centrum noſcas, hac vtere norma, ne ad Mathematica diuertaris: Pagina vel cera portionis arcum capias, vt vtrinque cordam inducas, & perpendiculariter bifariam ſecato, & in concurſantibus lineis, vel ſemidiametris neceſſariò centrum reperies, quod in concauis omnibus cognoſci poteſt. ſunt & concauorum experientiæ multæ, quas in ſequentibus trademus.

Speculi concaui imaginationes & operationes.

CAP. XIIII.

CEntro concaui hemicycli iam inuẽto diuerſitates omnes cognoſcere facilè erit, cùm ex eo omnia regulentur & noſcantur. Si vis ergo inuerſum ſpectare caput extra ſpeculi centrũ, caput habeto, & inuerſum ſtatim inſpicies, & pedes ſurſum. Si perfectũ non fuerit hemiſpheriũ, ſed eius ſegmentũ, intra caput facilius accommodare poteris, & ingentes conſpicies facies immanis Bacchi, & digitum brachij

*craßitudine reddet. Talia fecit cõcaua ſpecula Hoſtiꝰ,
vt refert Seneca, vt redderẽt maiorem iuſto imaginẽ,
qui quadra fuit libidinis magna, ſic ſpecula diſponens,
vt dũ draucum pateretur, ſui admiſſarij motus omnes
auerſus videret, taliq́; falſa membri craßitie ſe ipſum
fallẽs oblectaretur. Sed ijs omißis, dextra ſiniſtra vide-
buntur. Et paulatim caput elongãdo, maior efficitur fa
cies, cum centro vicinum fuerit, facies binas, & qua-
ternos cernet oculos, qui in latus ſpeculũ mouẽdo vide-
buntur, vel caput: ſpeculi enim paruitate ſimul videri
nõ poſſunt. Cùm oculus in centro fuerit, nõ niſi ſe ipſum
cernet, eo tranſacto & duplicatas facies, & inuerſa bi
na cernet capita, dũmodo linea per centrũ acta oculorũ
intercapedinem feriat: omnia tamẽ in contrariã partẽ
moueri videbuntur, inſpector forti cernat intuitu per
oculares duos axes, vt geminata videat omnia, quem-
admodũ ſæpe et ratione accidit, vt res vna plurimis mo
dis duplicari videatur. Sic quoque ſpeculũ in terra vel
tabula aliqua iaceat, & æquè ab eo diſtẽt, & inuicem
intueantur, os ſtrictũ & longũ, & deformis compreſſa
multũ apparebit facies. Hoc tamen optimi inter cætera
tale retinet ſpeculũ, quod eminus ignem iaculatur, nec
combuſtionem cauſatur paruã, qui verò periculum fa-
cere concupierit, ſplendentis Solis radijs ſpeculum oppo
nat, & fomitem, vel accendibilem rem centri loco col-
locet, quod accedendo, & remouendo inuenies, lucisq́;
conus oſtendit, & inducit illicò flammam. quod ſi diu
perſeuerarit, plumbum vel ſtannum colliquefacere po-
teſt: quanquam aurum, & argentum alios colliquaſſe
me legiſſe memini. Si verò maioris ſphæræ fuerit ſeg-
mentum, per maiorem accendit diſtantiam.*

De

De Parabolæ ſegmento, & de ſpeculis alijs vſtorijs. CAP. XV.

QVod ſpeculũ valde perurat, ſæpius retulimus, nunc verò quod maximũ, & eminus ignem iaculetur, ſpeculum conſtruere fuerit oportunũ, poſtquã horũ meminimus, quale Galeni & multorũ teſtimonio Archimedem conſtruxiſſe legimus, & hoſtiũ triremes incendiſſe. Scito Paraboleã ſectionẽ inter cæteras maximè perurere, radios enim violẽtius congregat, & in vnũ coarctat. Sectio hæc rectangula vel parabola dicitur. Vt verè cupiẽtibus pateat fabrica, ſpeculũ tale cõficiendi cape normã: Sit diſtãtia nota, ad quã radios emittere & cõburere quæris, eã dupla, & tali diametro rectangula rotunda pyramis erigatur: ſed cõmoditatis gratia è cera vel creta fiat, inde plana ſuperficie axi æquidiſtãs pyramidis abſcindatur portio, & parabolica dicetur: ſi verſus faſtigiũ in amblygonio hyperbolem, verſus baſim in oxigonio ellipſim habebis, nos parabolen quærimus. Sit tamen portio minor, vt faciliùs excauetur ſpeculũ, & mirabilior res videatur: abſciſſæ portionis ſuperficiem, plana tabula, vel ferri lamina, vt inferiùs docebitur, figurã imitaberis, inde per faſtigiũ, & baſis medium axẽ inducito fixã, & materiã aliquã excauabis chalybeã vel ferreã, vel (ſi mauis) mixturã aliquã, qua parabis archetypũ: tale ſic efformatũ ſpeculũ parabola dicitur, & ſecundũ datam diſtantiã violẽter Soli appoſitũ, vt ipſius axis ſit contra Solem, cõburet: incidentes enim radij ſpeculo, & perpendiculariter ferientes, ſimul in vnũ reflectuntur & cõcidunt, vt omnes vnius radij vicem gerãt cõburentis multũ: ideo nulla eſt inter

ter sectiones alia, quæ longiùs & valentiùs ignem immittat, quàm parabola. ALITER, *quæ accendũt multa specula parantur, nec sine ignitione forti, vti ex planis multis simul coordinatis: ex vno enim hoc fieri non posset, vt constat geometricæ rationis examine. Sic tamẽ è planis vstoriũ fabricabis speculũ: Sphæricum aliquod concauum materie paretur qualibet, & simul in caua superficie ordinẽtur, vt se inuicem tangãt, nec vacuũ relinquãt, sintq́ speculi segmenta hexagona, quadrangula, vel trigona, & fuerit præstantius, vt multarum superficium numero radij numerentur, sic Soli oppositum, circa centrũ accẽdit ignem. Referebat Attenius ex septem hexagonis speculis in vnum colligatis ignem accẽdi, nec experientia succedit, nisi aliquantulum inclinetur, & ex omniũ reflexione ignis accendatur. Nec* ALITER *ex pluribus quoq; globosis tumẽtibus speculis ignem accẽdi posse inficior, vt multorum numero fiat in vnoquoq; radiorũ congressus: ex vno tamen impoßibile, nec sine labore huiusmodi taliũ compositio fieret. Potest quoque* IDEM *fieri, multorũ speculorum concauorum compositione & intersecatione, nec sine laboriosa operantis industria, sed opus efficacius, expedirent, nec minus intersectione multorum speculorum pyramidalium. Nec iniucundi erit visus*

Ignem accendere phiala aquæ plena

Soli opposita, rotunda, & vitrea: cùm enim directè Soli opponitur, retro in linea vitreã amphorã pertranseunte per centrũ, cõbustibile aliquod ignis amicum constituatur, vbi pertrãseuntes radij coincidant, quod luminoso quodã noscitur, illicò ignẽ inducit nõ sine spectantiũ miraculo, cùm ex aqua ignem excitari videant. Sic

Ignis

Ignis cryſtallo rotundo quoque

Accenditur, vel ſphærula perfectè rotunda, vel ſi planum vitrum paretur, vti ſpecillum, & aliquantulum Soli oppoſitum retro partem in aduerſam radios vniẽs, vſtulat: tandiu enim materiã illam igniũ cõceptricem remouebis, & appropinquabis, dũ radiorũ reflexorum conum inueneris, inde paulum immorando ignis emicat inde. & præcipuè mirabimur, ſi parua magnæ extet ſphæræ portio. Medici tradunt, quæ in corpore vrenda ſunt, non vtilius poſſe, quàm cryſtallina pila aduerſus Solis radios oppoſita.

Speculum conſtruere, quo multæ imaginum diuerſitates videantur. CAP. XVI.

NVnc ſpeculum conſtruere conabimur, in quo multæ apparebunt imaginum diuerſitates: & ſi tale difficilis fuerit conſtructionis, imaginum tamen diuerſitate, & occurrentia rependet. vt ad eius fabricam accedatur: Circulum capies arctæ vel eximiæ capacitatis, qua ſpeculum volueris, & hinc inde abſidis portiones abſcindas duas, ex pentagoni quantitate vna, altera ex hexagono, quo patuit modo in mathematicis: inde pentagoni arcus tabula quadam, vel ferro intus excauetur, vt ſuo gremio perfectè recipiat, vt ex ea reſecatus videatur, cõtrariæ autem diſpoſitionis hexagoni erit latus, nam illius quantitas conuexa excipiatur tabula, vt inſtar illius arcus promineat, inde cerea vel plumbea accipiatur bractea conuenientis ſoliditatis, latitudine arcum hexagoni, & longitudine vtroſque ſuperãs, ſic deinde incuruetur lamella, vt ritè in excauato inſideat ligno, ne intercapedo vel rimula relinquatur vlla, & conuexa ſuperficies ſeruata prominens

minens

minens, tunc intrinſecus applicetur ſecundum eius latitudinem, ne concauitatis forma aduerſetur conuexitati: ſed lamella eadem vtraſque ſine impedimẽto recipiat portiones: ſic parato archetypo, chalybis, vel alterius rei mixtura ſpeculum cõſtruatur, vti docebimus, & per politum multas oſtendet imaginum diuerſitates. Primò dextra dextra videbuntur, & ſiniſtra ſiniſtra cum planorum omnium ſpeculorum paßio ſit, vt oculis qui fuerit dexter, hic læuus, & è læuo mutuo fiat dexter. Si verò retro gradus tuleris, commenſuratum videbitur idólum, & imago anteriùs prominebit: ſi cõuexæ magis accedes ſuperficiei, turpis fiet imago, & quantò magis hæres, eo fiet deformior, & equino capiti magis aßimilare videberis, quòd ſi ſpeculum inclinabis, inclinabitur & ipſa, & variãdo ſitum & ſpeculum variationes conſpicies diuerſas, nunc caput deorſum, et pedes ſurſum, & multa conſpicies, quæ in præſentia recenſere opus eſſe non cenſui: nam ſuper volubilem ſedem locatum, vt vtraſque poßit facies oſtẽdere, antè & retrò per ſe omnia intuitor, cernet. SPECVLVM quoque ex omnibus dictis componimus, vt eo ſolo imagines omnes videantur, quæ in omnibus, plura ora, nunc maiora, nunc minora, nunc dextra, nunc ſiniſtra, hæc propiùs, illa remotiùs, et æqualia, ſi loco vno ſinuoſum, alio concauum, in medio planum locetur, magna imaginum diuerſitas ſpectabitur. SPECVLO cylindrico conuexo ore oppoſito, quantò longitudine difformis, eò gracilitate turpis videbitur, ſi eius longitudo faciem tranſuerſam ſecet, humilem vultum & compreſſum vti rana demonſtrat, vt non niſi dentes ſpectentur, eodem fermè pacto, qui in enſe ſpectabitur, vel

ferro

ferro alio pòlito & longo, si illud inclinabis antè, frons maxima, mentum verò paruum, & gracile equi effigie. CONTRA *verò retro, si in cauo intus inspicies, plures vnius rei conspiciuntur idóli vicem gerens prælati speculi. Si centro oculum apposueris, tota cernes eũ speculi latitudine, sic frontem, os, & reliqua: si tale inuertes speculũ, vt latè faciem secet inuersum caput cernes illicò, & cætera quæ in concauo retulimus.* SI *conuexum pyramidale inspicies, acuta frons, largum verò mentum, si contrà, larga frons, longißimus verò nasus.* MVLTA *autem concauo inspicies ora, si secundum cauum illud plures planorum speculorum portiones accommodaueris: intuens enim aliquis, secundũ speculorum numerum numerabit ea, eiusdemq́ue motus omnia, & tandem qualecunque fuerit speculum, vtpote non planum, semper diuersum ab idólo spectabitur.*

In speculum excauatum idolum quomodo foras emineat. CAP. XVII.

R*Ecentiorum quoque industria nactum est, vt speculo in eodem plura cernãtur ora, vel vnius rei simulachra, sine primi impedimẽto: retro enim excauant speculum, & concauum paruum effingunt, vnde foliolo inducto, vti docebimus, & ritè concinnato, alterius vicem foras exhibebit. Hinc optimè inuentum prouenit, vt speculo quis intuẽs, alterius rei imaginem erectam cernat, vt non sine spectantis admiratione, manibus corripiens, nil nisi aërem tangat, sæpe vidisse memini, & sic res se habet. E crystallo in speculum paratum, sed melius ex iride gemma, vti semper vidi, retro idólum vel imaginem excauant, qua potuerint diligẽtia, folium inde accommodant supra, &*

in

in ſede locant, quantum enim profunditatis habebit, tãtum extra ſuperficiem eminebit, nec tibi ſatisfacies, niſi manibus tetigeris, an verè promineat, ſic literæ ritè leguntur, vt argento fictæ videantur, nec tanta erit viſus acies, quin reſpiciendo hallucinetur.

Speculis bracteola quomodo inducatur, & vitrea terminentur. CAP. XVIII.

IAM apparitiones omnes in ſpeculis, quas nouimus narraſſe viſus ſum, nunc autem reſtat, vt pauca & non prætereunda dicam, vt perfectam tradam eorũ ſcientiam. Primò ſpeculorum terminatio, quæ è cryſtallo & vitro parantur, inde aliorum mixturas & polituras, vt ſciens artifex & noſcere & componere ſciat, nam quanquam inter multa, quæ rerum referũt imaginem, velut aqua, gemmæ quædam, politumq́ue metallum, nil æquè perſpicuè reddit ſimulachra, quàm plumbum vitro ſublitum. Perſpicua ſpecula, aut cryſtallo, aut vitro parãtur, cryſtallinis planis folia quædã retro inducuntur, cauis verò, & conuexis vitreis mixtura quædam inducitur, qua tota perlinuntur. Cryſtallina ſpecula vbi plana & adæquata ſunt, quantitatis eiuſdem artifex ſtanneam efficit bracteam planam & tenuem, qua poterit diligentia, ſi enim cryſtallum vel vitrum non ſublineretur plumbo, ob ſui vigorem, naturæq́ue denſitatem, non ſiſteret impreſſam imaginem, ſed dilabi ſineret, quia vitrum rarum & pellucidum, ob ſui pellucentiam non contineret, vnde euaneſceret in eo ſimulachrum, vt in Sole lumen: inde ſupra hanc bracteam viuum argentum digitis extricabis, vt ea totum combibat, & vbi in ſuperficie cernes hærere, & argentea videbitur, tu hãc manibus capies,

&

& speculi à parte aliqua inducere incipies, paulatim totum occupato, & circumplectito lamina ea, diligentia non sine parua, ne aërem intro concipiens, irritum faciat laborem, nec eijci amplius poßit, vbi hoc accommodaueris, super planum aliquod locato, ac supra pondus inducito, & per diem sic requiescat. Hinc natura rerum omnium parens, oculũ speculi instar composuit, quippe à tergo pellucentibus partibus, nigrorem quendam apposuit, quo sublato, & tolleretur vidẽdi facultas. ALITER *possumus conuexa specula terminare sic: Ingens formato vas è vitro rotundum pilæ instar, vti vitrariorum fornacibus fieri solent, & igne cãdens in ventre perforetur, vel apto instrumento, vel aliter, colliquato iam vitro vas tangat, & inflator suo fungatur munere, in locum illum rumpitur inflatum, foramineq; illo proijcitur mixtura, quam prius parabis, & colliquatum in vas aliud commodum transferas, paribus ponderibus scilicet stibij & stanni contusi & elimati, vndique operator per spatiolum reuoluat, permouens opus, vbi circumlitum fuerit concauum omne, eodem foramine superfluum emanet, & frigescat, inde in bina vel plura secabis specula, quod rectè proficies smiri lapide: talem enim sortitur naturam, vt vitrum tactu & crystallum secet, sic lucida & terminata habebis specula.*

Specula quomodo conflentur, & speculorum mixtura & politura. CAP. XIX.

SI concauum, conuexum, diuerseq́ue efformatum speculum formare quæsieris, & parabolam sectionem, quam antea retulimus: cera archetypũ parabis: aptiùs enim manibus accommodatur, in diuer

sam

ſam reducitur formam, & aptiùs erit operi, vbi quæſita ſpeculi figura cereum archetipum habes, ſequenti terra, ritè præparata tenui penicillo illinas, dũ aliquam habuerit craßitiem, inde ſupra craſsiùs tritum aliud manibus accommodabis, talisq́ue ſoliditatis, vt fuſum ſubſtentet metallum, ne vi ignis frangatur, & in partes plures dißiliat, paruo tamen foramine relicto, quo cera detrahatur, & metallum immittas, Soli reſiccandum committas: nam igni inferueſcens fluitat cera, ſic in calidum cauum illud colliquatum immittito metallum, & refrigerari ſinito, & quæſitam ſpeculi habes formam. TERRÆ enim, quibus vti poterimus, multæ ſunt, vti ſmiri, tripoli vocato, pumice, lapillis, ſæpiæ teſtibus, antiqui lateris puluere, dum mutuo perfricantur, hirci combuſtis oßibus, ferri rubigine, & multis. hæc ritè tundantur, tenuiq́ue ſuccernantur incerniculo, ſic denuo in pilam repetantur, & tritentur, igni deinde vaſe incandeſcere ſinunt, & porphyreo læuigãt marmore, & tandiu operantur, quandiu in tenuißimum vertatur puluerem, vt ferè tactum effugiat, & in auras euolare poßit, inde aqua, vel corio ſubtiliorem efficiunt, omnes vel ex his aliquos tali madefaciunt aqua, quam menſtruum vocant. viuis carbonibus ollam ſale plenam exaggerant: vbi ſal crepitare deſierit, in aquam diſſoluunt. Si tu ardenti aqua madefacies, in frigidam adhuc terram proijcere metallum poteris: id enim maximò refert, vt terra colliquatũ recipiat metallum, vti tripoli uocatũ aurũ ſubſtinet, lapilli plumbum & argentum, æs molarum puluere, ijs non ſolùm in ſpeculis vti poteris, ſed in alijs. MIXTVRA, qua in ſpeculorum efformatione vtimur, ita ferè communi

ter

ter ab omnibus efficitur : Aes cum stanni triplo, tartari paulum, & arsenicũ, vt fluat, & in-simul adcorporentur: alij cum stanno æris triplum, & stibij tantillum, argentum, vel pyritem album adiungunt, alij ex plumbo cum argenti duplo : alijsq; efficitur metallis, sed vbi in testaceum vas, igni contumax fuerit fusum, in typos immittunt, sic et aliter specula temperantur, sed horum meminisse sufficiat. IAM speculorum constructiones retulimus, nunc polituras superesse video, vt postquam conflata & constructa fuerint, læuigentur, & præpoliantnr, vt ex eo resiliens radius simulachrum redundet, fluat, & imaginet speculum, multumque leuor, & partium concinnitas refert. Si verò leue minimè fuerit scinditur simulachrum, & vt hinc maior, minor appareat figura, & diuersa. Rude autem postquam fuerit speculum rotæ accommodetur, vbi arma expoliuntur, & ad partium lenitatem, & æqualitatem reducatur omnium, si concauum, vel conuexum polies, ne rotæ motus speculum frangat, lignum dolabis, ea ad speculi formam reduces, & pice glutinabis, ne moueatur, inde smiri subtiliter infracto, panno, vel corio valde perfricabis, inde pumice in pollinem redacta (facilè enim puluerascit) ritè pumicabis vt accommodetur, & leuorem inducas, vel vbi fixum adhæreat tabulæ, stanni calx, tripoli immittatur, & extricetur: in extrema autem politura tartaro, fuligine, salicis vel iuniperi cineribus vti poteris, & maximè prænitebit. Smiris autem sic præparatur, optimus quæratur, & conteres, & per pannum incernes, aqua madeat. Hæc autem de speculis eorumque operationibus dicta sufficiant.

De Phisicis ligaturis.

CAP. XX.

INter naturalia quoque versantur experimēta Physicæ ligaturæ, vel vt malint aliqui, colli suspensiones: debēt enim, vel collo suspēdi, vel alijs locis ferri, vt insitam gerentibus elargiantur virtutem, hæc enim ex Indorum, Grecorum scriptis, præcipuè Hermetis, Costabenlucis, cæterorumque trāsferre placuit: naturaliter enim operantur, & quam retinent vim operationemque, vel à virtute habent quam vocat Zeno vniuersalem, vel ab ipso cælo, nec operationes illas alicui perspiciendi dabitur facultas, nisi vt Plato, & Socrates ait, conuenientibus membris, & locis adligentur, & defferantur, aiuntque prodesse multum posse (vti omnes vno fatentur ore) & animæ cogitationem certamque effectus fidem. Inquit enim Plato, si humana mens aliquam rem non iuuantem sibi prodesse pro certo habet, ex sola mentis intentione sibi prodesse potest: ex timore enim & lætitia non solum incolumen mutatur corpus, sed in ventris solutionem, & in diuturnas maximè paßiones incidere potest, & si hæc iuuant, per naturalem solum causam iuuant: aliæ enim vitæ incolumitati, quædam robori, sapientiæ, hæ hilares, tristes, infelices, & infortunatos faciunt, pigros, vel timidos. Vnde si quis viperam serpentem collo suspenderit, eamque præfoces lineo filo, & maximè marinæ purpuræ donec moriatur, valet filum colli suffocationi, & fauciū apostematibus, si collo cuipiam aduinces. Sic si torquem viridis iaspidis collo suspenderis, vt stomachi os attingat, ventriculi os non leuiter confirmare Galenus prodidit. Canini dentes, cùm hominem

momor-

momorderint, in frustulis eorum ligati, armoq; suspensi, à canis rabidi morsibus suspendentem defendunt. Peoniæ radix collo suspensa pueris sanat comitiale morbum. Sic quoque dissectis cressente luna pullis hirundinis, qui primo partu exclusi sunt, in ventre eorum lapillos offendes, è quibus duos, vnũ colore albũ, alterũ colore variũ eximes, ij priùs, quã terrã attingerint, in iuuencæ corio, aut ceruina pelle brachio aut collo adligati comitialibus prosunt, & sæpe prorsus recreantur, vt ait Discorides. Auricularis digitus abortiui, si mulieris collo suspendatur, illa non cõcipit dum in collo habuerit: idemq́ue adalligata asparacis radix facit. Est & aranei genus, quod candidam, tenuem, densamq́ue telam orditur, in aluta ligatum, & lacerto appensum quartanis circuitibus medetur. Corallus rubeus stomachum confirmat, & ad cordis passionem valet, si supra illud ligetur. Aëtites lapis sinistro brachio alligatus grauidis, continet partus, cùm lubricæ sunt vuluæ, parumq́ue tenaces. Sed parturientibus si fæmoribus alligetur, facit vt sine dolore pariant, sed è brachio amoueatur. Onix collo suspensus auget tristitias in somno, vt diximus, & hominem ad ægritudinem conuertit. Saphirus ardorem interiorem refrigerat: nam in febribus incensiuis refrigerium præbet, si iuxta cordis venas pulsatiles suspendatur. Smaragdus collo suspensus fugat hemitritæum, & defendit ab epilepsia, vnde nobilibus mandatur filiorum collis illum suspendendum, vt ab eis defendat. Amethystus è collo dependens ad ventriculi os, ab ebrietate liberat. Hyacinthi genus quodcũque si à collo pendet, vel digito geratur, pestiferæ regionis noxas non senties, sitq́ue illius

viginti granorū pōdo. Et pes Testudinis dexter ligatus super dextrum podagrici pedē, dolorē sedat, & sinistro sinister iuuabit, nec obesse poterit manus manui. Lupi stercus ossa comedentis, quod in terram non deciderit, si vinculo suspenditur, non quolibet, sed lanæ laniata ouis à lupo, quòd si ea non adesset lorum tum quod cingeret ingui na, tum alterum, quo stercus contineretur, parari præcipiunt, prodest multùm coliacis: Sed efficaciores præhibent sapientes hos lapidum effectus, si lapides habueris Phæbeos, vel Lunares, hos argenteo filo, illos aureo collo suspenderis, semper aiunt Solis vel Lunæ radijs vegetari. Selenitis enim non modo Lunæ figuram imitatur, sed motum, quia cum ea circuit, collo gestatus, lunarem efficit spiritum, Lunæque virtutes influit. Sic Helioselino nominatus, qui luminarium amborum coniunctionem præ se fert, gestatus vtriusque virtutis compotem facit, id in cæteris obseruato. Hæc sunt, que ex antiquorum libris decerpsimus, quibus sæpe indigentes vsi sumus, vti in toto conspicitur opere.

De gemmarum viribus, & earundē imaginibus.

CAP. XXI.

CVM alterius sit negotij de imaginibus, gemmis insculptis, & earūdem virtutibus transcribere aliò trāsferre decreuerim, vti nō purè naturaliter operantibus, quo tamen vberiori doctrina occultarum operationum præauidis satisfaciam, hic apposuimus. cùm quoque conspicerem, quos demonstrāt effectus, naturali euenire virtute, horis, configurationibus et cælestibus characteribus adiutæ, corroborateq́ cum lapidum virtuti conformibus signis describantur.

Iam

Iam & ab antiquis multæ posteritati relictæ sunt, & prætermissæ, nec minimum in monstris interpratandis earumque virtutibus intelligendis recentior insudat ætas, sed antequam quæ dicenda sunt præcepero, plurimos, qui horum meminerint, memoria repeto. Ptolemæus affert, huius seculi facies cælestibus vultibus subiectas esse, quibus mira sapientes operabantur imagines construentes & describentes. & Hali Aben Rhodam Sapientem quendam Aegyptium scorpionis sigillo thure impresso sanasse, qui scorpionis morsu affligeretur, ille anulo scorpionis imaginem deferebat, & insculpi iusserat cæli medium, vel ortus cardinem occupante, & cum Luna iuncto, quod & à Serapione simile narratur. Vtilem quoque aduersus serpentes, imaginem effici posse Porphyrius autumat, cùm Luna cælestem intrat serpentem, vel cùm feliciter aspicit, & multa, quæ breuitati parcentes omittimus. Hic breuiter recensebimus operationes, configurationesque debitas. Vt rem igitur exordiamur, multiplici de causa ab antiquis scriptas reperimus, vti nostra se extēdi potuit cognitio. Primò anulis claudebantur, vt tali literæ clauderentur sigillo, atque ex eo, qui literas dabat, facies agnosceretur. quod Suetonius Tranquillus de Augusto protulit, qui in diplomatibus, libellisque & epistolis signandis vsus est sphynge, mox magni Alexandri imagine, nouissimè sua, Dioscoridis manus sculpta, qua signare insequuti quoq; principes perseuerauerũt. idem Ouidius quoque retulit in tristibus: Et sæpe, quæ apud nos reperiuntur, & in manus incidunt, diuersis hominum faciebus scriptæ visuntur, atque è sardoniche potissimum fieri consueuerunt, quòd solus ceram non

conuellat. Reperiuntur quoque contra diuersa accidentia scriptæ, & lapidũ virtuti decẽtibus figurationibus corroboratæ, vt potior viuidiorq́ existat lapidis opatio: inter cætera enim, quæ cælestes influxus recipere possent, idoneæ sunt gemmæ, nam quanquam cælestibus muneribus capiendis duriores videantur, vbi tamen accipiunt, tenacius & diutius retinent, quod Iamblico quoque placitum video. Sic sæpe anulis, quibus insigniuntur & decorãtur, obuersas inuenimus gemmas, intus enim quod nudam tãgebat digiti carnem inscriptæ imagines, characteres, & diuersarum literarum notæ, verbaq́ue conspiciuntur, statis horis oportunisq́ue temporibus conscripta, quorũ figurãdi et scribendi modum latè in sequẽtibus intelliges: Nunc autem lapidũ virtutes, nostro operi ideoneas breuiter perscribemus, vt res exemplis meridiana luce clarior fiat.

De lapidum virtutibus.

CAP. XXII.

NVNC lapidum virtutes recensebimus, non tamen omniũ virtutes omnes me referre putes, laboris potius, quàm ingenij & subtilitatis esset: sed eas tantùm, quæ frequentius reperiuntur, & experientia probauimus, earumq́ue figuræ lapidũ proprietati correspondent, & ad nostrum opus necessariæ videntur. facilè tamen eis plena multa reperies volumina, vt nil aliud tractent. Et primò Achates, qui Achatis fluminis ripis reperitur, niger est, albis interlitus zonis, & aliquando intermicantibus guttis illuitur: contra scorpionum serpẽtumq́ue morsus valet, facundum facit hominẽ, gratum, & regũ amicitiã conciliat.

ciliat. Ideo Ismeniam Choraulem [illegible] & fulgentibus vti consueuisse legimus, & in Persia eorũ suffitu tempestates auertuntur, & flumina sistuntur, argumentũ eius esse, si in feruẽtes cortinas fuerint proiecti, eas frigefaciunt, hic autem irritæ tales sunt vires. Alectorius è galli ventre extrahitur, qui quatuor spado annis vixerit, nos autem è gallinæ ventriculo veteris extraximus: Is ore detentus sitim extinguit, huius gerulus inuictus erit, ille etiam honores acquirere facit, & facundum reddit, vxorem marito gratam facit, sic extrahitur à grue geranites, à dracone droconites, siue drachetias, à buffone borax: qui à veneno liberat, sic chelidonius è dissectis hirundinum ventribus, sed nisi viuentibus abscissus sit, nunquam gemmascit, nã si obeat prius serpens vel animal, simul euanescit & ipse, sic extractis lapidibus adhuc & viuentibus ipsis retinẽt lapides eosdem effectus, quos & stellæ quibus subijciciuntur: Alectorius enim potestatem solarẽ habet, vnde gestantes inuictos reddit, sic chelidonius ex hirundinibus erutus curat melancholiam, & amabilem facit, cùm iouialis sit, & in cæteris idem obseruabis.
Aëtites lapis quassatus, sonat in eius ventre lapillus: Confert prægnantibus ne abortiantur, sedat & caducorum paßiones. Amethistus purpurei, & violacei est fulguris. dictus quasi nõ ebrius, ebrietati resistit in cõpotationibus, ex ebrio prudentem reddit & literis operam daturum iuuat, quia sculpi facile potest, multæ in eo scriptæ figuræ reperiuntur, vti dicetur, hominẽ facit vigilem, bonumq; ferenti prebet intellectum. Corallus in multis prodest, ideo corallorum gestanime amoliendis periculis & fascinationibus maximè vtun-

tur omnes, ideo è corallo ſurculi pueris adligantur pectore. Confert Calcedonius gerenti, vt cauſas vincat, corporis virtutes vegetat, contra demonum illuſiones, & phantaſticas cogitationes ex melãcholia exortas valet. Corneolus animorum callẽtium mollit impetus, & tumẽtes iras mitigat, ſanguinis compeſcit fluorem, & præcipuè mulierũ menſtruis laborantiũ. Heliotropius quòd deiectus in vas aquæ Solis radios accendentes per cuſſis ſanguineo mutet maximè, dictus, Solem eclypſet, & obſcurum reddat, quod nobis adhuc inexpertũ, vel quod imbres excitet: Geſtatus bonam famam acquirere facit, ſanguinem ſiſtit profluẽtem venena pellit, nec geſtantem ſinit falli, incolumen ſeruans. Hyacinthus venena fugat & peſtilentes tractus, & tradunt Punici eũ, qui hyacinthũ, geſtat eſſe à fulgure tutũ. Iaſpis caſtum reddit, ſanguinem ſiſtit, & menſtruum fluens, prodeſt quibus aqua intercus in eſt, & quos febris adurit, victorioſum, & potentem contra inimicos facit, ſtomachũ roborat, ſi collo rudis ſuſpenſus, os ſtomachi tangat, is tamen qui viridis: ſunt & alij degeneres, nominis tantùm authoritate gaudantes. Iris in ſexangulum mucrorem vtrinque leuiter turbinatus deſinit, ſub tecto ſi Solis radios oponitur, & pars vmbra detineatur, cæleſtis arcus ſimilitudinem parietibus oſtendit, quod forma euenit, ne ex ſe id aliqui putẽt euenire, hinc auxiliatur parturienti. Lapis cyanus contra melancholiã, quartanam, & ſincopin valet. Saphyrus, cui aureus puluis ineſſe videtur aureiſque punctis collucet, vegeta conſeruat membra, inuidos ſuperare facit, nec timore afficietur gerulus, febres refrigerat, inflammationẽ, anthraces, & frigida tactu ſanat apoſtemata: vim cõ-

tra

tra venenũ habet, sanguinem reprimit naso fluẽtem, si tẽporibus opponatur. Smaragdus viridi colore insignis oculorũ visus viriditate refocillat, vnde hãc oculis spectasse prodest, præcipue quos alterius gemmæ fulgor retuderit, rarò sculptus reperitur, nec temerè sic placuit, ne offensum decus imaginũ lacunis corrũperetur, cũ difficiliter incidatur, oportet castè ferri, nam coitũ non sustinet, vt scribit Albertus Vngariæ Regem in congressus hora cum vxore in partes dissiluit, & fractus est. Proditur Neronem in smaragdo gladiatorum pugnas spectasse, ipse opes auget, & verba persuasoria. Topazius lunaticam sanat passionem, auget diuitias, sanguinis eo fluor stringitur, & gestatus gratiam acquirere facit, & si concauus, vt cæteri obiectum idòlum conuersum ostendit.

De cæli & Planetarum imaginibus.

CAP. XXIII.

HAEC sunt planetarum cælique imaginum figuræ, quas sæpe intuens lapidum virtuti conformes inscriptas reperies, vti Mercuriũ gracilem iuuenẽ, caduceũ ferentem, capite pedibusue talaria. Martem autem loricatũ, militem bellicosum, vexillum, hastam, vel scutum secum ferentem. Venerem autem nudam mulierem, speculum & secum cupidinem puerũ habentẽ, lasciuo actu: sic Iouem solio sedentem, virga imperantem: falciferum senem Saturnum: radijs insignitũ Solem. Nec minus octauæ sphæræ configurationes crebrius in lapidibus ijs perspicere licet, simiæ, vrsæ, coronæ, cigni, aquilæ, alati equi, serpentarij, reliquarũq́. Sic signa omnia, arietes, tauros, geminos, cancros, leones, & cætera, & ex Stellarũ naturis pla-

netis

netis conformibus operationes eliciunt. Sunt & aliæ imaginũ cõfigurationes, quibus lapides veteres effigiabãt, iuxta Indorũ, Aegiptiorũ, Magorũ, et aliorũ astrologorũ sententias, non tã visibiles quã imaginabiles, vt in prima Arietis facie, hominẽ aiunt ascendere nigrũ, corporis ingentis, rubeos habens oculos, pannoq́; præcinctus albo, ascendit in secunda mulier clamyde cooperta lintea, viridibus pannis cincta, vnum retinens pedem. In tertia verò ascendit homo rubeis indutus vestibus, armillam habens manibus auream, cupiens & bonum facere, nec potest, sic in cæteris alijs sunt ascriptæ, quas qui quæsierit, eorũ quærat libros, longum enim & nimis fastidientis esset lectionis eorũ opiniones recensere, quæ & inter se diuersantur, ideo diuersis & varijs insculptæ imaginibus reperiuntur. Sunt & alij aliter operãtes, rem enim hominibus & gestibus exprimunt, vt, si gratia exempli, amorem inducere cupiunt, dulces complexus, gestus, & loquelas exprimũt, & osculãtes. at si odium vel irracundiam, terga obuersantes, se insimul fugientes, & abhorrentes, sic animi paßiones omnes quas inducere exoptant, figuris exprimunt, sed lapidum virtuti conformibus, aptis quoque insculpunt figurationibus, quæ quomodo aptari, & reperiri debeant in sequentibus aperiuntur.

Quibus imaginibus effigiari debeant lapides, vel gemmæ. CAP. XXIIII.

L*Apidum virtutum iam meminimus, & quæ sint configurationes inscribende, ad cælestem fauorem aucupandum, reliquum est doceamus, ipsis aptari quomodo debeant. ac oportunum tempus eligendi normam. Amethysto sæpe insculptus iuuenis*

repe-

reperitur, caducifer, galeratus & pedibus talaria, & manu aliquando ſiniſtra gallum tenens, quem Mercurium eſſe norunt omnes, nec à lapidis virtute diſcordat, unde ſapientiam & intellectum geſtãtibus pollicetur, & multa cùm verſatilis ſit eius natura. Achati ſcripti ſcorpiones reperiuntur, aranei, ſerpentes, animalia cætera venenoſa, nunc hominem ſerpentibus inſidentẽ, quem ſerpentarium cæleſtem Aeſculapiũ eſſe noſcunt, unde veneno, & ſcorpionum morſibus medetur, & Siculo naſcitur Achate flumine, ubi maximi gignuntur ſcorpiones, & per eos ſcorpionum eius prouinciæ peſtis extincta eſt, horumq́ue virtute natura defectũ rependit. Inſcribitur & anguifer in hæmatite: legi enim Magos Perſarum Regi ſuo conſuluiſſe, ut hunc lapidem ferret, & contra venenum putant, ut Haly ſcribit. Iaſpidi ſæpe leones, galli, aquilæ, trophæa, loricæ, nunc Martem, nunc armatum militem ſerpentes pedibus conculcantem, & in collo ſcutum inſculpunt, & lapidis duriciei, & virtuti reſpondẽtem hominem, ſæpe victorem, belligerum, & inuictum reddunt. Nechepſos autem Rex ad ſtomachi remedium, huius enim virtute vegetatur, draconem radios emittẽtem inſcribi iuſſit. In Magnete ſæpe cynoſuræ figura viſitur, cum maximè illius ſideris amore detineri videant, contactu enim ferrum ad illam vergit, ac compotem virũ illius virtutis efficit, ut pote Saturnalis. In Selenite lapide ſemper Lunæ imago reperitur, & qui argenteo filo circundatam tulerit, lunaris efficitur. Saphyro variæ imprimuntur animalium figuræ, ut eorum morſus ſanet. Hyacintho fulgura, ut ab eius flagrore gerẽtes reddat tutos. Corneolo variæ diuerſæq́ue ob variam & diuer-

ſam

sam eius virtutem & operationem, qui lapis facilis est sculpturæ & inuentionis, vnde filios Israel in deserto horum multitudinem sculpsisse fertur. Iam exempla retulimus, quomodo aptis lapidum operationibus, aptæ cælorum configurationes scribi debeant. Sunt quoque qui anulos, quibus clauduntur lapides, è metallis effingant, addictis planetæ illi, vt faciliorem contrahant operandi facultatem: vti Saturni è plumbo, Solis ex auro, Lunæ argento, vt saturnius gerens, solaris vel lunaris euadat, quod non nisi profuturum existimo.

Electiones inscribendis lapidibus necessariæ.

CAP. XXV.

SED maiorem è cælo virtutem suscipere, & præripere dicunt, si statis temporibus & opportunis inscribantur, sic enim animantur magisque ijs influunt sidereæ configurationes: & hoc fundamentum, & radicem statuunt omnium, nam si amorem excitare cupis, aptis & beneuolis aspectibus, si odium accendere, iniquis & destruentibus vtere, affectuque cognito tempus præparatur: nam si Veneris vel Saturni imagines facere constituunt, hanc Taurum, Libram, alterum Aquarium vel Capricornum subire expectant, & vt veritas pateat, in eorum sculpturis in Leone Solem, in Cancro Lunam, in Geminos & Virginem Mercurium reperimus. Sic in Leonis vel Cancri figuram inscribere volunt, in eis Solem & Lunam vagari cernunt, & illicò inscribunt, præcipuè id tamen cauent, vt Luna immunis, & ab omni sit impedimento libera, vt pote Martis, Saturnique, sic Solis combustionis. Præterea mentē adhibēt, ne cursu vacua, sed cres-

cens,

cens, & velox, nec in ſigni calce reperiatur (ſæpe enim infortunarum termini ſunt) in felici ſede, conſpiciant eam fortunæ trigono, vel hexagono aſcendens in ortus cardine, vel cæli culmine, non in cadentibus, nõ ſit declinans, dolet enim tunc planeta & torpet, aſcendentia ſigna diurna in die, noctu verò nocturna, vt facilius re potiatur, nec impedimentum afferre poßit. Contrà præpoſterè procedas, ſi odium vel infirmitatem inducere molieris, cùm ſignorũ figuram inſcribere quærunt, nõ minus per triplicitates ſequentes inuenies: nã ex Ariete, Leone, & Sagitario prima conſtat triplicitas, quorum in die Sol dominus, in nocte Iupiter, in crepſculis autem frigorificum Saturnis ſidus: & talibus ſignis, & ſculpturis frigidis medebantur ægritudinibus, hydropiſi, & paralyſi, ſic ſecundum reliquas triplicitates reliqua inſcribunt ſigna, aliĳs medẽtia infirmitatibus. Id tamen non omittam, quod teſtantur omnes, ſeculorum turba, eorum virtutem elãgueſcere, & extingui. Ideo quæ à maioribus factitata, nunc irrita prorſus & vana conſpiciuntur.

Iam PHILIPPE *Rex optime Naturalis Magiæ penſum abſoluimus, vti noſtra valuit infirmitas, & ab hoc genere poſt hac feriabimur, in quibus non tam mira, quàm vera ſcribere viſum eſt. Si quid intentatum remanet, vel inconcinnè dictum, & negotiĳ difficultati, & temporis breuiati àſcribatur. Hec enim ſunt dicendorum præludia, ſublimiora enim & ſecretiora conſcripturi ſumus, ſi diuina fauerint.*

FINIS.

HÆC, QVOD ALIOQVI PAGINA VACASSET, ADDIDIMVS EX PICTORIO.

Scito ſtatim reualeſcere ebrium, atque ſanari, etiamſi caput adeo doleat, vt ſenſus titubent, ſi teſtes in aquã ponat frigidam, vel aceto diluat.

Vinum fœtidum emendatur, ſi pro vaſis magnitudine iuſtam proportionẽ tritici mũdi per ſacculum in vinum ſuſpendas: quicquid enim fœtoris in vino eſt, attrahit, & mirè clarificat.

Vinum ſublimatum, in quo modicum ſalis immiſcueris, ſi accẽdatur in patina, extinctis alijs luminibus, mirum quàm perterritos reddat homines: rubeſcit etiam cancer viuus hoc vino, etiam ſale non impoſito.

Si coagulo modicũ de muſtellæ addatur cerebro, fit vt caſeus non putreſcat, etiam trimeſtris: neque mures talem arrodant.

Si ſitulæ aquæ fiſtularis immergantur ſalis nitri libras duas, illicò frigebit aqua.

ANTVERPIÆ,

EXCVDEBAT CHRISTOPHO-
RVS PLANTINVS KA-
LENDIS IVLII,
M. D. LX.

(2)

DONATI ANTONII AB ALTOMARI MEDICI AC PHILOSOPHI NEAPOLITANI DE SEDIMENTO IN VRINIS

TRACTATVS

AD IOANNEM FILIVM.



EIVSDEM TRIVM QVAESITOrum compendium aliâs impressum, sed multis mendis refertum Typographi culpa, nuper recognitum, ac diligentissimè castigatum.

NEAPOLI.

Excudebat Raymundus Amatus. 1558.

DE SEDIMENTO IN VRINIS.



VM Nonnullos inspexerim non modo iuniores, uerumetiam ueteres medicos post Galenum uariè de urinarum sedimentis conscripsisse, quorum ne ullus quidē uisus est huc usq; (ut mea fert opinio) Hip: ac Galeni sensentiam percepisse et tu quoq; non semel duntaxat, sed sæpius hortatus esses ut meam de eis sententiam conscriberē: Ob id non ab re uisum fuit quicquid cū eisdem de hac re sentiam, paruo hoc in tractatu, & quò ad potuerim succinctè pertractare: potissimùm cum hæc disceptatio non minus perutilis quàm necessaria sit tibi cœterisq; neotericis nostri temporis medicis: etenim ne dum in sanis corporibus, uerum etiam & in morbis ipsis præsertim acutis cum febre, ac reliquis quibuscunq; febribus, quæ ex putrescentibus succis generantur assiduè urinas obseruantes de eis, ac earum sedimento loquuntur, atq; bonam, aut malam coctionem significare fatentur quid sedimentum sit, ac quomodo generetur cum in sanis, tum in ægris fortasse non intelligentes: Cum itaq; & ualde utilis, ac non minus necessaria sit medicis ipsis sedimētorum notitia tam pro sanitatis conseruatione, quàm pro morborum præsertim acutorum prognostico, ac curatione, quinimmo tanta est uis signorum ab

urina in morbis acutis ut & solis ipsis credendum sit, ut liquet 6. de morb: uulg: Idcirco uolentes de sedimento uerba facere quoniam simul cum urina excernitur, nec citra ipsam conspicere, ac de eo quicquam exactè proferre ualemus, ut eiusdem exquisita habeatur notitia, Primùm quid sit urina, & quomodo generetur, ac secernatur ostẽdemus: deinceps quid per sedimentum intelligendum: ac quid sit: quis modus generationis eius, quæue causæ: ac quo loco gignatur tum in sanis, tum in ægris declarabimus. Quòd uerò urina (quam Græci οὖρον appellant) serum sit humorum in uenis contentorum Hip: authoritate Galenus lib: 3. de morb: uulg: scriptum reliquit: quemadmodum quòd ea ut excrementum aceruetur in uenis, & arterijs quale in lacte concreto serum ab eodẽ Gal: primo de sanit: tuen: decretum est: quod deinde renes à sanguine secernentes ad uesicam ipsam transmittunt. Cum primùm uerò alimentum in chilum à uentriculo immutatum est, atq; concoctum per uenas à iocinore ortas uenæ portæ dictæ ramos ex eodem uentriculo ad iecur deducitur: utitur nanq; iecur eisdẽ uenis ueluti manibus quibusdam, quæ ex uentriculo ei cibum afferant, ut. 5. de loc: affec: scriptum est, eumq; non solum attrahunt, sed ipsi quodammodo hepati præparant: quippe cum natura sint eidem assimiles, & primum germen ex illo ducant, ut liquet. 4. de usu part: cumq; iecur id nutrimẽtum susceperit ab eisdem uenis ueluti famulis quibusdam quodammodo præparatum, & ueluti rudem quandam delineationem, obscuramq; sanguinis speciem referens, eidem

postremum inducit ornatum ad sanguinis exacti generatio-
nem: quo tempore distributus à uẽtriculo ad ipsum χυλός
à uisceris caliditate ueluti uinum musteum feruet concoqui-
tur, ac alteratur in sanguinis boni generationẽ, in qua ebul-
litione excrementum quod in ipso reperitur fæculentum,
ac crassum subsidet, innatat uerò quod tenue est, & leue:
Quibus secernendis natura instrumenta præparauit splenẽ
uidelicet qui crassum & limosum attraheret: uesicam uerò
bilis ut quæ leue, & flauum exciperet: Postquam uerò qui
apparatur in hepate χυμός hoc est succus ad animalis
nutrimentum prædicta duo excrementa deposuit, & ab in-
nata iecoris caliditate coctionem exactam est adeptus, ruber
iam & purus sursum ad gibbas eiusdem Iocinoris partes
ascendit: excipit autem ipsum illic uena quædam maxima
ex gibbis eiusdem hepatis enata (caua uena appellata) quæ
ad utramq; animalis partem fertur superiorem simul &
inferiorem, diceres sanè ipsam esse ceu aquæductum quen-
dam plenũ sanguine, riuos quamplurimos habentẽ magnos
& paruos in omnes animalis particulas distributos: In qua
etiam uena multo adhuc humore quodam tenui & aquoso
plenus est sanguis: Etenim neq; ex uẽtriculo in uenas com-
modè transumi poterat chilus iam ex cibis factus, neq; faci-
lè pertransire uenas, quæ sunt in hepate & multæ & an-
gustæ, nisi tenuis quædam, & aquosa humiditas tanquam
uehiculum fuisset ei admixta, hunc etenim usum præstat
animalibus aqua Gal: teste. 4. de usu part: siquidem ex ea
nulla particula nutriri potest, neq; distribui ex uentre quod

nutriturum est poterat, nisi deductum fuisset à quopiam ita liquido: Quadere non absq; ratione Hip: humorem hunc tenuē, & aquosum ὄχημα τροφῆν nuncupauit, hoc est uehiculum nutrimenti simul cum appellatione usum quoq; eius ostendens: Cum uerò tenues hi, & serosi humores suo functi fuerint officio, nec amplius oportebat in corpore eos permanere, tanquam onus alienum uenis futuros, non enim egebat amplius sanguis ipse sanè multo hoc uehiculo, ut qui tum per amplas uias illhinc feratur tum fluxilis magis à natura redditus sit primū ab hepatis, deinde cordis calore: proinde renes à natura fabricati fuere, ad eorum attractionem, ac sanguinis ab eis expurgationem, utrinq; ipsi cauæ uenæ adiacentes paulò infra iecur: Attrahunt autem humorem hunc per ampla quædam orificia: per quæ neq; purus, neq; sincerus trahitur serosus hic humor, sed alterius cuiusdam diuersi generis admixtione adulteratus, sanguinis uidelicet humidioris, & tenuioris existentis, ac ipsius flauæ bilis, quæ si non admodum crassa fuerit, cum urinis etiam ad uesicam permeat: at sanguis cum eodem seroso humore permixtus ubi ad renes peruenit, ipsorum carni aspergitur instar fœcis cuiusdam, & inde paulatim uaporis modo in totam ipsam dispergitur, adhærescit, unitur, atq; demum alimentum fit renibus, & propterea ne simul cum urinis quemadmodum tenue, biliosum excrementum, sanguis hic humidior, ac tenuior existens è renibus elaboretur, densum fuisse eorum corpus præstitit Gal. teste. 5. de usu part. Trahunt itaq; renes serosum hoc, ac tenue excremen-

tum à uasis ipsis simul cum humidiori, ac tenuiori sanguine permixtum tanquam eorum proprio, ac familiari nutrimento qui cum ad renes (ut dictum est) peruenerit sanguis pro eorum nutrimento detentus per totam eorum substantiam dispergitur. At serosus hic humor tenuis ui renum à sanguine segregatus per meatus quosdam prælongos ac fortes (οὐρητῆρας *Græci appellant) ad uesicam delegatur, quo fit ut urinæ (ut inquit Gal. eod. lib. 5. de usu part.) ui renum à sanguine segregentur, & illinc per* οὐρητῆρας *iam dictos ad uesicam emittatur, indéq; excernatur quo tempore ratio ipsa iusserit. Verùm licet cũ primùm sanguis in cauam uenam assumatur confestim per riuulos quosdam ab eadem ortos, satis amplos existentes, à dicto tenui, ac seroso humore ui attractricis facultatis renũ, ad quos inseruntur, expurgetur, propter eas, quas assignauimus, causas: tamen nonnihil etiam illius retinetur, quò reliquus quoq; sanguis nõ modo per uenas in oẽs corporis partes pertinentes traducatur, uerùm etiã per arterias media eadẽ caua uena quæ sursum ascẽdẽs ad dextrũ cordis uẽtriculũ inseritur. Quapropter renes ipsi non solas purgant uenas ab eo excremento simul cũ tenuiori sanguine ipsum attrahentes, sed arterias quoq;: alias (ut inquit Gal: 5. de usu part: aduersus Erasistratum) non conueniebat arterias renibus insertas magnitudine fuisse uenis æquales, ad cauitatem eorum diuisas, haud secus ac uenas. Propterea itaq; quòd arterias adeò magnas ac uenas natura renibus inseruerit, causam nullam dicere poterimus, ut inquit Gal: citato*

loco, nisi quòd ipsi serum sanguinis omne non modò ex ue-
nis, uerumetiam ex arterijs per uniuersum corpus distribu
tis media eorum attractrice facultate expurgant. Quadere
idem Gal: primo de sanit: tuen: (ut diximus) non ab re
scriptum reliquit hoc excrementum serosum in uenis, &
arterijs aceruari, quale in lacte concreto serum, quod dein-
ceps renes ipsi à sanguine secernentes ad uesicam trans-
mittunt, nam ui renum à sanguine segregatur, cum ex ue
nis ueniat, in renibusq; percoletur urina, ac in uesica agre-
getur eodem Gal: auth: com. aph: 77. 4. lib: & propterea
eorum duntaxat humorum, qui in uasis continentur, nota est
urina, neq; eorum ullum planè nec manifestum, nec eui-
dens signum habemus præter solam urinam, ut idem Gal:
4. de sanit: tuen: fatetur, quanquã ex accidenti indicia quoq;
esse possint urinæ aliarum dispositionũ, ut liquet. 2. pro-
gn: & . 3. de morb: uulg: com: 3. Quapropter urinæ semper
inspiciendæ sunt in uentris, thoracis, pulmonis, ac neruorum
affectibus. Nam bonæ si apparent multum ualent ad salu-
tem: contra si prauæ amplificant simul ægri periculum, ex
sententia eiusdem Gal: citato libr: 3. de morb: uulg: com: 2.
Cæterum animaduertere oportet, quòd licet renes ipsi assi-
due iam dictum excrementum ex uniuersis cum arterijs,
tum uenis attrahant, non tamen adeò expurgare ab eo san
guinem ualent, ut nihil eius supersit ita ut cum primum è
uasis excidit sanguis, ac singulis animalis particulis appo-
nitur syncerus fuerit & omnino ab hoc seroso excremento
(quod pro uehiculo ei permiscetur) expurgatus, sed si-
mul cum eodem sanguine nunc functũ officio humidũ, te-

nueq; superest aliquod quale nimirum serosum illud iam dictum quod ex uasis idest uenis, & arterijs in uesicam defluit, ex sententia Gal: citato primo lib: de sanit: tuen: Huic excremento nullus certus à natura præscriptus meatus est, expellitur tamen facilè partim in speciem halitus ab insito calore solutus, partim uiolento motu confertim erumpens, appellant uerò quod ita excernitur sudorem, & hæc est illa pars una alimenti, uelut serosa, & humida, quæ ipsi etiam gratia distributionis admiscetur, cum primùm alimentum singulis animalis partibus apponitur, ut liquet comm: aph: 15. 3. lib: Omnem etenim qualitatis alimenti mutationē alterum crassius, alterum tenuius excrementum sequitur, quæ etiam per uniuersum corpus semper perueniunt ut. 3. meth: med: scriptum est, & propterea qualiscunq; fuerit in corpore redundans succus (ut inquit Gal: 4. de sanit: tuen:) tale necesse est ut appareat serum, ac sudor quidem succorum, qui in uniuerso corpore abundant, nota est: urina uerò eorum tantum qui in uasis continentur: Eadem itaq; est materia sudoris, & urinæ, serosa siquidem alimenti pars: Verùm dum intra uasa consistit à renibus segregata urina appellatur: cum à uasis simul cum sanguine excedit, qui cunctas animalis particulas nutrit, sudor nuncupatur, si in halitum nō fuerit à calore soluta, sed per exiguos corporeæ molis, ac cutis meatus excernatur: Eiusdem quoq; generis existit tenue illud excrementum quod in cauis ulceribus semper colligitur à Græcis ἰχῶρ appellatur, à latinis sanies dicitur ex quo cum ulcus semper humidum reddatur

nec tempus ullum erit, quo exiccantibus non indigeat medicamentis ex Gal: sententia eod. 3 meth: med: Hæc quò ad ea, quæ de urina pertractare polliciti sumus, conducunt etenim non parum ad eum, quem intendimus de sedimentis tractatum. Reliqua uerò, quæ faciunt pro exacta urinarũ notitia tam consistentiæ, quàm coloris earundẽ, à ueteribus græcis, ac iunioribus quibusdã latinis, qui de eisdẽ fusius scripserunt, petas, potissimũ à Leone Rhogano nostræ ætatis Iuuene eruditissimo, & Hip: & Gal. doctrinæ æmulatore laboriosè.

CAPVT SECVNDVM.



ONSVEVERVNT Hip: ac Gal: ea, quæ crassiora ac corpulentiora in urinis consistunt (& nos contenta uocamus) communi appellatione παραφισάμενα propriè uero pro ratione diuersitatis loci, ĩ quo permanẽt, diuersimode appellare. Nã si in fundo uasis hoc resideat ab eis ὑπόστασις nuncupatur, latini sedimentũ appellant: Si uerò desuper in urina supernatet, ab eisdem νεφέλη dicitur, à latinis nebula, seu nubecula. At si neq; in summis eius, neq; in fundo uasis, sed in media sede sublime, uel exquisite medium, uel deorsum potiusquã sursum existat, id consueuit Gale: ἐναιώρημα nominare, ut. 2. progn: ab eodẽ scriptum

est,latinè autem sublimamentum, aut suspensum dicitur, quanquã Hip: eodem modo consueuerit nominare sublimamentum, seu suspensum & nebulã, seu nubeculam, ut idẽ Gal: fatetur citato lib. 2. prognost: licet aliubi ipse Hip: sublimamentũ geniture simile dixerit, ita ut è duobus alterũ sit, aut ut generalioris rei nomen existat ἐναιώρημα apud ipsũ, sectionẽ habẽtis ĩ nubeculã et id quod genituræ simile est, aut nunq; nubecula ab eo sublimamentũ appellatur, ut liquet ab eodem Gal: ibidem: Hanc quoq; nubeculam aph: 71. 4. lib: ἐπινέφελον uocauit, uerùm quoniã hæc tam sì ægris corporibus, quàm sanis existentibus generentur eundem habent generationis modum, eandemq; causam efficientem, ac materialem, & locum ubi generantur ut dilucidius infra patebit) secundùm multitudinem, aut paucitatem, tenuitatem, ac crassitiem materiæ, ac perfectiorem uel minus perfectam actionem causæ efficientis eorundem duntaxat dissidentia: Propterea quicquid de sedimento dicemus, de suspenso, ac nubecula subaudiendum erit, Nanq; in sanis corporibus urina nullo pacto sedimentum habebit si tenuiter, copiosum uerò si largius, exiguum uerò si modicè uiuitur, & si id quod naturæ subterfugit coctionem ab eadem exactè quodam modo euictum sit, in fundo uasis residet si autem non ita exactè, sublimamentum aderit: at si minus exactè nubeculam in urinis inspiciemus. Etenim cum a calore omnino quod concoquitur non superetur, id quod humidius in eo existit, ac tenuius in flatum uertitur qui eidem commixtus substantiæ eam subleuat ac impedit ne sua gra

uitate deorsum descendat: & pro ut maior, uel minor quantitas ipsius flatus commixta fuerit, eò in suprema, uel media regione iddem excrementum consistit: similis quoq; ratio ferè est in ægris. Nam sedimentum habet urina copiosum, quotiens morbus ex humoribus crudis fatiget: nullo uerò modo aut omnino minimum quoties ex biliosis, sed satis est si habeat nebulam, aut suspensum Gal: teste pri: de cris: et. 2. progn: Pauca etenim portio humorum crassorum, ac crudorum ubi à calore superātur in fuliginosum uaporem uertitur: multa autem remanet crassa, quæ per urinam excernitur: At ubi biliosi fuerint humores redundantes, contrarium euenit propter causam contrariam ut dicemus: Verùm si in uno eodemq; morbo eadem contentorum differentia inspiciatur, eidem causæ efficienti quæ magis uel minus materiam superauerit diuersitatis causa tribuenda erit. Nā quæ minus euicta est maiorem habebit flatuosi spiritus permixtionem, & sic in suprema parte, si mediocriter circa mediā regionem, Si uerò perfectè fuerit euicta, in infima parte seu in fundo uasis residebit: quod igitur exquisitè cōcoctum, secretumq; est æquale, ac similare, utpote nullum habens flatum, in fundum descendit uasis urinam continentis: quod uerò permixtum est aereo quodam & uaporoso flatu id subductum ab eo, quod proportionale sit quantitate subducentis, minusq;, & magis sursum fertur ut. 2, progn: à Gal: scriptum est: Et ut uno uerbo expediam quæ urinis probè innatant, quantò inferiùs subsident, tantò magis laudantur ex Pau: sententia cap. 13. lib. 2. Per sedimentū itaq; intelligendum est id in urina contentum quod corpulentius

existiens neq; in summis eius, neq; in media sede, sed in fundo uasis permanet. Hoc in corporibus sanis, de quibus primò pertractare intendimus, nihil aliud est quàm ea alimenti pars, quæ in sanguinis generatione naturæ refugit confectionem, neq; ut sanguis ab ea commutata, neq; ut pus præter naturam causæ particeps Gal:auth:primo progn: Verùm pro notitia generationis eius est animaduertendum primò tres fieri in corporibus nostris in tribus diuersis locis, alterationes, seu concoctiones (prout sæpe sæpius in Gal:doctrina scriptum reperitur præsertim lib:pri:progn:& .3.de cau:sympt:lib:de cibis boni, & mali succi.8.meth:med: ac alijs plærisq; ĩ locis) quarũ prima in uentriculo perficitur, in qua cibi ad idoneum sanguini humorem commutantur: Secunda uerò in iecore, ac uenis in qua humor ad sanguinem transmutatur: Tertia ac ultima in singulis animalis partibus cum alimentum ipsum singulis nutriendis partibus apponitur, aglutinatur atq; assimilatur: communis autem scopus uniuscuiusq; partis, seu instrumenti alimentum alterantis, ac concoquentis est, ut sibi ipsi assimilet id quod alteratur, ac ad propriam eius naturam deducat appropinquantem humorem ut liquet ex Gal:eodem pri:progn: & 4.de usu part: Quapropter chilus ex uentriculo assumptus ex ipsa ueluti carne iocinoris alteratur paulatim'q; in illius naturam transmutatur, ac in sanguinem uertitur. Nam secundum eius carnem quæ est proprium ipsius corpus primum sanguinis gignendi est organum, & uenarum principium: & propterea uenis, quæ ad uentriculum, & uniuersa intestina pertinent, inest facultas quædam sanguinis effe

ctrix, quæ succum, qui ex cibis distribuitur eisdem in sanguinem mutare naturale est, priusq; is ad hepar perueniat, licet ea sit ueluti rudis quædam delineatio obscuramq; sanguinis speciem referens: Inducit autem postremum ei ornatum ad sanguinis exacti generationẽ iecur ipsum. ut eodẽ 4. de usu part: scriptum est: ita ut quicquid ad iecur peruenit alimenti ad sanguinem immutetur, nec quicquam remaneat inalteratum omnino, atq; ĩmutatum. Verum pro diuersa alimentorum ratione, ac pro diuersitate partium alimenti quædam magis, quædam minus ad sanguinis formam immutantur: insuper & quædam deteriores reliquiæ alimenti cum sanguinis formam suscipere non ualeant, alterationem quandam adhuc ab eo suscipientes, in excrementorum naturam mutantur. Nam & hæ quoq; partes, seu alimenti excrementa consonum est ut alterationem quandam ab eo suscipiant, cum tota substantia alimenti quæ ad ipsum iecur peruenit ab ipso alteretur, atq; immutetur, postquam officium uniuscuiusq; partis animalium (ut diximus) est ad propriam deducere naturam propinquantem humorem: Ex quibus liquet quòd si hæ alimenti partes, quæ dum in iocinore concoctio fit (excrementorum naturam habente) aliquam suscipiunt alterationem, ac mutationem ab ipso iocinore, & non omnino immutatæ remanent, licet in sanguinem conuerti non ualeant: quòd nec reliquæ quæ non adeò à sanguinis natura alienæ sunt (ueluti excremẽta ipsa bilis uidelicet flaua, ac nigra) oĩo inalteratæ, ac ĩmutatæ permanere possunt: potissimũ cum simul cum sanguine commixtæ, & ipsæ ad gibbam iecoris perueniant, ac

cum eodem per cauam uenam distribuantur: Quapropter toto (ut inquiunt) cœlo aberrarunt qui urinæ sedimentum dixerunt esse particulam illam, quæ ex massa ptisanaria assumpta in uenis, sua in specie manens, euasit omnino insanguificata: impossibile nanq; est ut eadem per uenas permeans ad iecur, adeò à natura sanguinis sit aliena ut primò ab eis non aliquam suscipiat alterationem, & demum ab ipso iocinore, cum semper alterata ex dictis uenis ab ea facultate, quàm ab hepate suscipiunt, ad ipsum perueniat. ac demum in eo permanens ab eodem saltem quodammodo immutetur, ac assimiletur: quamuis in uerum sanguinem cõmutari non ualeat: & propterea quicquid in sanguinis generatione naturæ subterfugit confectionem (dixit Gale:) in urinis subsidere, addens neq; ut sanguis ab ea commutatum, hoc est non adeò perfectè cuictum & assimilatum, ut sanguis, & non ꝙ omnino inalteratum ac insanguificatum (ut quispiam dixerit) permaneat, alias aut non alimenti, sed medicamenti omnino rationem obtineret, eius præsertim, quod uenenosum est ac animalis naturam corrumpit, deleterium dictum, ut liquet. 3. de temperamentis saltem relatione facta ad iecur, aut omnino nulla poterit assignari causa, cur uelut cætera duo excrementa in iecoris cauitate non secernatur, sed ad gibbam cum reliquo sanguine ascendat, atq; ad cauam perueniat uenam, cum neq; pr pter transitus celeritatem id quoq; fieri posset: Etenim ne breuissimo tẽpore in hepate mansisset succus qui ad ipsum ex uentriculo fertur, neq; ipso distri uionis impetu raptus celeriter totum uiscus peruaderet, s d in eo diutius moraretur, ut per

fectius alteraretur transituũ angustias molita est natura, & proinde uenas quæ sunt in hepate omnium quæ spargun tur in uniuersum corpus tenuissimas fabricata est ex Gal: sententia. 4. de usu part: Nisi quispiam temerè absque ullo pudore fateatur, hanc chili partem habere alas & ideo uelocissimè iecoris uenas pertransire ac insanguificatã perma nere. Secundò animaduertendũ, ac mente reuoluendũ est id, quod ex Gal: sententia. 3. meth: med: supra adnotauimus, uidelicet quòd oẽm qualitatis alimenti mutationẽ, alterũ crassum, alterũ tenuius excrementũ sequitur, idq; in singulis alimenti mutationibus luce clarius inspicies, exorsus ab ea, quæ in uentriculo fit, in hac etenim crassum illud excrementũ (quod quidẽ existit ueluti in tritico lapides, ac terra) secernitur, paulatimq; impellitur per omnia intestina usq; ad rectũ, ac deinceps per aluũ expurgatur: reliquus autẽ cibus humido liquori percocto iã & prius elaborato assimilis, indigenti autẽ adhuc perfectiori cõcoctione, per tenues ac exiguas uenæ portæ soboles ex uentriculo, ac intestinis sursũ ad hepar fertur, ut paulò ante diximus: & propterea id quod humidũ, ac tenue, & aquosũ, seu serosũ in eo existit (eius sanè generis, ex quo urina, sudorq; proueniunt) secerni haudquaquã necesse erat: præstat etenim ipsi chilo eundẽ quẽ diximus usum, neq; enim ex uentriculo in uenas cõmodè transumi poterat, neq; facilè pertransire uenas, quæ sunt in hepate, nisi tenuis quædã & aquosa talis humiditas tanquam uehiculũ fuisset ei admixta quemadmodũ supra adnotauimus ex Gal: sententia. 4. de usu part. Cumq; peruenit ad iecur similem quoq; iterũ ipsum infert alimento

purgatio-

purgationem,ac perfectiorem concoctionem: In hac etenim concoctione, quæ in iecore fit, aliud tenue excrementum, quale est quod florem in uino appellant, aliud crassum quale quod fex dicitur, etiam consequitur, attrahitur primùm à uesica, quæ iociriori subijcitur quod leue, ac flauum est, & bilis flaua appellatur: alterum uerò quod crassum & graue est, à liene, & nigra bilis, fex sanguinis, seu melancholicus succus nuncupatur, eodem Gal: authore citato lib.4. de usu part. & lib.pri. de sanit: tuen: Hæc sunt illa duo excrementa, quæ necessariò consequuntur ad eam alimenti mutationem, quæ in iocinore perficitur (hoc est sanguinis generationem) Quapropter longè à ueritate, ac Gal: doctrina deuiant qui in hac concoctione (hoc est sanguinis generatione) præter iam dicta duo excrementa, quædam alia gigni confitentur, cum neq; plura, neq; pauciora, quàm nuper dicta duo ex Gal. reperies, neq; etiam ueritati consonũ sit, plura in hac concoctione excrementa animaduertere, quàm in reliquis: Nam & in tertia quoq; alimenti alteratione, cum uidelicet alimentum ipsum singulis animalis partibus apponitur, ac assimilatur, similia duntaxat duo excrementa consequuntur. quorum unum tenue existit, alterum uerò crassum, ut ex eodem Gal: liquet citato lib. pri. de sanit. tuen: & cōm. aph. 15. 3. lib. Verùm de tenui superius uerba fecimus, cum de urina pertractauimus. Id uerò quod crassum existit, seu semicocta quæpiam reliquia alimenti, quæ assimilari nutriendæ parti nequiuit, & uelut fuliginosa superfluitas est, quæ ĩ pluribus cibis deterioribus cõtinetur, & naturæ operationem subterfugit ut neq; assimilari corpori quod nutritur, neq; agglutinari ualeat: Huic nullum pue

publice nomen est quod uidelicet nec uulgo est cognitum, uerum eius nonnihil transpiratione seu perspiratione insensibili excernitur, & ubi expe i nequeat ab eodem pili originem ducunt, ac sordes, quæ circa cutim semper aceruantur, ut liquet ex Gal. præcitatis locis: Huius quoq; generis est & illud crassum excrementum quòd in cauis ulceribus semper colligitur, & sordes etiam nuncupatur, à quo sordidum ulcus redditur: & propterea nec tempus ullum ē, in quo expurgantibus medicamentis non indigeat, quemadmodum & de exiccantibus supra dicebamus, ratione tenuis excrementi, quo fit ut cauum ulcus semper exiccantia, ac expurgantia medicamenta desideret, quoniā nullum adest tempus, in quo non ambo hæc in eo colligantur excrementa ex Gal: sententia. 3. meth. med. Verùm quoniam non exiguam quoq; suscipit alterationem, seu immutationem alimentum ipsum, dum intra uasa continetur, non solum siquidem ab ea facultate, quam à iecinore suscipiunt uenæ, sed ab eorundem uasorum propria propterea & in hac quoq; alimēti immutatione (quæ est eorum propria) duo illa excremēta (quorum unum tenue, alterum crassum existit) secerni necesse est, si Gal: sententia, quam supra adnotauimus, sempiternam debeat habere ueritatem. At de tenui excremento nemo ueretur quòd in eisdē uasis aceruetur, et quòd uenarū & arteriarum excrementum sit, ac tale quale in lacte concreto serum, ut ab eod. Gal: scriptum est citato lib. pri: de sanit: tuen: id'q; renes facillimè ad sese trahunt simul cum tenui, ac aquoso sanguine permixtum, à reliquo sanguine sinceriori, ac crassiori existente secernentes, ipsis uidelicet eundem attrahentibus, et uasis retinentibus in seipsis crassiorē

ſanguinem, cũ primùm quidẽ ſanguis ab innata iecoris ca-liditate coctionẽ exactã fuerit adeptus, ac ruber iam effec-tus, & à duobus excrementis purus ſurſum ad gibbas par-tes hepatis aſcenderit, ac deinceps ad cauã uenam peruene rit: tunc etenim à ſanguine idẽ ſeroſum excrementũ tanq; ſuo functum officio, ac onus uenarũ, & arteriarũ exiſtens, ſecernere decẽs erat, quanq; nõnihil adhuc eiuſdẽ remane-at intra uaſa cũ ſanguine propter eundẽ uſum ut ſuperius dictum eſt: Quamobrẽ putandũ eſt non abſq; forti ratione Hip: dixiſſe urinã eſſe ſerũ humorũ in uenis contentorũ, et Galenum nos docuiſſe. 5 de ſimplic. medicam: facult: ea pe-culiariter & uerè urinam ciere, à quibus ſanguis non ex-tenuatur duntaxat, ſed & funditur, ac ſecernitur, non ſe-cus atq; lac, quod coagulatur, ſeroſo uidelicet, & tenui ſe-orſum ſegregato, craſſo uerò in ſeſe cocunte. Siquidem quò facillimè ad se attrahant renes quod in ſanguine aque-um, tenueq;, ac ſeroſum eſt, utraq; hæc conferunt, nempè to tius ſanguinis primùm fuſio, deinde ſegregatio: quorum neutrum abſq; ualido calore peragi queat. Cœterum ſan-guis hic rubeus, ac ab excrementis purus, quem uena caua ex gibbis iocinoris partibus excipit, etiam ubi fuerit à ſero ſo humore expurgatus nõ omnino homogeneus, ac ſimilaris exiſtit, ita quòd ſingulæ alimenti partes ſint à iocinoris ca-liditate innata æqualiter euictæ, ſed quædam magis, quæ-dam minus perfectè in ſanguinis ſubſtantiam, ac colorem ſunt commutatæ prout magis, uel minus conſentientes, ac ſi miles fuerunt in ipſa ſanguinis generatione: quæ partes ali menti minus euictæ, ueluti ſemicoctæ, quædã reliquiæ exi-

flentes assimilari omnino, ac perfectè in sanguinem com=
mutari nequiuerunt, idq; non propter aliud quam ratione
prædictæ partis alimenti quæ suaptenatura licet quodāmo
do ab ea facultate quæ sanguinem gignit, dum sanguis ip=
se generatur, uincatur, ac superetur, tamen ex ea perfectus
sanguis generari non ualet: Hæc inquam alimenti portio
sic imperfectè euicta (in sanguinis generatione) simul
cum eo per uenas ac arterias distribuitur familiaritatem
quandam, ac similitudinem cum ipso habens quo in tempore
a facultate alteratrice ipsorum uasorum propria, quæ in eo
rum tunicis consistit, ex proprio eorum temperamento orta,
& non ea, quam à iecore participant uenæ insimul cum eo
sanguine qui ab ipsis pro eorum nutrimento conficitur: assi
milatur etiam quodammodo & hæc alimenti portio, quan=
dam suscipiens ab eis in colore præsertim ac etiam substan
tia assimilationem. Verùm cum in earum nutrimentum om=
nino uerti nequeat quoniam in sanguinis generatione non po
tuit omnino, ac perfectè in sanguinem cōmutari, sic quodā=
modo in colore, ac substantia tunicarum dictorum uasorum
assimilata (habent etenim cōmutatricem hanc facultatem
propriam ut liquet: 6. de Hip: ac Plat: decr:) præter eam,
quæ ex iocinore ad uenas prouenit: eadem tanquam super=
flua, ac aliena ab eorum facultate expultrice ueluti onus eo=
rum existens, excernitur, postquàm agglutinari, ac omnino
assimilari pro eorum nutrimento non ualuit, licet fuerit eis=
dem apposita, & quodammodo (ut diximus) assimilata.
Et quoniam alia conuenientior, ac magis congrua non ade=
rat uia, quam ea, quæ ad renes, & uesicam recedit, ea de=
re quo tempore renes excrementum illud serosum à singu=

lis iam dictis uasis attrahunt, & ipsa quoq; uasa excrementum hoc excernunt, uelut onus quoq; eorum existens nō minus quàm tenue, ac aquosum illud excrementum, quo fit ut simul cum urina ad uesicam descendat, ab ipsis quoq; renibus tanquam superfluum quoddam expulsum: & propterea album apparet, ac in urina subsidet, simulq; cum ea excernitur sedimentum: intra uasa, & non in iocinore in. 3. ac nouissima concoctione, & non in secunda genitum: quo tempore sanguis pro arteriarum, ac uenarum nutritione apponitur, agglutinatur, ac assimilatur in earum propriam naturam, & non eo, quo sanguis generatur, cuius propria materia ē quædā illius semicocti alimēti portio, quæ oīo ī uerū, ac perfectum sanguinem cōmutari non ualuit, dum ipse generaretur: Hæc nanq; simul cum sanguine per uenas, ac arterias permeans (ut diximus) ab eorundem caliditate innata quodamodo euicta, ac assimilata sedimenti suscipit formam, & quæ ad eam consequuntur colorem .s. ac figuram quæ prius in iocinore suscipere non poterat, ut quidam falsò opinati sunt, decepti ex Gale. uerbis pri: Progn: cum dicebat quòd quantùm alimenti ī sanguinis generatione naturæ confectionem subterfugerit in urinis subsidet, neq; ut sanguis ab ipsa cōmutatū, neq; in generatione, ut pus præternaturam causæ particeps, licet id quoq; generationem obtineat, quæ puri proportione respondeat: Nam per hæc uerba Gal: noluit urinæ sedimentum generari in sanguinis generatione, quæ fit in iecore, cum eius naturam subterfugerit, sed dixit id alimenti esse, quod subsidet in urina tanquā materia, neq; enim alia est materia generationis eius, quàm hæc, uerùm propriam eius generationem, ac formam, & co

Vnde Color Vnde

lorem sedimentum in uenis, ac arterijs suscipit. Nam propter eandem causam subsidet candidum in urina sedimentũ (ut ipse inquit eodem loco) propter quam pus candidum efficitur, sed hoc propterea est eiusmodi, quia quodammodo solidioribus corporibus assimilatur, ergo & sedimentum propterea in urina subsidet candidum, quia eisdem solidioribus corporibus, hoc est tunicis uenarum, & arteriarum, quodammodo assimilatur, etenim semicocta excrementa similia subinde fiunt corporibus, quæ aluntur, quorum scilicet sunt excrementa, ut liquet. 6. de Hip. & Plat: decretis. Hoc itaq; est illud crassum excrementum, quod in hac alimenti alteratione generatur, nullam participans in eius generatione causam præternaturam ueluti pus, & sedimentum quod in ægris corporibus gignitur, ut in sequentibus fusius pertractabimus: Simul itaq; cum Gal. concludimus sedimentum in urinis sanorum nihil aliud esse quam eam alimenti partem, quæ in sanguinis generatione naturæ subterfugit confectionem, adeout perfectè in sanguinem commutari non ualeat: id nanq; per uenas, & arterias distributum ab earundem calore innato alteratum (modo, quo dictum est) sedimentũ efficitur, ac earundẽ crassũ excrementũ existit quicquid alij de eius generatione sentiant: Nã uelut in reliquis animalis partibus singulis ex ipso unde aluntur succo excrementũ quoddã crassũ nascitur ceu semicoctæ quæpiã reliquiæ, quæ assimilari nutriendis partibus nequiuerũt, (ut superius adnotauimus ex Gal. sent. p: de sani: tuen:) Ita quoq; necesse ẽ quod ĩ uenis, et arterijs ex ipso unde alũtur succo eiusmodi crassũ sequatur excremẽtũ ceu semicoctæ quæpiã reliquiæ, quæ oĩo eisdẽ nutriendis partibus nequiue

Vnde 3

runt aſſimilari, cũ nõ aliter, nec ex alia materia, nutrimẽtũ ſuſcipiãt, quã cæteræ aĩalis partes, quinĩmo cũ hæ eædẽ ſemicoctæ reliquiæ quæ aſſimilari nutriendis partibus nequeunt ſimul cũ ſanguine pro earũ nutrimẽto diſtributo per eadẽ uaſa permeent: conſonũ rationi exiſtit partẽ quãpiam in eorum nutritione ſimilem quodamodo reddi corporibus eorundem ac ſemicoctam etiam permanere et ſimul cũ urinis excerni tanq; excrementum, idq; non aliud eſt, quàm quòd ſedimentum appellatur: Differt autem à pituita, quæ ſimul ẽt cum ſanguine per uaſa permeat hoc excrementum, quod ſedimentum appellamus. Nam licet illa à Gale: ueluti ex dimidio coctum alimentum. 2. de nat. facult: eſſe dicatur quemadmodum & ſedimentum nos eſſe fatemur, tamẽ ea alimẽti pars, ex qua in ſanguinis generatione pituita gignitur conſentiẽs magis, ac ſimilis exiſtit pro ſanguinis perfecti generatione, q̃ ea ex qua demũ ſedimẽtũ oritur, et propterea illa ꝑ ulteriorẽ coctionẽ ĩ ſanguinẽ mutatur, hoc neq; in ſanguinẽ exquiſitè elaboratũ, neq; in uaſorũ nutrimẽtũ (cũ ex deteriori, ac crudiori alimẽti parte fuerit genitũ) cõmutari ualet: Et propterea quibus corporibus ſemicoctæ alimẽti reliquiæ, quæ perfectè in ſanguinem cõmutari nõ ualent, nec in alimentũ uenarũ, et arteriarũ plures fuerĩt plus ẽt ſedimẽti cũ urinis excernitur, quẽadmodũ in pueris ferè oĩbus, & perfectã ætatẽ habẽtibus, qui ocioſã uitã degunt, aut quouis alio mõ pleni ſunt, cõſpicere licet. Nã pueris ob uoracitatẽ, et ob id ꝙ una uẽtriculi opatio nõ põt duobus ſimul ſufficere augendo.ſ & alendo anteq; in ipſo ſufficienter alimentũ coctum ſit, ipſum ad ſe corpus trahit, atq; hĩc fit ut plurimum crudi humoris coaceruet, huius quoq;

Sedimenti a pituita differe.

concausa existit quòd à cibo ludentes, prosilientesq; mouentur, ut liquet pri: de cris: & .6. de morb: uulg: Nihil enim (ut idem Gal: inquit lib. de cibis boni, & mali succi) in cibarijs omnibus ad boni succi generationem tam pertinet, quàm si probè in uentriculo concoquentur: Nanq; hæc & alteram, & tertiam concoctionem facilius admittunt: at cũ non probè in eo cibi concoquantur, ut in pueris propter assignatas causas, neq; in secunda concoctione, quæ in iecore, et uenis: neq; in tertia quæ singulis partibus efficitur perfectã concoctionem admittent: propter has itaq; causas in pueris, semicoctæ reliquiæ alimenti plures superstites sunt, atq; adeò urinæ eorum satis multam habent subsidentiam, quãuis eorum alteratrix facultas robustior sit, quàm in cæteris ætatibus, ut liquet. 2. & . 3. Prognost: & . 3. de cau: sympt: in reliquis uerò plus aggregatur huius semicocti alimenti, aut propter satietatem, aut propter desidem uitam, ut eodem primo de cris: scriptum est, quemadmodum è contra qui multũ laborant, & pauciori cibo uescuntur, eóq; facilis coctionis, & boni nutrimenti, cum paucum sit quòd semicoctum relinquitur, paucum etiam habebunt in urina sedimentum, & interim nullum, sed aut suspensum, aut nebulam: liquet insuper ex iam dictis quòd quantumcunq; corpora fuerint optimè constituta, & temperata uictus ratione utantur, fieri tamen nequit, ut in eorum urinis non aliquid subsideat, aut pẽdeat, aut supernatet, cum perpetuò ex ipsa alimentorum natura aliquid semicocti remaneat alimenti in singulis corporibus: erit tamen in eiusmodi corporibus quantitate, & qualitate moderatum, ut pri: de cris: & . 3. art. medic: à Gal: scriptum est, quanquam in eisdem etiam corporibus, si urina min

gatur in primo tempore coctionis sanguinis nullam habebit subsidentiam si ea perfecta minus subsidebit, ut idẽ Gal: inquit. Nam dum adhuc sanguis coquitur multæ supersunt alimenti reliquiæ, quæ licet ægrè coquantur, possunt tamen in toto reliquo coctionis tempore in sanguinem cõmutari: eadem uerò perfecta, pauciores sunt quæ relinquuntur partes semicocti alimenti, ac illæ duntaxat quæ omnino assimilari, ac in sanguinem cõmutari nequiuerunt propter ineptitudinem earum, ut supra adnotauimus: id quoq; intelligere uoluit Gal: eod. pri: de crisib. per humorem qui crudus nominatur, cũ dixit in optime sanis corporibus, si nunc mingatur in primo tempore coctionis sanguinis subsidentiam habere albam leuẽ et æqualẽ sed multam, quoniam plus de humore, qui crudus nominatur, cum ea excernitur, licet coctionis sit signum exquisitum si talis urina colorem etiam exquisite seruauerit.

CAPVT TERTIVM



VERVM De eo sedimento, quòd ĩ ægrotantium urinis uisitur, non adeò simpliciter sentiendum, nec eodem modo, quo sedimentum in sanis ipsum generari cum Gal: censemus, sed quoniam in febribus, quæ fiunt ex putrescentibus intra uasa humoribus magna ex parte sedimentũ aĩaduertimus, ac ab eo coctionis aut cruditatis signa sumimus: Hanc ob rẽ primò de hoc sedimento institui uerba facere: Id uerò nil aliud est (ut ex Gal. colligitur pri: de diff: febr: & . 3 . de præsag: ex pulsi-

bus) quàm pars quædam eiusdem putrescentis intra uasa succi, puri proportione respondens, superante tamē natura: nanq; (ut ipse refert) non simpliciter hæc putredo exi-stit, sed aliquid in se continet coctionis remanente ad-huc ui coquendi uasorum, à qua interim qui putrefit hu-mor ad talem peruenit alterationem, cum non rarò eti-am eueniat quod eadem natura sit superata, quod qui-dem aliud genus putredinis est, ex quorum duorum gene-rum miscella alia tertia secundum speciem euariat, quo-niam & innumerabiles miscellæ modi, in eo quod ma-gis, & minus reperiuntur: de quibus duobus putredinis generibus, ac de subsidentijs eorum pertractare non in-tendimus, sed de eo sedimento quod fit humoribus pu-trescentibus intra uasa, natura tamen superante: habita nanq; huius notitia haud ægre etiam de reliquis haberi po-terit: pro quo animaduersione dignum est, quod licet putre-dinis natura (ut inquit Galen.11.meth: med:) sit muta-tio totius putrescentis corporis substantiæ ad corruptelam à calido externo, tamen dum quispiam humor putrescit con-festim duas suscipit alterationes contrarias: quarum una est præternaturam caloris ipsum corrumpentis, ac alienum à natura reddentis: Reliqua est ab eo, qui innatus, seu secū dum naturam calor existit, putrescentem humorem, ad con trarium alterans ipsum perficiens, ac concoquens. At hæ duæ actiones seu alterationes non semper æquales existunt, sed interim una, interim altera actio reliquā uincit, atq; exu perat: Quandoq; uerò magis, aut minus una reliquam supe rat, aut ab eadem superatur: Et propterea triplex putredi-

nis genus in uniuersum resultat quanquam ex tertio genere ferè innumerabiles miscellæ modi reperiantur, ut liquet eodem libr: pri. de differ: febr: Cæterum quia (ut ibidem scriptum est) quæcunq; in abscessibus putredinis sunt differentiæ totidem ĩ febribus, quæ ex putredine accenduntur sunt eorum, quæ in urinis apparent formæ. Propterea nos quando sedimentum diximus fieri superante natura, intelligere uolumus ipsum fieri ab utrisq; caloribus, quoniã eius materia putrescens humor existit. Verùm quòd adeo exigua sit præternaturam caloris actio in eius generatione, quòd ipsa natura, seu calor naturalis omninò eam superauerit, atq; euicerit: & propterea dissidet hoc sedimentum ab eo, quod subsidet in urinis sanorum, quoniam in illius generatione, nullo modo ingreditur præternaturam caloris actio, ut liquet primo Prognost: uelut in eo de quo modò uerba facimus ex Galeni sententia citato libro primo de differentijs febrium, quo loco asseruit id quod subsidet in urinis puri proportione respondere superante tamen natura: qua de causa talis putredo (ut ipse inquit) non simpliciter putredo existit, sed aliquid in se continet coctionis: quare fit, ut si pus præternaturam sit causæ particeps, similiter & hoc sedimentum eiusdem particeps erit: Ex quibus patet error eorum, qui tenent sedimentum hoc esse homogeneum, ac eiusdem speciei cum eo, qui in sanis generatur: differunt nanq; secundum efficientem eorum causam, nam illud caloris duntaxat naturalis opus existit, hoc licet ab eodem superante integrè extraneum fiat, tamen non adeo superatum est, ut nihil in eius

generatione operetur, quamuis minima, ac exigua sit eius actio, & propterea semper ad unam speciem terminatur hoc sedimentum, unumq; suscipit colorem, odorem, ac consistentiam, quò fit ut urina optima, quæ ex tali putrescente humore coctionem à continente uase suscipiente perficitur, sit quæ album, lene, et æquale, et minimè fœtidũ sedimentũ habeat, pessima autem quæ in omnibus maximè contrario modo se habet, quæ uerò intermedia existit quantò propius ad alteram accesserit, tantùm aut melior, aut deterior erit, ex Gal: sententia eod. lib. pri: de differ: febr: Cum itaq; humorum putredo quæ fit in uasis similis sit ei, quæ in inflãmationibus atq; abscessibus accidit, alijsq; collectionibus, hanc ob rem cum Gal: tenemus sedimentum hoc esse partem quandam putrescentium intra uasa succorum: Nam quemadmodum in eis ex materia putrescente, superante tamen natura fit pus, quod pars existit materiæ facientis inflammationes, seu abscessus, eodem modo ex materia putrescente intra uasa, natura superante, fit id quod in urina subsidet sedimentum, ut citato primo lib: de differ. febr: scriptũ est: At quòd pus fiat ex tali materia putrescente Gal: uerba ostendunt aph: 47. 2. lib: cum dixit, pus ex sanguine ortum habet qui seminatam, ut quispiam dixerit habet trãsmutationem: Nam mala simpliciter cum putrefactione fit olida sicuti quæ simpliciter bona est ipsa nutritio partium animalis. At quæ pus generat medium inter has obtinet locum, neq; à solo calore extra naturam, neq; à solo secundũ naturam procedens: mixtus enim quodammodo ex utrisq; est calor inflammationis. Quibus ex uerbis liquidò infertur nedum sedimentum urinæ portionem quandam esse putre-

scentium succorum intrà uasa, uerùm etiam ipsum cũ à ca-
lore præternaturam, tum ab eo, qui secundum naturam exi-
stit, procedere, ueluti ipsum pus, eo tamen qui secundum na-
turam est uincente. atq; iterum patefit error eorum, qui uo-
lunt hoc sedimentum esse eiusdem speciei cum eo, quòd sa-
norum est, & quod non sit uelut pars humorum, sed quæ-
dam eorum superfluitas illis cõmixta, quæ quidem fuit il-
lud ex cibis, ut ipsi fatentur quod aut nunc, aut in præteri-
tis diebus refugit sanguificationem, longè etenim hac eorũ
chimerizata (ut quispiam dixerit) opinione à Gal: senten
tia, ac ueritate recedunt, cum non modo differant secundum
efficientem eorum causam, uerumetiam & secundum mate
riam: neq; sedimentum hoc superfluitas existit (ut ipsi fa-
tentur) sed pars quædam putrescentis succi: Nam quem-
admodum ex quadam ueluti ebullitione, atq; exustione san
guinis, ubi is ex toto exustus fuerit, residuũ eius fit pus ceu
ex lignorum exustione cinis (ut liquet ex Gal: eod. cõm.
aph 47.2.lib.) ita quoq; ex quadam ueluti ebullitione pu-
trescentium intra uasa succorum ex ambobus caloribus (ut
diximus) tandem ubi naturalis calor materiam superaue-
rit, id quod tenue in ipsis existit fumosum, aut fuliginosum
natura expiratione, & contractione arteriarũ expellit, quod
uerò crassum & ueluti cineritium puri simile non perinde
cum crassum sit potest excernere, sed per insignes quosdã
meatus educit, & id est urinæ sedimentum ex Gal: senten
tia lib.3. de præsag: ex puls: Non ab re igitur sedimentum
habet copiosum urina quotiens morbus ex humoribus cru-
dis fatiget, seu ex ocio, & repletione febricitet quispiã, nã
in his exiguũ est quod tenue existens, ac fuliginosum pos-

ſit expiratione, & contractione arteriarum excerni: multum uerò quod craſſum & ueluti cineritium: Contra uerò euenit quoties morbus ex bilioſis humoribus fiat, ſeu ex inedia, ſeu ex labore quiſpiam febricitet, minimum etenim, aut nullo modo ſedimentum habebit, ſed ſatis erit si habeat ſublimamentum, aut nebulam propter contrarias cauſas: Hic itaq; eſt modus generationis ſedimenti in corporibus laborantibus febre, orta ex humorũ putredine intra uaſa, cuius cauſa materialis putredo, ſeu putreſcens ſuccus exiſtit: efficiẽs uerò calor præternaturam inſimulq; naturalis, uincente tamen naturali, qui protenſus eſt per ſolida corpora hoc eſt uaſorum tunicas: Locus autem ubi generatur ſunt ipſa eadem uaſa: Verùm nunquid pars ſit eius cauſæ febris, quam coniunctam appellant, an eius, quam antecedentem nuncupant? nondum liquet ex dictis, id uerò clarum fiet ex dicendis facta prius ſectione putridarum, ac cõtinuarum febrium, quæ quidem in Gal: doctrina. 11. meth: med. 2. de differ. febr. ac 2. de criſ: & alijs plæriſq; locis, in duplici differ. exiſtunt. Nam quædam unam duntaxat habent acceſſionem à principio ad finem uſq;, quædam plures. In eis, quæ unam habent acceſſionem, quoniam in his nulla eſt corporis pars, quæ præcipuè ſit offenſa, ſed humores duntaxat qui in uenis, & arterijs omnibus, atq; ijs præſertim, qui in maximis, ac calidiſſimis continentur, ob putrefactionem feruentes, & propterea uniuerſum tempus earum in una conſumitur acceſſione (ex Gal: decreto 2 de differ: febr:) quod excernitur ſedimentum nulli in dubium uenit quòd pars erit eorum putreſcentium humorum, qui talis febris immediata cauſa exiſtunt, quam coniunctam appellant, cum aliam non ha-

beant remotiorem causam antecedentem, eo quia uniuersi eodem tempore putrescentes eiusdem febris causa fuere, nec ab eisdem reliqui humores dispositionem talem participant, ut demum & illi iterum putredinem participantes alteram faciant accessionem: In reliquis uerò continuis, quæ plures accessiones habent cum duas obtinent internas causas, quarum una totius morbi causa existit & antecedentem nuncupant, alteram uerò cuiuslibet particularis accessionis, quam coniunctam uocant in dubium uenit cuiusnam causæ sedimentum pars existat? cui responsum uolo quòd eius, quæ putredinis particeps est, & quoniam ea actu putredine participat, ac putrescens est, quæ particulares efficit accessiones (coniuncta à medicis uocatur) nos uerò antecedentem magis propinquam uocamus: Nam Gale: 11. metho: med. humorum putredinem antecedentem quandam febris causam nuncupauit, propterea eiusdem pars sedimentum erit, & non eius, quæ antecedens, ac magis remota causa est, non particularium accessionum, sed totius morbi quoniam eadem licet quandam aptitudinem suscipiat ad futuram putredinem capiendam semper, ex ea portione, quæ actu putrescit, ac particularem efficit accessionem, non tamen prorsus putrescentem eam quispiam dixerit, & propterea sedimentum, quod quidem pars putredinis, seu putrescentis succi existit, ut superius cum Gal. conclusimus, nullo modo excerni potest ex ea causa quam ipsi antecedentem nuncupant, neq; ut pars eiusdem, neq; ut superfluitas, ut quibusdam fa's) uisum est, cum adhuc actu ipsa non putrescat, nec putredinem habeat.

neq; ab eadem natura adeò euicta sit, ut ex ea sedimentum excerni possit nam roborandas esse uires præcipit Gal: 11. meth: med: quòd putredinem superantes succos concoquant, quare non prius succos concoquit natura, q̃; putredinem superauerit, etenim hæc iugiter & magis ipsam infestat: neq; eidem causæ antecedenti ex aduerso respondet concoctio sed uacuatio si multa sit, extenuatio si crassa. & detersio, seu dissecatio si glutinosa: humorum autem putredini et excretio, & refrigeratio & uentilatio & semiputridorum concoctio, ex aduerso respondent, ut idem Gal: inquit. Id uerò luce clarius experientia comprobat, cum non modo continentes febres, quæ unam duntaxat habent accessionem, sed etiam eas continuas, quæ plures habent sæpenumero inspiciamus per urinas iudicare. Atqui iudicari haudquaquam possent nisi per eas quæ putrescit causa earum excerneretur, idq; non aliud quàm sedimentum est: amplius Gal: citato lib. 11. meth: med: decretum reliquit expellenda esse ea, quæ putruerunt, per aluum sudorem atq; urinas, & interim per uomitum, quotidieq; illud in curandis febribus ex putredine ortis obseruamus, Frustra itaq; Gal: id instituisset, ac nos exequeremur nisi quæ putruerunt per urinas excernerentur: Ad hæc propter quid Gal: lib. 3. art. medic. in febribus, quæ exputrescentibus accenduntur succis coctionem dixisset esse, quæ putredinem finit, seu quiescere facit manente adhuc substantia, & eodem. 11. meth: med: putrescentes humores concoquere inter alia iussisset, ut ipsos sanēs nisi natura eorundem putrescentium humorum coctionem præcipuè intenderet: ex quibus demum cum fuerint ab eadem superati atq; euicti sedimentum excernitur, modo, quo diximus.

mus. Est itaq; pars putrescentium intra uasa succorũ urinæ sedimentum cum ipsi à natura fuerint superati, atq; euicti, & non eorum, qui adhuc putrescentes non sunt ipsarum febrium putridarum antecedentes (ut isti dicunt) causæ existentium, qui ab eadem adhuc superati, neq; euicti sunt: neq; est superfluitas quædam eorundem, ut quibusdam placuit, uelut ex iam dictis liquidò constat, & propterea nil mirum si in principio dictarum febrium sedimentum in urinis non appareat, tam in eis, quæ unicam habent accessionem, quàm in eis, quæ plures. Etenim natura adhuc putrescentem humorem haudquaquàm superauit, adeò ut crassiorem partem putrescentium humorum manifestè, ac notatu dignum per urinas ualeat excernere, & proinde in eis quidpiam subsidere, quanquam id, quod tenue est fumosum, aut fuliginosũ natura existens, quodammodo expiratione, & contractione arteriarum in nonnullis earum expellat, & hanc ob rẽ maximum (ut inquit Gal:) putridarum febrium indiciũ existit urinæ cruditas, quanquam etiam debilis concoctio proprium earundem indicium sit, etenim proprium, ac inseparabile huic febrium generi est, ut urinæ primæ uel omnino crudæ, uel debiliter coctæ principio associentur, ut liquet lib. primo de differ. febr. Hanc eandem sententiam uidetur arabũ princeps confirmare cap. 7. lib. 4. fen. prima trac. 2. cum dixit quòd urinæ in febribus acutis non habent in principijs earum sedimen, deinde fiunt habentes sedimen, & quòd sedimen laudabile aliquid aliud non est nisi humor faciens ægritudinẽ, qui iam digestus est. Sed mox obijciet quispiã asserens si urinæ sedimentum, in continuis febribus ex putrescentibus humoribus ortis, est pars eius putrescentis suc-

ei. qui particularem efficit accessionem, quomodo indicabit supra uniuersum morbum in ijs febribus quæ plures accessiones habent? Seu quomodo nobis ostendet eam, quæ est totius morbi, causam, ac antecedens uocatur à medicis, esse coctam si eiusdem pars nō existit? Cui responsum sit, quòd ea portio putrescentium humorum, cuius pars sedimentum existit (ut superius adnotauimus) licet actu putrescat, ab antecedente, quæ est totius morbi causa secreta est, quando particularem efficit accessionem, & ubi eadem in summo feruore existit, quod huic continuum est adeò calfacit, ac disponit, ut dum remiserit eius calor, ac feruor idem iterum incalescat, putrescat, atq; efferuescat quousq; summum feruorem obtineat, eóq; rursus deferuescente, & reliqua pars cōtinua paulatim succenditur, ac efferuescit, seruaturq; circuitus hic quòad uniuersa totius morbi antecedens causa (quæ ut talem suscipiat alteratioē aptitudinem habet) fuerit cōsumpta, ac in parte superfluitates generante idem seruatur effectus, ut liquet ex sententia eiusdem Gale. pri. & 2. de differ. febr: Cùm itaq; ea humoris pars, quæ particularem efficit accessionem in similem eius naturam alteret, atq; disponat, antecedentem, quæ est totius morbi causam, & potissimùm, ac magis id quod sibi continuum est, & id reliquum, propterea quia semper ad continua dispartitam continet caliditatem, suóq; contactu uicinos humores ad putredinem trahit quod natura putrescere aptum est: atq; ordo hic (prout diximus) seruetur quousq; morbus iudicetur, nec deferuescere desinit unquam pars una, quin altera sibi continua non succendatur, atq; efferuescat, alias continua non esset febris. non sine forti ratione potest urinæ sedimentum coctio-

nem significare causæ antecedentis, ac totius morbi, cùm sedimentum pars sit putrescentis succi, & putrescens succus pars antecedentis causæ: Quadere qualis naturæ erunt partes, eiusdem quoq; & totum esse conuenit: Et ob hanc rem Hip. urinam optimam esse dicebat non solum si sedimentū haberet candidum & leue, sed si æquale esset per omne tempus, dum morbus iudicaretur: Hæc nanq; sedimēti æqualitas, cum eiusdem albedine, & leuitate est: quæ uniuersum morbum, uniuersamq; eius causam antecedentem concoctā, atq; euictam esse à natura indicat: similiter si sedimentum non æquale semper appareat, sed interdum tale, quandoq; diuersum existat, signum erit quod alius concoctus, deuictusq; à natura conditus in conceptaculis humor, alius incoctus existat: & propterea morbus diuturnior erit ut ex eiusdē Hip. & Gal. sententia liquet. 2. Progn: Siue igitur antecedens illa causa, quæ uniuersum efficit morbum fuerit homogenea, seu similaris, siue eterogenea, seu dissimilaris semper sedimentum indicabit nunquid cocta sit uel semicocta, cum eandem necessariò participet dispositionem, quam ī ea, quæ actu putrescit, & particulares efficit accessiones, pars eius existens, per sedimentum urinæ animaduertimus, potissimū ubi non unum duntaxat, inspexerimus sedimentum, sed plura, id quod considerandum præcipuè iusserunt Hipocr. & Gale. Verùm quid de intermittentibus putridis febribus sentiendum sit, non ab re quæret quispiam num sedimentum antecedentis causæ (ut ipsi dicunt) pars sit, uel coniunctæ hoc est eius, quæ putrescens est, & particulares efficit accessiones, quam nos cum Galeno antecedentem etiam uocamus causam , sed magis propinquam ipsius febris

putridæ continentem (quam ipsi dicunt coniunctam) non admittentes. Respondebimus nos quòd cum in intermittentibus febribus putrescens humor, qui particulares efficit accessiones haudquaquam intra uasa existat, propterea ex eo sedimentum excerni minime putamus. Nam cum id necessum sit cum urina excerni, & urina nota sit eorum duntaxat succorum, qui in uasis continentur, non modo secundum consistentiam, & colorem, sed etiam cum his, quæ in ea pendent aut subsident (ut inquit Gal. 4. de sanit. tuen.) reliquum est ut supra reliquos humores, qui extra uasa continentur significare non possit, potissimùm quia notitiam eorũ per reliqua signa habemus, partim ex sudore ac colore, partim etiam ex temperamento, ætate, anni tempore, anteacta uita, & reliquis huiusmodi: Consonum itaq; est idem sedimentum in quibusuis febribus intermittentibus ex humorũ putredine ortis, ab ea causa secerni, quæ antecedens, ac remotior febris est, & intra uasa continetur: nam cum hæc putredinis particeps non sit à calore duntaxat naturali alteratur, euincitur, ac quodammodo concoquitur, & assimilatur prædictis tunicis uasorum, qua assimilata quodammodo, atq; euicta, si de numero eorum humorum sit, qui in eorum nutrimentum commutari omnino non ualeat, confestim ab eisdem uasis uelut superfluum existens repellitur, ac simul cum urina excernitur tanquam pars quædam eorundem humorum intra uasa redundantium, à calore naturali uasorũ quodammodo euicta. Non tamen negamus interim (quanquam ex accidenti, & raro) partem quampiam putrescentis humoris extra uasa particulares accessiones efficientis, posse per urinas expurgari, uelut eiusdem sedimentum exi

fiens à superante calore aliarum partium solidarum, quam tunicarum uasorum euictam, atq; assimilatam, ac purisimi lem redditam: nam interdum per uesicam, & renes omne animal expurgatur, aut partium aliquarum in eo excrementa quædam ĩcidentia uenis purgato sanguine de renibus ex cernuntur, quemadmodum etiam et abscessus quoq; sæpenu mero per urinam expurgantur, ut liquet ex Gal: 2. Progn: utplurimum autem sedimentum, quod in urinis uisitur in eiusmodi febribus ex ea causa antecedente, quæ intra uasa continetur (& non ex ea, quæ extra uasa putrescit) tan quam pars eiusdem secernitur: potest nanq; eadem à natu rali calore uasorum concoqui quodammodo, ac per urinam excerni, cum non magnopere, ac continuè ab hac putredine extra uasa existente materia molestetur, quemadmodum ab ea quæ intra uasa consistebat. Eadem quoq; ratio existit in corporibus non inculpatam sanitatem habentibus, haudqua quam tamen ægrotantibus, ubi humores in eis redundarint: Nam si in toto habitu contineantur per alia signa, quã per urinas, & earum sedimenta dignoscemus: At si intra uasa redundantes detineantur, per urinas: & num ijdem cocti, uel crudi sint, per sedimenta simul cum ipsis urinis animad uertimus, earum etiam consistentia, atq; colore perpensis.

Verùm dissidet quoq; sedimentum hoc ab eo, quod in sanis corporibus secernitur. Nam illud est pars alimenti (ut dixi mus) hoc uerò est pars redundantium succorum intra ua sa, quanquam in efficiente causa communicent. Nã utriusq; natura, seu calor naturalis uasorum efficiens causa existit nullam ferente opem extraneo, ac præternaturam calore: quoniam in eorum generatione eius actio prorsus non ingre

ditur. Cœterum non ab re quispiam hanc nostram opinio-
nem impugnabit asserens si sedimentum in ægrotantibus
corporibus alterius sit speciei, ac diuersæ naturæ ab eo, quod
in sanis generatur, quomodo, ac qua uia ualeamus in eisdem
ægrotantibus corporibus distinguere quando sedimentum ip
sum sit pars putrescentis humoris, aut etiam non putrescen
tis (si in eisdem citra putredinem intra uasa redundet) &
quando sit ueluti reliquia quædam semicocti alimenti, quē-
admodum diximus in sanis corporibus generari. Nam &
in his quoq; semper aliqua alimenti portio in sanguinis ge-
neratione naturæ subterfugit confectionem, uel dicendum
erit unum in eisdem corporibus sedimentum excerni com-
positum ex utrisq;? Pro quo animaduertendum quòd in di-
ctis corporibus licet ex reliquiis semicocti alimenti quotidie
sedimentum aliquod ex naturali uasorum facultate genere-
tur, tamen si idem cum putrescentibus intra uasa succis, aut
etiam citra putredinem redundantibus qui ab eodem innato
calore euicti sint, misceatur, certum est quòd in eorum natu
ram uertitur, potissimùm cum ipsum exiguum sit, humores
uerò redundātes multi: Quadere unicum erit sedimentum,
quod erit uelut pars eorundem redundantium succorum euī
ctorum iam ab ipsa natura, qualiscunq; fuerit redūdans suc
cus etiam si putredinis, aut non putredinis particeps sit. Nā
impossibile est suam seruare naturam cum primum iam di
ctis humoribus redundantibus commixtum sit, quinimo con
festim in eorum naturam mutetur: Verùm si contingat sedi
mentum ipsum (quod diximus) in sanis secerni ex semi-
coctis alimētis haudquaquam cum humoribus intra uasa cō
tentis permisceri (id quod fieri poterit si in quibusdā uasis

ipsũ genitum sit, et in reliquis quibusdã humores putrescentes, aut non putrescentes contineantur) putamus ipsum interim secerni posse diuersum ab eo, quod ab ijsdem redũdantibus succis excernitur: Quadere tenemus duo sedimentorũ genera in eisdem corporibus modo iam dicto affectis secerni posse, quorum unum pars erit redundantium intra uasa succorum tam si putridi, quàm non putridi extiterint: Reliquum uerò portio quædam semicocti alimenti imo quicquid in sanguinis generatione naturæ confectionem subterfugerit modo intra uasa consistat alia, ab eis in quibus redũdantes succi continẽtur, & cũ urinis excernatur. Sed porrò non ab re adhuc quispiam quæret qui fieri possit ut unũ ab altero sedimẽto in hisce corporibus distinguere ualeamus? Huic responsum sit, quòd notitia habita qualisnam naturæ sint redũdantes succi, ac quantũ fuerint ab ipsa natura euicti, cuius itẽ cõsistentiæ, ac coloris sit urina, qua cũ sedimẽtũ excernitur, ac quale sit sedimẽtũ ipsũ, similiter quale, ac quantũ fuerit alimentũ assumptũ: haud ægrè quispiã distĩguere poterit nũ quod excernitur sedimentũ, ex humoribus redũdantibus, uel ex semicoctis alimẽtis fuerit genitũ: Nã si quãtitate, et qualitate assumptis alimẽtis proportiõe respõdeat, sitq; cõsimilis cõsistentiæ, ac coloris urina ipsa tanquã pars semicocti alimẽti ipsũ secerni putandũ est, potissimũ si neq; eiusdẽ sedimẽti cõsistentia, nec color proportione respõdeat qualitati, ac dispositioni, et naturæ tum morbi, tum etiã redũdantis succi. At ubi sedimentũ ipsũ naturæ, ac dispositioni redũdantiũ succorũ, ac morbi cõsimile sit, tã cõsistẽtia et quãtitate, quã colore, sitq; eiusdẽ rationis urina colore, et substãtia: nulli in dubium uenit sedimentum hoc tanq; par-

tem eorundem redundantium humorum à natura euictorũ excretum esse: Nec cuipiam à ratione alienum uideri debet quòd interdum mingatur urina, cuius sedimentum sit ex semicoctis alimentis exortum, interim uerò cum sedimento, quod pars sit redundantium succorum intra uasa, cùm neq; Hip: & Galeno alienum uisum sit, interdum alium concoctum, atq; deuictum à natura conditum esse in uasis humorem, alium uerò incoctum: & propterea interdum in urinis sedimentum apparere candidum, ac leue, interim uerò longe diuersum existat: ita ut aliquis hanc ob rem possit una die urinam inculpabilem, altera uerò sequenti nocte uel die culpabilem emictere, ut liquet. 2: Progn: Similiter quoq; non inconuenit quòd in ægrotantibus corporibus quandoq; urina cum sedimento, quod pars sit redundantium humorũ mingatur: interdum uerò cum eo, quod ex alimentis secernitur cum in diuersis uasis, & ab alia quoq; materia, alioq; tempore utrũq; generetur. Eadem quoq; ratio habenda erit de nubeculis, ac suspensis si cum urinis eadem excernantur & non sedimenta: aut si interim unum quandoq; alterum in urinis inspiciatur. Neq; obiter hæc animaduertẽda erũt, sed peraccuratè perpendenda: nam sæpenumero euenit ut etiam non uulgares medici in hac re ualde cæcutire uideantur, ita ut sedimentum ex alimentis secretum putent partẽ esse humorum in uasis redundantium, ac eorundem coctionis signũ existere: Quadere in prædictionibus ualde decepti sunt, ita ut quos prædixerant ægrotos euasuros non sine maxima eorum ignominia quandoq; interire conspexerint: Hæc de sedimentis sanorum, ægrotorumq; corporum cum Hip: & Gal: sentimus intelligentes de eis, quæ secundum

naturam, & uera ſedimenta exiſtunt, et non de his, quæ æquiuocè, & præternaturam ſedimenta appellantur, uelu ti ea, quæ ſimilia ſunt farinæ craſſiori, ſquamoſa, ſeu fur furacea, aut ut quiſpiã dixerit arenuloſa, ac orobeo ſimilia & reliqua huiuſmodi: Nam de his aliter cum eiſdem au thoribus ſentimus, neq; de eis pertractare nunc propoſui mus: dabitur tamen fortaſſe de his & aliquando ſcribendi locus quanquam de eorum generatione nulla ferè adſit dif ferentia inter authores, qui de eis verba fecerunt, Si qua uero hoc in tractatu ſtudioſi, ſæpius repetita animad uerterint, nos conſultò illud feciſſe putent, res etenim perutilis ac ad Artẽ neceſſa ria & cum Tyronibus agenda erat: quod neq; Hip: neq; Gal: in ſimilibus ueriti ſunt fa cere.



TRIVM QVAESITORVM NONDVM IN GALENI DOCTRINA DILVCIDATORVM COMPENDIVM.

PRIMVM, *Quòd Functiones Principes iuxta Galeni decreta Anima non in cerebri sinibus, sed in ipsius corpore exequatur.*

SECVNDVM, *Quòd Naturalis spiritus in Galeni doctrina admittatur, & non omnino abolendus sit, ut quibusdam uisum fuit.*

TERTIVM, *Quòd exquisita Tertiana ad Galeni sententiam in genere acutorum morborum reponenda sit.*

QVOD FVNCTIONES PRINCIpes, *iuxta Galen. decreta Anima non in cerebri sinibus, sed in ipsius corpore exequatur.*



RES *Esse animæ partes Platonis auctoritate Galenus. 5. de Hip. & Platonis Decre. & 7. eiusdem scriptum reliquit, substantijs, naturis, facultatibus ac functionibus non tantùm differentes, sed corporis sedibus, quò fit ut tres quoq;, quæ uitam no*

ſtram gubernant, facultates, ac tria principia ſint ĩ tribus diuerſis corporis ſedibus, uelut apertè ex eiuſdẽ ſententia liquet. Horum principiorum unũ in capite collocatũ eſſe aſſerit, idq; munus habet per ſe quidem, ut imaginationem, memoriam, intellectionẽ, cogitationem'q; cauſet: per aliud uerò ut ſentientibus animalis membris ſenſus, ijs autem, quæ per appetitionem mouẽtur, motus originem præſtet. Alterum in corde ſitum eſſe uoluit, eiuſq; opera, ut ex illius ſententia cõſtat, ſunt animæ tenor. quem Tonon dicunt, & in his, quæ ratio iuſſerit inuicta cõſtantia: Eiuſdem in perturbationibus eſt quaſi feruor quidam inſiti caloris, cùm anima uindictã de eo ſumere cupit, qui uidetur offendiſſe. quæ ira appellatur: per aliud etiam id efficit ut membris ſigillatim oĩbus calorem, arterijſq; illam micationis pulſus agitationem ſuppeditet. Reliquum & tertiũ principium ſeu facultatem in iecore ſedem obtinere dixit uniuerſam in animali nutricationem procurans, cuius maxima pars & nobis & ſanguineis omnibus ſanguinis eſt procreatio: Ad eãdem hanc facultatẽ pertinet iucundarum rerum fruitio, in qua cùm uehemẽtiùs, quàm par eſt mouetur, incontinentiam intemperantiãq; efficit. In hoc tamen hæ facultates ſeu uirtutes inter se diſcrepant, quòd prima rationalis, aliæ uerò duæ irrationales appellãtur, et quòd quæ in irrationalibus partibus exiſtunt uirtutes habitus quidã tantùm & potentiæ ſunt, in rationali autem non habitus modò ac potentia ſed ſcientia etiam eſt uirtus, cum hæc ſola animæ pars ſcientiæ capax particepſ'q; habeatur. reliquæ uerò potentias quidem & habitus ſiue bonos ſiue malos poſſunt acquirere, ſcientiam uerò quoad rationis fuerint expertes minimè poſſunt.

At relictis irrationalibus partibus seu potētijs ad eam, quæ rationalis est accedemus: huius sedes ad Galen. mentem in cerebro existit, atq; ob id inter tria principia principalissimum est: huic enim natura tribuit imperare, dominari, corpusq; hominis regere cùm opus est, uelut liquet. 3. de Hip: & Plato. decre. (& si alia quadam ratione cor principatum obtineat, ut patet. 5. de lo. aff.) quàmuis utrum in eo tā quam in domicilio seu arce, an tanquàm corporis forma ab ipso inseparabilis hucusq; decretum non reperi, ut dicemus, nisi quòd cerebrum continet in se ipso rationalem animam, ueritus perpetuò quid esset eius substantia, quam tanquàm inuestigari non necessariam pro his, quæ dicturi sumus adhuc nos subticentes, ad ea quæ tractanda petisti deueniemus. An scilicet principes animæ functiones iuxta Gal. doctrinam in una cerebri parte uel diuersis perficiantur, seu in uno uel diuersis sinibus aut uentriculis. Pro huius dilucidatione animaduertas oportet principes functiones propterea appellari (Gal. teste. lib. artis medic.) nō quòd initiatæ ī cerebro alijs cōmictantur partibus, ut motrix & sensibilis operatio, sed quoniam à solo principio proueniunt, has quoque proprias ipsius cerebri. 2. de lo. aff. nominauit, ut quæ à nulla alia parte ut instrumento fiant & . 7. de Hip. et Plat. decre. has functiones asseruit esse per se munera eius principij, quod in capite collocatum est, cùm non per aliud eas causet uelut motum & sensum. Harum uerò differentiæ & si quàmplures ab Auic. & Auer. ponantur, quia tamē nec cum his barbaris, nec alijs quibuscunq; etiā græcis seu latinis, sed cum Gal. tantùm res agenda erit ut petisti, ideo ad eius mentem tres statuendæ sunt. ut patet 7. de Hip. &

Plat.de:lib.artis medi.& lib.de diffe.Sympt.quarum unã phantasiam,seu imaginationem,alteram cogitationem seu intellectum,& tertiam memoriam appellat.Has functiones cùm in sua propria sede,hoc est in cerebro anima ipsa perficiat(ut dictum est)citrà aliam partem seu organum, ipsumq; cerebrum in plurimas discriminatum sit partes,nonnullosq; in se contineat sinus ac uentres,duos quidem in eius anteriori parte,unum in media,& reliquum in eius postrema parte,ausi sunt quidam,licet temerè,asserere ad Gal. mentem animam in diuersis sinibus operari, utpotè in anterioribus cerebri sinibus,seu eius anteriori parte imaginationem,in medio cogitationem ac intellectum,in postremo memoriam. At nos quàm parùm hi Gal.doctrinam gustarint, qui talia fatentur,ostendere conabimur, supponentes prius, quòd per imaginationem nil aliud uelit Gal.intelligere, quã spetierum,seu formarum receptionem à sensibus representatarum,siue præsentibus ipsis,siue absentibus obiectis sensibilibus,et propterea nullum modò facio discrimen in eius doctrina inter sensum communem & imaginatiuam, licet perspicatiores quidam uelint eò discrepare,quòd sensus cõmunis recipiat præsentibus obiectis sensibus, phantasia autem,seu imaginatio,conseruet absentibus ipsis : pariter per cogitatiuam intelligo discursum seu raciotinationem qua mediante anima discurrit,ratiotinaturq; componendo,seu diuidendo ea,quæ in phantasia seruata sunt,nullum similiter discrimen faciens modo inter cogitatiuam & intellectum: per memoriam uerò intelligens illam formæ seu spetiei reuocationem hactenus impressæ seu sigillatæ in ipsa phantasia seu imaginatiua,siue ea fuerit perfectè sigillata et ĩpressa

& proinde promptè reuocetur, siue amissa ferè & abolita, ut ægrè reuocetur, ex quacũq; causa illud fiat: quàmuis Arist. unam memoriam, alteram uerò reminiscentiam appellet, intelligens per memoriam, tantùm reuocationẽ illius formæ seu spetiei hactenus in phantasia impressæ ueluti pictura quædam, à qua passionem quandam recipiens ipsa imaginatiua sigillatur uelut cera à sigillante anulo, huius autem passionis habitum memoriam appellat Aristo. asserens, memoriam esse phantasmatis habitum, ea uerò est præteritorum, sed non præsentium seu futurorũ. Hac facultate ẽt participes sunt (ad eius sententiam) alia quædam animalia, præter homines, inter quos quidam non ab re difficulter memorantur aut immemores sunt, ut ratione ætatis diuersæ, pueri & senes, utriq; propter motum, tamen illi in augmento, hi uerò in decremento multo sunt. Et proinde his humidioribus existentibus, tanquàm in aquam fluentem incidẽte motu & sigillo, non manet phantasma in anima inquit ipse: illis uerò propter esse frigidos ac duros non inest impressio, nec tangit, licet eam accipiant. At per reminiscentiam, eam animæ functionem intelligit, qua ad uenandum formam mouetur hactenus in phantasia impressam, uerùm nũc oblitam, & cum magna ex parte hoc difficile sit potissimum si longum fuerit interpositum tempus, propterea ut à simili uel à contrario, aut propinquo, ac uelut quodam utens sylogismo reminiscitur. est enim, ut ipse inquit, reminisci ut syllogismus quidam, hoc autem eis solis accidit, quibus & deliberatiuum inest naturà. Reuertendo igitur ad id, unde digressa oratio est, dicimus cum Gal. tres esse principes animæ facultates, quarum munera ut diximus sunt imaginari, cogi-

tari, & memorari, at cùm ipsarum operationes circa phantasmata sint, quæ quidem in organis habent describi propter eorum cum materia dependentiam, necessariò has facultates organis perfici existimandũ est. Qua de re non immeritò de hoc ipsarum organo in dubium uenit, non siquidem utrum sit cor aut cerebrum, quoniam luce clarius est apud Gal. cerebrum esse ut retulimus, sed an diuersis uel uno cerebri sinu, aut in ipsomet corpore cerebri perficiantur. Pro quo iterum animaduertas oportet, ratiocinatricem animam, siue ea in cerebro sit tanquàm in arce seu domicilio, siue uelut quædam eiusdem corporis forma, seu ipsiusmet cerebri temperamentũ, cui fortè sententiæ potissimum adhærere uidetur Gale. eo libro, qui inscribitur Quòd animi mores corporis sequantur temperaturas, cum plures habeat facultates seu efficaces causas, eas medio animali spiritu perficere, qui neque est eius substantia, nec eiusdem quasi domicilium ut Stoici senserunt, sed primum eius instrumentum, nã qualiscunq; sit animæ ratiocinatricis substantia siue corporea siue incorporea, eius habitaculum est in ipso cerebri corpore, ut eidem Galen. placuit. 7. de Hip. & Plato. decr. Spiritus autem animalis, eius est primum instrumentum pro sensibilibus ac uoluntarijs motibus perficiendis, ut ipse testatur. & proinde si exinanitus fuerit, minime animal uita priuat, sed stupidum, sensu motuq; erepto tantisper reddit, quoadusque collectus restituatur: Is si animæ esset substantia, fieri nullo modo posset quin simulatq; ipse esset euacuatus continuò quoq; animal non interiret: est deniq; animalis spiritus non animæ substantia ac uelut domicilium, sed eius primum instrumentum ad Galeni sententiam, qua ratio-

ne & animalis dicitur, qui ex uitali ſpiritu perfectiùs concocto (ut Gal. uiſum eſt: eo. 7. de Hip. & Plat. decr.) oritur. Oportuit nanq; ipſum exquiſitiſſimam omnium immutationem adipiſci, quò aptum fieret animæ inſtrumētum. qua de re non immeritò natura cùm è uitali animalem hunc ſpiritū efficere ſtuderet, reticularē quendā contextū, quē græci πλέγμα δικτυοειδές, quaſi uariū quendā labyrinthum iuxta cerebrum ad eius baſim fabricauit, uelut proprijs oculis non ſemel dum eius anatomen adminiſtraremus, inſpexiſti (& ſi quidā falsò contrarium ſenſerint). Cōſtruxit inquam hunc plexum quadam non parua portione ſoporariarum arteriarum aſſumpta, ac in tenuiſſimas partes diſciſſa, cancellatis fibris ad retis formā: Ex hac textura iterum tàm magnum exoriens arteriarum par quantum id quod è ſoporarijs proceſſerat, à principio in cerebrum ingreditur, et cū alias partes, tum uentriculorum ambages multis ramulorum implicationibus inueſtit, quibus & in uentriculos ipſos ac in eiuſdem cerebri corpus elaboratus iam uitalis ſpiritus diſtribuitur, ac in animalem uertitur. eius nanq; generatio materiam habet propriā uitalem inquàm ſpiritum, prout Gal. teſtatus eſt. 9. de uſu partium. Nā quoad in arterijs continetur uitalis eſt, & dicitur, prout idem Gal. ſcriptum reliquit. 7. de Hip. & Plat. decr. uelut is qui in cerebro animalis eſt & dicitur: ipſius nanq; ueluti fons cerebrū exiſtit, ut patet 12. meth. medendi. rigaturq; hic ſpiritus animalis, ac alitur non tantùm ex eo, quem reticularis plexus ſuppeditat, uerùm etiam & ex aere inſpirato ac per nares attracto, ut patet libro de uſu pulſ. & de utili reſpir: qui

uerò

uerò spiritus cerebri uentriculis incidunt prioribus, denuo cõ ficiuntur ac præparantur in eis, noua quadam præparatione præter eam quam fieri in reticulari plexu diximus, ac tum primùm incipit nomen animalis spiritus subire, quamuis imperfectus adhuc is sit ac inconcoctus, ea de re conficitur prius in eis ac præparatur, & demum à posteriori sinu excipitur per medium meatum, seu uentriculum, ipsum transumens (ut Gal. placuit. 8. de usu partium) & ita demũ exquisitè elaboratus animalis is spiritus primum existit rationalis animæ instrumentum, cùm in sensibilibus actionibus omnibus perficiendis, tum in his, quæ à consilio & uoluntate prodeunt, prout patet. 7. de Hip. & Plat. decr. & . 4: de lo. aff. quàmuis potissimùm eo utatur spiritu, qui in postremo uentriculo continetur, tanquàm exquisitiùs elaborato, & eo qui in medio, ut liquidò constat. 3. de lo. aff. cùm dixit animam in sensibilibus actionibus omnibus, ac in his quæ à cõ silio & uoluntate prodeunt, spiritu uti animali tanquàm primo ipsius instrumento, qui in uentriculis maximeq; postremo continetur, quàmuis non contemnendus sit medius uentriculus perinde quasi non principalissimus seu ualentissimus sit, multis enim rationibus inducimur, ut hunc amplectamur, duos uerò anteriores deseramus. Ex quibus Gal. uerbis constat quòd quàmuis anima ratiocinatrix pro instrumento utatur animali spiritu contento in cerebri sinibus, dum sensum & motum perficit, tamen eo maximè utitur, qui in posteriori continetur uentriculo ac medio, utpotè qui perfectior, ac maioris facultatis existat, eo post habito, qui in anterioribus, tanquam impuro adhuc ac imperfecto existente & materiali magis, ac ad eius usum inepto, cum in eis elaboretur ac

purgetur, ut diximus, quo fit ut posterior is cerebri uentriculus meritò anterioribus minor factus sit, prout idem Galen. asseruit. 8. de usu part. Insuper propter hoc si cerebrum ipsum quomodocunq; incidas, nō priùs sensum & motū amittit animal, quàm ad aliquem uentriculum uulnus penetrauerit, quin etiam patet quòd postremi quidem uentriculi uulneratio maximè omnium animal lædit, secundo loco medij, et minima ex anterioribus utrisq; noxa contrahitur, eod. Gal. auctore. 7. de Hip. & Plat. decre. illud quod etiam experiētia comprobauit in adolescente in Smyrna Ioniæ, qui suscepto uulnere in altero anteriorum uentriculorum superstes tandem euasit, ut tum. 8. de usu part. tum commen. apho. 18. 6. lib. testatus est. Hic deniq; usus habetur ab eo spiritu, quem arteriæ à retiformi plexu exortæ in cerebri sinus eructant, At quoniam nonnullæ earum progerminationes præter prædictas ad tenuem membranam per cerebri corpus penetrantem inseruntur, ad has quoq; partes portionem non minimā uitalis illius spiritus priùs in prædicto plexu elaborati eas deferre censendum est, prout etiam testatus est Gal. 9. de usu part. & .7. de Hip. & Plat. decre. illudq; liquidò in dissectionibus spectari potest: Ea de re animalē quoq; spiritum in ipso cerebri corpore contineri, alienum à ratione non est, nam cùm primùm ex arterijs decidit in cerebri corpus, non amplius uitalis, sed animalis est & dicitur, cùm ille in corde & arterijs tantùm locum habeat, hic uerò in cerebro, ut paulò ante retulimus: nec id quoq; Galenum latuit cùm. 8. de usu part. talia protulit uerba. Postea uerò quàm in toto cerebri corpore, non in solis eius uentriculis, quemadmodum alibi demonstrauimus, spiritus animalis multus continetur,

existimare oportet plurimum etiam in cerebro posteriore ipsum contineri, ut quod omnium, qui in totum corpus distribuuntur, neruorum futurum erat principium, mediaq; illa interualla, quæ partes eius connectunt, spiritus esse uias. Ex quibus Gal. uerbis constat, spiritum animalem, eumq; multum in cerebri corpore contineri, præter eum qui in eius sinibus habetur, de cuius usu nullam usq; adhuc habemus prolatam à Gal. sententiam: & si perpetuò compertũ sit apud eum spiritum animalem primum esse animæ instrumentũ, & quòd eo, qui in cerebri sinibus continetur, ipsa utatur pro sensibus & motu perficiendis: ac huius quem in toto cerebri corpore esse fatetur, hucusq; usum ab eo declaratum non reperi, præter id quod in prædictis uerbis habetur, de quo quid sentiam in his quæ consequenter dicemus, pronunciabo, nunc autem tempestiuũ est uentriculorum omnium cerebri usus propalare, & demum ad propositæ rei ueritatem accedere, inter quos anteriores iuxta Gal. doctrinam. 8. de usu part. præter id quòd spiritum animalem conficiunt, ac præparant ipsi cerebro, inspirationem & expirationem efflationemq; efficiunt, atq; etiam ĩ fernis suis partibus quæ spectant ad nares, simul quidem sunt olfactorium ĩstrumentum, simul etiam ueluti ductus quidam ac canales ad superfluorum effuxionem accommodi: ex partibus nanq; sibi propinquis necessariò excrementa affluentia, cum loco inferiori sint siti, sæpenumero excipiunt: at cur eos duos esse oportuit, eodem citato loco à Galeno declaratum est: nos uerò ut breuiloqui simus derelinquimus modo: Eius autem uentriculi, qui in posteriori parte existit, munus est, ipsum spiritum animalem ante iam in

uentriculis confectum transumere, simulq; spinalis medullæ principium esse. Et cum non liceret duas in animali facere spinas, neque duas spinales medullas, propterea duplex esse nō potuit, uelut anteriores duplices esse oportuit. Et si Herophilus (cui assentire uidetur Ga.) omniū uentriculorum existimarit hunc esse principalissimum, cùm maiorum uirium maiorisq; facultatis materias contineat, licet omnium sit minimus, prædictos autem spiritus in prioribus sinibus elaboratos nequaquàm transumere poterat, ni inter ipsum & eos, meatus quidam esset, per quem cum spiritus fieret in ipsum transumptio, tum cerebrum cum parencephalide seu cerebello comunicaret, & esset connexum, cum unum ab alio crassæ meningis duplicatione diremptum sit, necessariumq; esset aliqua parte cerebrum cerebello coniungi. Talem ergo præstat hic meatus usum, siue meatum ipsum, siue quartū totius cerebri uentriculum, siue perforationem duorum uentriculorum anteriorum nominare uelis. Excipiens enim hic spiritum ex anterioribus uentriculi parencephalidi ac posteriori uentriculo transmittit, simulq; cerebellum ipsum cum cerebro connectit. His ita iactis tanquam fundamentis firmis, reliquum est eorum opinionem diruere, qui ad Gal. sententiam asserere ausi sunt principes facultates in cerebri sinibus perfici, easq; nec in uno tantum: sed diuersis, in anterioribus uidelicet imaginationem, in medio cogitationem, & in postremo memoriam. Simul etiam nostram opinionem ac ueritatem iuxta Gal. doctrinam statuere, ignoro equidem quo pacto Galeno illud adscribere non erubescant, cū ubiq; locorum uelit cerebri uentriculos spiritu animali plenos esse, quo ratiocinatrix anima utitur ad sensus perficiendos

ac uoluntarios motus, quòd si in ipsis talis contineatur anima
lis spiritus, pro prædicto usu, continuèq; eius portio aliqua
dissipetur, quæ regenerari desideret, (qua ratione (ut dixi
mus) alimentum ei suppeditatur, & per inspirationem &
per plexum reticularem) quo pacto loca esse possunt princi
pium facultatum, dissipato ac denuo genito assiduè alio &
alio animali spiritu, cùm nec species sigillari, nec memorari
possunt, nec super eas ratiocinari anima ualeat propter con-
tinuum eorum motum. Adde quòd nec idem spiritus à Gal.
ponitur instrumentum animæ pro his principibus facultati-
bus obeundis, sed pro sensu & motu perficiendo, ut liquet
quouis loco, quo de his uerba facit. nec ualet si dixerit qui-
spiam circa hos spiritus animalis in prædictis sinibus, præ-
dictas functiones perfici, cùm perpetuo his spiritibus pleni
sunt, neq; anima ipsa quicquam operatur citra animalem
spiritum, quam primum eius instrumentum semper Gale.
appellat, & hac ratione animalis dicitur, ut patet. 4. de lo.
aff. & .7. de Hip. & Plat. decre. non ergo perficiuntur in
cerebri sinibus principes animæ facultates, at si quispiam
uelit non in eorum cauitate, sed corpore seu substantia eas
perfici, quid aliud quæso erit dicere, quàm quòd perfician-
tur in cerebri corpore, cùm uentriculorum substantia alia
non sit & diuersa à reliquo cerebri corpore: nec maior ra-
tio erit de hac quàm de tota reliqua cerebri substantia, id
quod probare intendimus. Amplius, si animalis spiri
tus propterea talis dicitur (ut Gal. uisum est. 7. de Hip. &
Plat. decr.) quia primum est animæ instrumentum, cùm nõ
tantum is in cerebri uentriculis contineatur, uerùm & in to
to eius corpore Gal: teste. 8. de usu part. superfluus hic esset

ſi principes facultates in cerebri ſinibus perficerẽtur, nam eo uteretur anima, uelut in alijs ſenſibilibus & motricibus functionibus utitur. Verùm cùm ipſum fruſtrà in cerebri corpore contineri erroneum ſit aſſerere, decens erit fateri quòd eo prò obeundis principibus operationibus utatur anima, & ſic non in cerebri uentriculis ſed in ipſius corpore eas perficit, animaliq; ſpiritu in eo contento utitur pro primo inſtrumento, uelut in externis functionibus utitur eo qui in uentriculis eſt & reperitur: Cùm non alia ratione hic animalis dicatur, quàm is qui in uentriculis eſt, nec aliũ poſſit præſtare uſum ipſi cerebro. Nam pro alimento innati ſpiritus eius abundans eſt quæ per uenas ſubſtantia ad ipſum diſtribuitur, & inſpirationis uſus, uelut pro eius ſymmetria ſeruanda, ea quæ per arterias ſuppeditatur. Adhuc 8. de uſu part. Gal. aduerſus Eraſiſtratum, qui propter uariam cerebri compoſitionem ac magis perplexam uolebat homines cætera animantia mente & ratiocinatione ſuperare, dixit eum non rectè ſentire, nam & aſini habent cerebrum admodum perplexum, quos oportebat ſimplex omnino ac ſine ullo plexu & uarietate habere, ſi uerum eſſet quod Eraſiſtratus aſſerebat. Et exinde aduerſus eum concludẽs ait, quòd melius fuiſſet exiſtimare intellectum ſequi non compoſitionis uarietatem, ſed corporis quod cogitat atq; intelligit (quodcunq; id ſit) bonam temperiem, neq; enim bonitas ac perfectio intellectus multitudini ſpiritus animalis potius uidetur attribuenda, quàm qualitati. Ex bona ergo temperie corporis quod cogitat atq; intelligit, ac ſpiritus animalis qualitate optima ſequitur intellectus & bonitas, & eius perfectio. quare & in corpore cerebri perfici et intel-

lectum & ratiocinationem, ac medio animali spiritu qui in eo continetur. His uerbis concludit Galen. de hoc animali spiritu qui in toto cerebri corpore continetur, cum Erasistrato uerba faciens. Sed quid clarius quàm quod ipsemet Gal. testatur. 3. de lo. aff. asserens, sanè cùm ea quæ per dissectiones apparere solent accuratè consideraremus, rationi consonum uidebatur, animam in cerebri corpore sedem obtinere, atq; in ipso & rationis uim, & sensibilium imaginum memoriam residere, ac primum instrumentum ipsius, cum in sensibilibus actionibus omnibus, tum in his quæ à consilio & uoluntate prodeunt, spiritum esse, qui in ipsius uentriculis maximèq; postremò continetur: in quibus uerbis sole clarius patet, principes animæ facultates, ac earum functiones Galenum uelle in cerebri corpore residere, & perfici, & non in uentriculis. Et hoc non sine ualida ratione cū & ipsa anima rationalis, ut eidem Gal. placuit, in prædicto cerebri corpore collocetur, ac sedem obtineat, cuiuscunq; ea fuerit substantiæ: uentriculi uerò ipsi fabricati sunt pro gignendo ac continendo eo animali spiritu, quo tanq; instrumento ipsa anima utitur ad obeundas reliquas eius functiones, sensibiles uidelicet & motrices uoluntarias. Vt uerò quilibet hanc Gale. sententiam percipiat, eiusdem uerba prout in codice græco iacent inspiciat, nam nos breuitati indulgentes hic ea trāscribere recusauimus. Idipsum confirmauit 4. de lo. aff. dicens quòd si aliquando tota anterior cerebri pars afficiatur, necessum est. & quæ existunt circa supremum ipsius uentrem compati, lædi autem discursiuas ipsarum actiones. quibus uerbis ostendit Gal. (si quis ea sano modo intelligere uelit) quòd affecto toto cerebro, anteriori

uidelicet & postrema eius parte: necessum est quòd discursiuæ eius operationes lædantur: cùm iuxta eius sententiam in ipsius corpore residean: quare & eo affecto & eas affici necessarium erit, prout ipse in prædictis uerbis concludit. Nec quispiam decipiatur, quòd per hæc uerba uoluerit Gal. prædictas functiones principes perfici in supremo cerebri uentre, cùm non propterea dixerit lædi discursiuas operationes, quia supremus uenter afficiatur, uerùm quia cùm læsa est tota anterior cerebri pars, & reliqua posterior consentit, cerebrumq; ipsum propterea totum affectum, necessum est discursiuas quoq; functiones lædi: hæ enim partes quæ sunt circa supremum uentrem, posteriores sunt cerebri partes. Nec idem Gal. asseruit quòd necessum sit lædi supremum uentrem, propter quod quispiam fortè coniectari potuisset, eo loco prædictas functiones principes perfici. Verum dixit necessum esse ea quæ sunt circa supremum ipsius uentrē compati: ea autem posteriores cerebri partes sunt, in quibus supremus uenter fabricatus est, ut cuiq; in Anatome experto patere potest. At ut quilibet percipiat hanc esse Gal. mentem, græcum codicem perlegat, nam nos ut breues simus eadem græca uerba hic transferre noluimus. Libro quoq; artis medicinalis, cùm de cerebri signis uerba facit, loquens de his quæ ex principibus sumuntur operationibus, retulit uirtutem & uitium earum esse seorsum inditia tantummodò ipsius principij. s. cerebri, cùm à solo ipso principio proueniant. & addidit. Promptitudo intellectus seu ingenium quidem igitur subtilem cerebri substantiam indicat, tarditas uerò ītellectus crassam. Discendi uerò facilitas formarum facilè susceptiuam, memoria autem stabilem ac fir

mam, ſicut & diſcendi difficultas formarum non facilè ſu ſceptiuam, & obliuio fluidam. Ex quibus Gal. uerbis duo ad eius ſententiam excipere licet. Primum, quòd cùm prin- cipes operationes, earumq; uirtutes & uitia tantummodo in dicent ſupra ipſum cerebrum, eius uidelicet indicantes ſubti lem uel craſſam ſubſtantiam, mollem uel duram, cùm à ſo- lo ipſo principio proueniat, in ipſo quoq; ac ipſius corpore exerceri, non autem in eius ſinibus, uelimus nolimus annue re opus eſt, cùm ſupra ſubſtantiam ac temperamentum ar- guant corporis totius, & non uentriculorum cerebri, prout eius uerba ſonant. Secũdum quòd, ſi ueritatem eius dicta ha bere debeant, cogimur fateri, neq; in diuerſis ſinibus eas per fici poſſe: & ſi in eis quiſpiam aſſentiat fieri. Nam ſi di- ſcendi facilitas indicat ſubſtantiam cerebri facilè formarũ ſuſceptiuam, & per conſequens ſubtilem: memoria uerò eius ſubſtantiam craſſam, & propterea ſtabilem & fir- mam: uelut tarditas quoq; intellectus iterum craſſam indicat cerebri ſubſtantiam, neceſſariò ſequitur ad eius dicta quòd qui facilè diſcunt difficulter memorantur, & qui difficul- ter diſcunt promptè memorantur, prout etiam Ariſto. uiſum eſt libro de memoria & remi. quanquàm uelit ipſe has fa- cultates manifeſtari tantum in cerebro, initium autem ha- bere à corde; uelut de reliquis quoque ſentit animalibus fun ctionibus. at hoc ueritatem nequaquàm habere poſſet, ni ſup ponerent ambo in eodem loco ac ſede, hoc eſt in cerebri cor- pore, uel in uno eodemq; uentriculo, prædictas principes fa- cultates perfici. Nam pone in diuerſis perfici uentriculis, ut potè in anterioribus imaginationem, ut iſti uolunt, in medio [illegible]itationem, in poſtremo memoriam, nonnè ſimul compati

possent facilis disciplina & stabilis memoria, cùm in anterioribus uentriculis subtilitas & mollities, in postremo crassities & duritia, seruari posset: pariter & instabilis memoria cum discendi difficultate, oppositam s. seruantibus praedictis uentriculis temperaturam ac substantiam: nullus inquam hoc formidaret ut uerum ac possibile admittere. Reliquum est ergo (ut ueritas uerborum Gal. & Arist. seruetur) principes animae functiones in cerebri corpore perfici, aut saltim si qui uelint quòd in eius uentriculis fiant (& si falsum sit) uitare non possunt quòd in uno tantum omnes & non in diuersis perfici debeant, alias falsa omnino Arist. et Gal. assererent ut ostendimus. Quin etiam libro. 2. de motu muscul. idem Gal. inuestigans causam cur plerasque actionum uoluntariarum mente nō assequamur, asserit quòd si insignes impressiones rerum in imaginationibus suscipiat anima eas perpetuò conseruat: sin obscuras & superficiarias pœnitus, non conseruat: atq; illud est memoria tenere, alterum uerò obliuisci, & demum concludens causam, dixit eam esse: quia non intenti actionibus tota mente fueramus, & propterea earum non recordamur, nam quod phantasiatur animae quodcunq; utiq; sit, hoc idem & memorari uidetur. At si quod phantasiatur animae hoc idem memoratur, nec de ulla re praeterita qualis naturae sit considerare possumus nĩ eius meminerimus, & illud nequaquàm fieri liceat, nisi prius conseruetur, quis noua dogmata introducens, uelit fateri has functiones in diuersis partibus ac sinibus perfici, cùm eiusdem animae sint munera, immò illud idem ipsius quod phantasiatur etiam & memoretur? cur, unum uelit in anterioribus uentriculis ipsam, alterum in postremo exerce=

re, quæ tradenda est diuersitatis locorum causa? nulla inquã quæ alicuius momenti sit. non ergo perficiuntur prædictæ functiones in diuersis cerebri uentriculis. Vlterius, nec in ipsis anterioribus uentriculis imaginatio fieri potest, cùm dictum sit eos ad Gal. mentem inspirationem efflationemq; ex cerebro efficere, ac animalem spiritum conficere, et præparare: quomodo phantasmata in eis excipi ac seruari ualent, si perpetuò inspirationem & expirationem operentur, ac non dum confectum spiritum animalem suscipientes conficiunt ac præparant. Si per eos quoq; notatu digna excrementa ex cerebro suscepta ad nares expurgantur, ac suis infernis partibus, quæ ad nares spectant, olfactorium sint instrumentum, ignoro quo pacto quispiam sibi persuadere ualeat, & qua ratione audeat illud Gal. adscribere, qui cùm tot horum sinuum conscripsisset usus in plerisq; locis, & præsertim. 8. de usu part. nec per somnium talis usus meminisse hucusq; compertum est. Satius deniq; erit dicere, cùm eum usum eis Gal. non tribuat, ipso carere, quàm temerè asserere, & de insufficientia Gal. damnare, aut quod nunquã ipse somniauit ei falsò adscribere, & si libro de oculis illud scriptum reperiatur, quisnam ignorat, eum eiusdem auctoris non esse, sed falsò ei adscriptum, cùm nec phrasim sapiat Galenicam: ut cuiq; patere potest ex eiusdem commentariorum lectione, & quædam reperiantur quæ eius doctrinæ sunt aduersa, & præsertim ea quæ de prædictis functionibus ac cerebri uentriculis ibi conscripta sunt. At quòd nec in postremo uentre adsit memoria ac perficiatur, eiusdem uentriculi situs demonstrat, cùm in cerebello & non in cerebro collocetur, cumq; ani-

ma in cerebro & non in cerebello habitet iuxta Gal. men-
tem, tunc non ex se ipso cerebrum hanc functionem perfice-
ret, sed medio aliquo, cerebello uidelicet & eius sinu, qua-
de re memoria princeps functio dici non posset, cùm non à
solo principio proueniret, cerebro uidelicet, sed ex eo medio
cerebello ac eius uentriculo, aut ex cerebello duntaxat tan-
quàm principio, quorum utrunq; & falsum est, & Galeno
pugnat, accedit ad hæc. quòd idem Gal. libro artis medici-
nalis ex his principibus functionibus non supra cerebelli sed
cerebri temperamentum uoluit arguere, ut ex intellectu eo-
rum uerborum cuiq; patere potest. Vnde frustra de memo-
ria disseruisset, ex ea sumens inditia pro cerebri tempera-
mento, tanquàm eiusdem facultate principi, si in postremo
perficeretur sinu. Adde quòd cùm hic sinus in parencephali
de situs, spinalis medullæ sit principium, receptaculum'q;
animalis spiritus, prius in anterioribus elaborati, quo anima
ipsa pro sensibus & uoluntarijs motibus obeundis utitur (ut
priùs dictum est) memoria in eo perfici nequit, utpotè sem-
per prædicto animali spiritu pro motu & sensu consump-
to, & recenter alio genito, nec quispiam alius usus, præter
iam dictos postremi uentriculi, à Gal. unquàm scriptus est.
quare nullo modo ad eius sententiam dicendum erit, ipsum
esse memoriæ sedem, nec cuiusuis alterius principis faculta-
tis, & siquis hoc asserere audeat, iterum aut de insufficien-
tia Galen. accusabit, uel temerè ei id, quod nunquàm fassus
est, adscribet. Quòd autem in medio uentriculo, seu
meatu, cogitationis aut intellectus munus obire anima nequa-
quàm ualeat, facilè erit intelligere si eius usus animaduer-
tantur, est nanq; uia seu meatus, per quem spiritus in ante-

rioribus uentriculis confectus in postremum transmittitur, et quia cerebellum à cerebro media crassæ meningis duplicatione erat diremptum (ut diximus) necessumq; erat ea connecti, cerebrum quoq; is meatus parencephalidi connectit, transitus ergo, uia, seu meatus est hic sinus animalis spiritus quo assiduè pro sensu & motu perficiendo anima ceu instrumento utitur, quare cogitatio, discursus, seu intellectus in eo nequaquàm perfici potest propter continuum motum prædicti animalis spiritus, ac eius assiduam recentemq; renouationem & instaurationem, quòd si talem præstaret usũ cùm alios huius uentriculi usus Gal. conscripsisset. 8. de usu part. 3. de lo. aff. & . 7. de Hip. & Plat. decre. ac alijs plerisq; locis, cur talem perpetuò subticuit, & si sæpius de cogitatione & intellectu uerba fecerit, cogeris uelis nolis fateri, aut insufficientem fuisse, aut usum hunc non nouisse, uel, quod rectius est, talis sententiæ nequaquàm fuisse. Ex his constat quàm parum Gal. doctrinam gustarint, qui eius decreto, ac ipsum in patronum sibi ipsis adhibentes, ausi sunt asserere principes animæ facultates in cerebri sinibus perfici, earumq; munus animam in diuersis uentriculis obire, utpotè in anterioribus imaginationem, in medio cogitationem seu intellectum, & in postremo memoriam, sedibus atq; instrumentis ipsas seiungentes, simulq; liquet nostra opinio & ueritas, cùm satis admodum ostensum, ac probatum sit, iuxta eius sententiam, nec in sinibus, nec eisdem diuersis eas perfici posse, sed in ipsomet cerebri corpore, in quo & ipsa residet anima, cuiuscunq; substantiæ fuerit ad mentẽ eiusdem Gal. siue incorporea quædam res sit, & in eo uelut in domicilio seu arce resideat, siue corporea: & si corpo-

rea, siue sit ipsius cerebri insita caliditas, aut insitus spiritus, aut tota eius constitutio, quodcunq; deniq; sit anima, ipsa in ipso cerebri collocanda corpore est in Gale. doctrina (ut sexcentis in locis scriptum reliquit) in ipsóquè eodem cerebri corpore has functiones operari liquet. 3. de lo. aff. Valeant ergo qui has functiones secundùm diuersas sedes seiunxerunt, opinantes hanc fuisse Galen. sententiam, Valeat insuper Auer. qui in suo colliget, & libro de memo. & remi: hoc idem sentit, potissimùm si illud ad mentem Aristot. uel Gal. fateatur, nam neq; ipse Arist. secundùm diuersas cerebri sedes eas perfici, seu manifestari, ullo in loco assere re ausus est: quinimmò eodem libro de memo. & remi. oppositum sentire constat, uelut suprà ostendimus: Non ergo perficiuntur facultates principes in cerebri sinibus, eisq; diuersis, sed in ipsomet ipsius corpore, in quo & ratiocinatrix anima residet iuxta Gal. sententiam, ut abundantissimè probatum est: At si qua constituēda esset determinata ipsius cerebri pars, in qua prædictæ omnes functiones perficerentur, ut quibusdam uisum est, autumantes se Galenum in patronum habere, & si (mea quidē sententia) nulla forti ratione freti, aut auctoritate, illud sibi ipsis persuaserunt, erit tamen ea unus uentriculus, & non diuersi, ī quo omnes perficerentur, at propter assignatas à me causas nec posterior, nec anteriores esse potuerunt, probabilius propterea uideretur esse medius, utpotè qui minores habeat causas prohibendi ne in eo perficiantur. Ex diuersa insuper eius constructione ac uaria illud quoq; coniectari posset, cùm & corpus psalloidis, conarion, uermiformis epiphysis; & duo glutia circa ipsum appareant: Idq; denuò foueri posset ex uerbis

Galen.qui.3.de Hip.& Plato.decre:&.3.de lo.aff. hunc uētriculum principalissimum appellauit: Adhuc persuaderi id quoq; posset ex his quæ à Gale.habentur .4. de lo.aff. cùm dixit, quòd si aliquando tota anterior cerebri pars afficiatur, ea quæ sunt circa supremum ipsius ventrem ei consentire necesse est, atq; discursiuas quoq; actiones uitiari: quo loco per supremum cerebri uentrem medium uentriculum intellexit, ad cuius læsionem uidetur istis qui hæc asserunt, quòd discursiuæ cerebri operationes lædantur, quare quòd in ipso perficiantur non erit omninò absonum credere: at nos quo pacto hæc Gale. sententia intelligenda sit, suprà ostendimus. Vlterius persuaderi hoc idem posset ex his quæ Gal. asserit eodem. 4. de lo aff. cùm de sopore uerba facit, qui priuatio est sensus & motus spirandi facultate manente illæsa, dixit enim cum quandoq; prouenire posse cùm quis inter perforandum membranam negligenter ac ultrà quàm res postulat meningo philace.i.meningis custode premendo uiolauerit, ita ut os caluariæ uehementer attritum cerebri uentriculos comprimat, maximèq; medium. Ex quibus uerbis iterum patet medium uentriculum esse principalissimum inter cerebri uentriculos, hoc autem esse quia in eo principes perficiantur operationes, alienum à ratione nō erit credere. Hæc itaq; opinio & si (ut retuli) nō sit ad Gal. mentem, ut ipse sentio, probabilior tamen esse uidetur, quàm ea, quæ uult animam prædictas functiones in diuersis cerebri finibus obire, hæc nanq; pœnitùs absona ac aliena à Galeni doctrina est, ut supra probauimus, & tanquam erronea & omninò falsa abijcienda erit. quā opinionē cur quidā fortè ad Gal. mentem tanquàm ueram sibi per-

suaserint, post pauca declarabimus, ea autem, quam nos pro uera ac firma statuimus, iuxta Gal. decreta habenda erit: huic nanq; eius dicta uidentur esse consona, ut ex ueris, ac lucidissimis assumptionibus & auctoritatibus locupletiùs supra demonstratum est: Huius autem dissidiæ in Gal. dictis causa, quòd uidelicet in corpore cerebri, aut in medio uentriculo principes perficiantur operationes nulla alia esse poterit quàm quòd nullibi in eius cõmentarijs reperiatur liquidò suam explanasse sententiam, fortè quia non satis illud perceptum ac cogitatum ei fuerat, nec linealibus demonstrationibus confirmare potuisset, quare sine ulla demonstratione illud confirmare indecens erat, ac philosophi grauitate auctoritateq; indignum: ut enim de ipsius animæ ratiocinatricis substantia ubiq; locorum ueritus est firmam proferre sententiam, pari ratione de eius principibus facultatibus, cũ si incorporea ea sit, ac in cerebro uelut in arce resideat, eas functiones alio modo operari fortè censendum esset, quàm si insitus calor uel spiritus, aut tota ipsius cerebri constitutio uel temperamentũ sit. Qua de re indubitanter asserere audeo quòd si anima incorporea quædam substantia sit, ac in ipso cerebri corpore ueluti in domicilio habitet ad Gal. sententiam, in ipso quoq; cerebri corpore, ut diximus, eam principes operationes operari: & cum incorporea res quædam sit, pro præcipuo organo ad eas obeundas, quia circa phantasmata operatur, quæ dependentiam quandam cum materia habent, eo utitur animali spiritu, qui in cerebri corpore dictus est contineri per ipsum principes facultates cerebri corpori dispensans, ueluti eo qui in uentriculis continetur utitur (ut supra retulimus) pro sensibus et uoluntarijs motibus

perficien

perficiendis in proprijs eorum instrumentis, ad quæ facultatem transmittit: Consonum nanq; est hunc spiritum animalem, qui in cerebri corpore continetur, otiosum non esse, ac non alia ratione animalem dici, quàm quòd eius sit primum instrumentum, uelut millies declarauit Gal. nec insuper animam eo uti oportet pro externis operationibus, cùm abundans is sit, qui in uentriculis habetur, ad perficiẽda hæc munera destinatus, aptius siquidem existens instrumentum, ac promptius pro ipsis obeundis quàm is qui in cerebri corpore existit: Reliquum ergo est, ꝙ pro obeundis principibus functionibus anima hoc utatur spiritu animali, qui in cerebri corpore continetur, uelut primo eius instrumento, si incorporea ea sit, ipsaq; functiones in eodem cerebri corpore perficiat, quo loco habitat: at si corporea quædam res ipsa existat, & hæc aut insita caliditas, uel spiritus cerebri, aut tota ipsius constitutionis species seu temperamentum ex seipso has facultates habens, in semetipso quoq; prædictas functiões principes operari censendum est, cùm nulli alteri parti eas initiet, atq; committat (ut priùs diximus) & ita pro obeundis ipsis nullo indiget animali spiritu, nec etiam eo, qui in ipsomet corpore cerebri continetur: suscipit nanq; phantasmata in seipso, quæ & memoratur in eomet, & super ea discurrit absq; alio animalis spiritus auxilio, cùm eo non indigeat pro facultatis uehiculo uelut indiget in reliquis functionibus externis, habet nanq; eas in semetipso, in propria eius constitutione seu temperamento, & propterea ex se operari potens est, prout operatur, citra alicuius animalis spiritus subsidium. At mox instaret quispiam, spiritum asserens animalem in cerebri corpore consistentem otiosum fore necessa-

rio si eo anima non indigeat pro obeundis principibus functionibus. Cui responsum sit, non propterea superuacaneum ac otiosum esse quia pro perficiendis prædictis functionibus principibus nullam fert opem, si anima corporea quædam substantia sit, nam eo utetur anima pro sensibus perficiendis cùm longo tempore aut uehementer ipsos in proprijs instrumentis operatur, & eo qui in cerebello uitur in diutinis ac uehementissimis motibus uoluntarijs: quod quidem olfecisse uidetur Gal. 8. de usu part. cùm aduersus Erasistratũ de uaria cerebri cõstructione ac perplexu uerba fecit: Quare licet eo spiritu animali qui in uentriculis residet, pro obeundis prædictis externis functionibus tanquàm primo instrumento utatur anima (ut ubiq; locorum testatus est Gal.) non tamen propterea indecens erit quòd in huius defectu, cùm s. uehementer ipsa sensum & motum uoluntarium operatur, ad eorum instrumenta facultatem transmittẽs, quòd hoc quoq; animali spiritu, qui in cerebri corpore est, tanquàm instrumento utatur: Illud quod nec unquàm uisus est Gal negasse, mediaq; illa interualla, quæ partes tum cerebri tum cerebelli connectunt, eiusdem spiritus esse uias, ut idem Ga. testatur. 8. de usu part. Nec ĩ super hoc quicquã pugnat his quæ suprà diximus de huius spiritus usu, cùm, si incorporea sit anima, eo præcipuè tanquàm primo instrumento ad exercendas principes iam dictas functiones in cerebri corpore utatur: interimq; eo pro externis operationibus perficiendis abutitur, licet eo primò qui in cerebri uentriculis continetur, pro instrumẽto utatur, ut priùs diximus: at si anima res quædam corporea sit, & eo non indigeat pro obeundis principibus functionibus, cùm cerebrum in seipso has habeat facul-

tates, ac in semet eas perficiat, reliquũ est ut hoc spiritu ani-mali, qui in eo residet, pro reliquis eius operationibus exter-nis exercendis utatur, nam propterea animalis dicitur, quia animæ instrumentum existit, & quàmuis eo primò utatur, qui in cerebri uentriculis continetur, pro uehiculo facultatũ ad externa organa sensus et motus (ut Gal uisum est) quia tamen sæpenumero euenit, ut hic in uehementioribus ac diu tinis sensibilibus & motricibus operationibus consumetur, ac ei paruum nutrimentum ex inspiratione & plexu reticu lari suppeditetur, ea de re tunc hoc qui in eius corpore est, pro eodem usu uti alienum à ratione non est. Hic ergo tribu endus erit usus huic animali spiritui, qui in cerebri corpore continetur, tàm si incorporea, quàm si corporea quædam res sit anima iuxta Galen. doctrinam, quæ principes operatio-nes cuiuscunq; fuerit naturæ seu substantiæ in cerebri cor-pore (ut relatum est) operatur, quod satis rationibus, & au-ctoritatibus, tanquàm uerum, ac Gal. decretis consonum. abũ dantissimè fulcitum est: si qua tamen coniectari seu consti-tui possit ipsius cerebri pars, in qua eas perficiat, illa quòd medius sit uentriculus, opinari non satis præter rationem ē Galeni placita supponentibus nobis de anima nostra: quan-quàm de ea perpetuò quòd de foris corpore organizato ad ueniat, quòdq; ei delegata à Deo benedicto immortalis & incorruptibilis creata sit & credam, & firmiter teneam.

Persuaserunt uerò sibi quàmplurimi (ut dictum est) ex Galeni sententia, has principes facultates secretas ac lo-cis sedibusq; seiunctas esse, decepti quidem ex his, quæ de earum operationum læsione asserit, cùm etenim au-dissent phantasiam alias lædi posse salua ac constante

ratione & memoria, aliàs uerò aut rationem, aut memoriã cõturbari, reliquis duabus illæsis atq; ualentibus, statim concluserunt isthæc prouenire non posse, nisi quæ effectrices earũ sunt facultates locis ac sedibus disiungerentur: Quòd uerò una earum lædi possit altera illæsa permanente, phrenitidis exemplo. 4. de lo. aff. idem Gal. confirmauit, cuius duas conscripsit species, seu simplices differentias, ex quibus deinceps tertia componitur, ut ipse asserit: in quarum una imaginatio tantùm deprauatur, ut non modò in alijs uerùm in seipso expertum fuisse testatur, cùm nanq; æstate febre ardente laboraret, putaretq; festucas atri coloris ex cubili eminere, & floccos similiter in uestibus esse, eos auferre dùm properaret nihil sub digitis eductum inueniens, accuratiùs rursus uehementiùsq; id efficere conabatur, cumq; amicos audijsset, qui secum aderant, dicentes eũ floccos euellere & festucas colligere, illæsa in eo manente adhuc ratiocinandi facultate, respondit eos rectè dicere, proinde ut ei auxilium ferrent rogauit ne phrenitis ipsum arriperet, adhibitisquè auxilijs curatus fuit: In altera uerò phrenitidis differentia accidit quòd cogitatio seu rationalis discursus à naturali iudicio aberret, ueluti Romæ cuidã, qui cum lanifico puero continebatur, euenisse scriptum est, hic intus ianuis obseratis à cubili surgens ad fenestram accessit per quam et ipse uideri, & prætereuntes uidere poterat, ex uitreis itaq; uasis singula ostendens, interrogauit, imperarent ne ut ea proijceret, illi uerò ridentes annuebant, tum ipse deinceps proiecit omnia, cunq; interrogaret iterum ne puerum proijci iuberent, eo q; illi iusso & illũmet proiecit, huic nec imaginãdi functio erat oblæsa cùm singula uasa proprijs nomẽ-

claturis probè nominauerit, neq; nominum memoria erat de leta, tantùm ergo cogitandi functio erat deprauata. Quòd autem ex his duabus differentijs tertia componi possit, licet exemplo non comprobauerit, eo tamen loco asseruit Gal. confirmauitq; libro de differentijs sympt. cùm dixit. accidit plerumq; ut delirium ambas actiones obturbet, ut neque benè procedat imaginatio, neque debita fiat ratiocinatio. Interdũ una duntaxat læditur, ueluti Theophilo medico ægrotanti euenit, cui imaginatio tantùm oblæsa fuit, ac illi, cuius historiam suprà narrauimus de lanifico. s. puero, iterùm ibi facta mentione, cogitationem seu discursum duntaxat aberrasse asseruit. Cæterum ꝙ memorandi facultati idem quoquè accidere possit Thucididis testimonio eodem loco confirmauit, qui nonnullos è pestilentia seruatos, adeò omnium qui antea nouerant fuisse oblitos commemorat, ut non solùm suos familiares non agnoscerent, sed ne seipsos quidẽ. Ex his deniq; omnibus sibi ipsis fortè persuaserunt quidã ex Gal. sententia in diuersis sedibus atq; locis prædictas functiones principes ab ipsa anima exerceri, cùm una lædi altera illæsa permanente fieri haudquaquàm posset, si in uno duntaxat loco cerebri perficerentur. Verùm cùm nos aliter sentiamus, rationes quoq; assignare conabimur quomodo & si prædictæ functiones in una eademq; sede perficiantur (uelut suprà probauimus) possit interdum una lædi, quæ uis earum sit, alijs permanentibus illæsis, in ducem tamen atq; patronum Galenum perpetuò adhibentes. Pro huius ergo dilucidatione illud pro comperto in eiusdem Gal. doctrina habẽdum erit, quòd siue corporea res quædam, siue incorporea sit ratiocinatrix anima, eius functiones principes cùm in ce

rebro ab eadem exerceantur ex quauis eiusdem cerebri intemperie lædi possunt, siue ea per essentiam sit, siue per cõsensum. quinimmò non tantùm ex eiusdem intemperie, uerùm ex quouis alio uitio in prædicto cerebro exorto. Et ut summatim dicam, à quibusuis fere malis ipsius cerebri. Hoc non tantùm percipi potest ex his, quæ Gal. dixit lib. de diffe. Sympto. de phrenitide, & .4. de lo. aff. ut supra annotauimus, per ea quæ asserit de sopore: uerùmetiam libro, 2. de cau. Sympt. circa finem, & lib. quòd animi mores corporis sequantur temperaturam prolixo sermone illud comprobauit, cùm dixit, Porrò à corporis malis uim animæ afferri, luce clarius in melancholijs & phrenitidibus & furoribus apparet. Nãq; ui morbi neq; seipsos neq; necessarios agnoscere: quod Thucidides quoque pluribus usu uenisse ait, & in morbo pestilente non multos iã annos desæuiente, quã uel ipsi uidimus, proinde esse uidebitur. atque ob oculorum sordes seu suffusionem, facultate ipsa uidendi nequaquàm perpexa, non cernere, ac pro uno tria uidere: ipsius uisoriæ facultatis non mediocris affectus est, id quòd phrenitidi est similis. Quod quidem Hippocratis. Plato. & Aristo. autoritatibus confirmare non piguit: ueluti per otium quilibet uidere poterit, Hippocratem uidelicet lib. de aere. regio. & aquis, & in aphorismis quàmplurimis. Platonem uerò in Timeo præsertim, ac in alijs eius libris. Aristo. lib. de parti. anima. ac de eorundem historia. & si Aristo. in sanis tantùm corporibus fortè loquatur. Hippocratis tamen atque Platonis dicta tàm in sanis quàm ægris ueritatem habent, ut ex eorum decretis quiuis percipere poterit. Immutantur denique animæ functiones à cerebri uitijs præsertim principes,

ac quouis modo non tantùm uitiantur, uerùm si eius uitia supra modum augeantur, ualent ipsam si incorporea res sit à corpore seiungere, & tandem dirimere. Si uerò quoddam cerebri temperamentum sit quæ ratiocinatur anima, cùm eius facultates ex eiusdem cerebri essentia seu substantia consequantur, oblæso ipsius temperamento, necessariò principes uitientur functiones oportet. & si criminum affectio creuerit destrui omninò temperamentum est necesse, deleri facultates, & interitum sequi: ut idem Galen. prealleg. lib. quòd animi mores corporis sequantur temperaturas, decretum reliquit. At quid in hoc testes adhibere Hippo. Plato. Aristo. ac Galen. opus est, cùm id quotidie obseruare experientia liceat: conspicimus enim quolibet ferè die à diuersis corporum malis, diuersas quoque noxas, diuersimodèq; principes animæ functiones lædi, ipso præsertim cerebro quomodolibet affecto: interdum una, sæpenumero duabus & quandoque cunctis oblæsis. & si quidam eruditi uiri aliter sentire uideantur. Nã & imaginationem & memoriam lædi posse affirmant, nondùm ratione deturbata: uerùm quòd ratio lædi possit seu ratiocinatio, constante cùm memoria, tum imaginatione, nequaquàm consentiunt. Cùm neque argumentatio ulla, ut ipsi fatentur, neque euentus ullus, nec ulla prorsus experientia illud commostret. Quomodo nanque fieri poterit (inquiunt) ut mens ratiocinando labatur atque uacillet, nisi comentitia quædam illusio ab imaginibus irrepat, quæ illam obturbet? quòd si afferatur phreniticus fictilia uasa ab alto detrudens, dicũt, quòd hic si læsa mente malè ratiocinabatur, necesse simul erat eundem perperam phantasia cõprehendere. Nã quo ordine quaue connexione in ueram

rerum cognitionem, similiter etiam in turbulentos errores, falsamq; opinionem inducimur atque rapimur si qua horũ efficiẽs causa non præcesserit? non igitur fieri potest (ut isti inquiunt) quòd ratiocinatio seu mens offendatur, quin priùs comunis sensus, qui omnium interiorum primus ac intimus est, seu phantasia, turbetur seu lædatur. At qui cur in hanc ipsi sententiam proruperint, non parùm miror, cùm eius oppositum & ratio & auctoritas & experientia commonstret. Ratio quidem, nam licet hæ operationes quendã inter seipsas ordinem obtineant, utpote qui ratiocinari non ualeamus ni imaginatiuæ opus præcedit: discurrit nanq; mens seu intellectus super ea quæ in phantasia seruata sunt phãtasmata, tam si ualeat quàm si non, interdum tamen discursus oblædi potest in sua propria essentia, cùm actio & facultas sit separata atq; seiuncta à communi sensu & phantasia, nulla suscepta offensa ab ipsius imaginatiuæ oblæsione, nec à falsis imaginibus illusa seu decepta: Nam quid quæso obest, quòd imaginatio rectè procedat in apprehendẽdis simplicibus, ipsa uerò mens seu intellectus diminutè seu deprauatè, aut nequaquàm circa ea operetur eius propria facultate læsa, & non à fictis simulacris seu imaginibus illusa, uelut accidit cùm primò imaginatio læditur & ei discursus consentit, dependet enim mentis operatio à phantasia, eò uidelicet, quòd ratiocinari nequit, nisi super ea quæ in imaginatiua detinentur phantasmata discurrat, at quòd benè uel malè illum perficiat discursum ex seipsa habuit primò, nã cùm ualet, benè: cùm uerò malè afficitur, nõ rectè ratiocinatur interdum per se, sæpenumero uerò secundario oblæsa, nulla prorsus offensione suscepta à comuni sensu seu phan

tasia, cùm facultas & actio sit (ut diximus) separata omni no, ac seiũcta ab ipsa imaginatiua. Nec propterea quòd omnium interiorum sensuum primus & infimus sit comunis sensus, perpetuò is priùs debet turbari ac offendi, quàm mẽs & discursus: nã quàmuis in uera rerum cognitione, cùm hæ facultates ualent ac naturaliter operantur, is seruetur ordo ac connexio ut ratiocinari quicquam nequeat mẽs ni phãtasia priùs operetur, ac in seipsa phantasmata & simulacra detineat. in morbosis tamen affectibus perturbari potest hic ordo ac connexio solui, cùm ex offendentium causarum seu affectuum diuersitate, tum ex maiori uel minori prædictarum facultatum præparatione, ex quibus fit ut modò una modò altera, alias uerò cunctæ functiones lædantur, ut paulò post declarabimus. Testatur hoc idem Gal. in quàm plurimis locis, potissimũ 2º libro de diffe. Sym.ptō. quòd. s. ratiocinandi functio lædi possit imaginandi & memorandi facultatibus illæsis permanentibus. id quod phrenitici exemplo, qui obseratis ianuis singula uasa per fenestram protulit, comprobauit: at si uelint ꝙ huic quoq; imaginandi actio fuisset oblæsa: Gal. eodem loco oppositum sentit inquiens, illi phrenetico neque imaginandi functionem fuisse læsam, neque nominum memoriam deletam cùm singula uasa propriis nomenclaturis probè nominauerit. quibus uerbis & id quoq; destruitur quod ipsi asserunt, quòd uidelicet cùm quispiam malè ratiocinatur de eisdem, saltem opus est sensum cõmunem seu phantasiam non rectè fingere, licet de aliis rectè imaginari contigerit. nam Gal. prædicto loco dicebat, quòd prænarrato phrenitico circa illa quæ male ratiocinabatur, imaginandi functio non erat læsa, nec nominum memo-

ria deleta: quo fit ut circa eadem iuxta Gale. decreta contingat quempiam non rectè ratiocinari, memoria & imaginandi functione permanentibus illæsis. Ad hæc. 3. de lo. affect. cùm de memoria deperdita ac stultitia uerba facit, asserit, stultitiam esse intellectus seu discursus amisionem, & quòd interdum accidat ut uitiata ratione, memoria quoq; lædatur, uelut læsa memoria rationem quoq; interdum lædi contingit. Nam utraq; affectio ex frigida cerebri intemperie ortum habet. Quibus uerbis liquido ostendit Gal. rationem duntaxat posse interdum uitiari, quandoque simul cum memoria, imaginandi functionem nequaquàm oblæsa ut in stultitia, quàm etiam in numero affectuum cogitandi functionem lædentium libro de Sympto. differentijs commumerauit, & non imaginationem. Hanc eandem sententiam scripsit Aetius tetrablibijs sermone & cap. 2. tractans de phrenitide, dum dixit. Differentiæ autē phrenitidis plures sunt, sed tres principalissimæ, aut enim imaginatiua facultas solùm læsa est, seruatur autem ipsis ratiocinatiua & memoria: aut ratiocinatiua solùm læsa est, seruatur autem imaginatiua & memoria: aut etiam imaginatiua læsa est, seruatur autem memoria. Quid clarius quàm ratiocinatiuam solùm lædi posse in quibusdam phrenitibus, imaginatiua & memoria illæsis permanentibus? ut testatur Aetius: quod quidē etsi nulla ratio uel autoritas cōmostrasset, quotidiana experientia comprobat: Vidimus etenim nos non semel, uelut & alij quidam non uulgares medici frequenter obseruarunt, in ægris non paucis mentis læsionē, imaginatiua haudquaquā. Nec memoria affecta, nuperq; dum hæc conscriberem, ijs qui mecum aderant obseruari feci in quodā Fran

cisco Raimo nobili capuanæ: cui cū ratiocinatio omninò propter febrem deprauata esset, nulla in imaginatione offensa aderat, cùm simplicia cuncta rectè comprehenderet. Quòd si ratio, autoritas, ac experientia, non imaginatiuā duntaxat aut memoriā, uerùm & rationē seu discursum solū affici interdū posse cōmostrent: quoniā cunctæ hæ functiones iuxta Gal. sententiam in una eademq; sede perficiuntur, in ipso uidelicet cerebri corpore, ut probatum est: non ab re in dubium uenit, qua ratione id fieri queat, cùm sedibus non seiungantur. Cuius quidem cùm non facilè sit rationem tradere, non mirum si nonnulli non uulgares profectò, sed eruditi uiri, prædictas facultates ad Gal. mentem, locis sedibusq; seiungere ausi sunt, ut prius diximus. At nos ex eiusdē Gal. monimentis edocti conabimur huius rei causas assignare, quàmuis codē loco, eademq; sedē prædictæ functiones perficiantur in memoria rursus reuocantes Primò quòd ex cerebri uitijs (ut probauimus) eadē facultates lædi possunt interdum una, interdum altera quandoq; duæ uel omnes simul: cùm ab ipso solo principio proueniant in eiusq; proprio temperamento consistant uelut cunctæ aliæ functiones eius (et si non tantùm ab eo perficiantur) cuiuscunq; substantiæ fuerit anima, proinde nihil aliud esse facultatū essentiā seu substantiā, quā tēperamenti proprietatē, quæ quidē cuilibet parti propria ac peculiaris inuenitur, à Ga. scriptū reperitur lib. de multitu. & lib. 5. de lo. aff. quo fit ut si cōtingat, hanc peculiarē temperiē, à quauis causa, potissimū ex una octo intemperaturarū perturbari, ipsis quoq; uiribus noxā accidere necessariò oportet: magisq; peculiarem offensam uiribus excitari, prout illi debetur intemperantiæ, quemadmo-

dum Gal.5.de lo.aff.& .3.de ca.Sympto. docuit, proinde euenit ut quàmuis in unamet alicuius partis temperamenti proprietate plures sint facultates, ac eas strenuè exerceat ubi temperatissima fuerit, & malè fungatur ubi intemperata fuerit pars: & eatenus malè, quatenus intemperata fuerit, uelut patet primo de præsagitione ex pulsibus. Videre tamen liceat non omnes illico offendi, cùm intemperata pars efficitur: uerùm sæpe unam, interdum aliam, quandoq; plures lædi conspicimus, quemadmodum in naturalibus quoque facultatibus cuiusuis partis quotidie obseruamus, una uidelicet uel duabus affectis, alijs illæsis permanentibus. Cuius rei testimonium pariter reddit Gal eodem.5. de lo.aff. cùm de iocinoris affectibus uerba facit, & .6.ubi de renum affectibus & propriè de diabete pertractat, & magis uniuersaliter.3.de ca Sympt. Illud quoq; mente concipiendum, quòd licet quædam facultates, cùm ualet pars cuius sunt propriæ, quodam ordine, quadam ue connexione, diuersis temporibus ab ea exerceantur: ut uidere licet in naturalibus ipsis uiribus. Nā primò pars utitur familiarium attractione, deinceps eorundem retentione & alteratione, ultimo loco quod alienum est excernit, peruertitur tamen ordo sæpenumero, soluiturq; cōnexio cùm eadem pars intemperata reddita sit, quod quidem effici posse nequaquàm arbitrandum est, nisi propterea, quòd cùm ex diuersis causis ipsa affici queat, pro ratione maioris uel minoris præparationis dictarum facultatum, ac pro causarum diuersitate modò unam, modò alteram uel plures lædi contingit: uelut non tantum in facultatibus ipsis, uerùm etiam in febrium subiectis quotidie obseruamus, nam quàmuis spiritus paratiores sint quàm humores

partesq; solidæ ad calorem præternaturam suscipiendum cùm tenuioris sint substantiæ, omnisq; tenuis substantia prõptius alteretur quàm crassa primo de diffe. feb. & insuper humores quàm membra: non tamen perpetuò quæ incipit febris diaria est, sed putrida, īterdumq; hectica esse potest, ut eodem primo de diff. feb. patet, cuius euentus causa assignatur prædictorum subiectorum maior uel minor præparatio, cùm magis lædi possit ab una uel altera causa, à qua primum homo cæpit febrire. Pari modo nec illud mirũ uideri debet quòd cerebro diuersimodè affectio, quamuis in eodem loco eademq; sede principes eius facultates perficiantur, in proprioq; eius temperamento consistãt, unam interdum, aut alteram, uel plures earum lædi contingat, & quàmuis cũ ipsum cerebrum ualet, imaginandi functio præcedat, subsequaturq; ratio & memoria, paratiorq; sit imaginatio ut lædatur: non propterea cùm intemperatum redditur, necessariò à quauis causa imaginandi functionem primò lædi oportet: uerùm indifferenter (ut de naturalibus facultatibus diximus) possunt una uel altera aut plures lædi, prout paratior una facultas inuenitur ut lædatur magis ab una uel altera causa. Pro maiori, ergo præparatione unius uel alterius facultatis ad hanc uel illam offensionem suscipiendam ac pro lædentis dispositionis uarietate contingit unam modò uel alteram plures aut omnes principes facultates lædi, quàmuis in una eademq; sede perficiantur, ut diximus. Concomitatur insuper hæc diuersa ipsius cerebri pars quæ primò afficiatur, nam omnium principalium uirium animæ affectus in cerebro consistere apud omnes medicos in confesso est, uelut 3. de lo. aff. testatur Gal. Et ne tyrãnorum ritu hæc affir-


mare uideamur citra eiusdem Gal.authoritatem, ad ipsum confugiemus: Is.3.de lo.aff.dinumeratis quibusdam capitis, ac cerebri affectibus, ex quibus diuersæ principes functiones turbantur, dixit eos differre tum pro diuersitate dispositionis, aut eo quòd magis uel minus eædem intenduntur, uel uarietate mixtionis dictarum dispositionum, & hoc totum ex parte efficientium causarum, ac lædentium morborum, nanq; ex infrigidantibus cerebrum causis eiusq; intemperie frigida memoriam lædi contingit, & si eædem uehementiùs intendantur simul cum memoria læditur ratio, quæ affectio stultitia nominatur. Similiter quoq; accidit in lethargo ac omnibus soporosis affectionibus, & si ex his imaginationem quoq; ueluti resolui contingat: Consueuit nanq; (eodem Gal.autore) frigida ĩtemperies animalis actiones torpidas efficere, id quod animalia, quæ per frigora latere coguntur, haud obscurè declarant ac in frigidis medicamentis et cibis uidere, licet. Ex quibus cõcludo ad Gal. sententiã stultitiam & obliuionem à frigore ortum habere, cùm uidelicet ex his cerebri corpus refrigeratum est, ut idem testatur. 2. de ca. Sympto: Verùm si non uehementiùs intendatur frigiditas, obliuionem causat, memoriamq; lædit: si autem intendatur, stultitia oritur: atq; mens seu cogitandi functio impeditur ac torpida efficitur, eodem autore. 3. de lo. aff. ex oppositis uerò causis calfacientibus uidelicet, uelut oppositi morbi in cerebro excitantur, ipso immodicè calfacto, ita et opposita uitia, ut uigiliæ, deliria, phrenitides, diuersimodèq; principes functiones læduntur: nõ tantũ quia ex calidis afficiuntur dispositionibus, sed ẽt quia leuiores aut uehemẽtiores existunt. Nanq; ex biliosis succis febrem ardentẽ generãtibus,

si uapores ad caput ascendant non multi nec admodũ acres delirium oritur, eaq; princeps facultas potissimùm læditur, quæ minorẽ habet oppugnandi uim ut lædatur, hæc uerò phantasia est, quare imaginandi functio tunc offenditur. At si multi acresq; & uitiosi fuerint, non imaginatio sed cogitatio aberrabit. Quòd si multi ac admodùm acres sint, utræq; deprauãtur: Nec diuersa quoq; ratione orta phrenitis non nunquam mitior est, utpotè cùm à pallida bile ortum habuerit, imaginandiq; facultas turbatur ceu promptior ac paratior ut à leuioribus causis lædatur, præsertim calfaciẽtibus. At si uehementior fuerit, cùm uidelicet flaua bilis eam parit, promptiùs mens seu ratio uitiabitur utpotè magis apta ut ab hac offensionem suscipiat: ubi uerò fuerit uehementissima ex eadem flaua bile excitata, adeò tamen acri & calfacta ac ferè præassata ut uelut ferina sint deliramenta, euenit ut tũ imaginatio, tum cogitatio deprauentur: Ex his denique dispositionibus calidis non modò aliæ atq; aliæ facultates læduntur principes eo quòd magis minusq; intenduntur, & secundùm quòd magis minusq; obnoxiæ sunt hæ facultates his lædentibus causis: sed ipsarum læsionis modus alius est ab eo qui à dispositionibus frigidis excitatur, ex ipsis nanq; minus intensis memoria primò, quòd si intendantur ratio quoq; læditur (ut diximus) ac imaginatio interdum ut in ueterno & lethargo, læsionisq; modus uelut deficiens est torpidus seu resolutus. At ex calidis dispositionibus non siquidem nehementer auctis imaginandi facultas primò, & si intendantur mens & ratio, ac si uehementius intendantur utræq; affi=

ciuntur, eritq; earum læsionis modus non deficiens & resolutus, sed deprauatus & errans, & proinde cerebrum ubi in morbosam intemperiem incurrerit necessariò Symptoma quod intemperiei familiare est inducit (ut. 4. de præsag. ex pul. patet) nec tantũ ex oppositis seu dispositionibus diuersis cerebrum offendentibus contingit diuersas principes functiones lædi, easque diuersimodè (prout promptius aut ægrius quæq; earum parata est) offensam suscipere, quinimmo ex uarietate mixtionis prædictarũ causarum quæ cũ multiformiter commisceri queant, uaria cerebri uitia pariẽt pro mixtionis modo, uarias insuper ex ipsis noxas contrahunt functiones principes, nam modò una, modò altera uno uel alio modo pro earundem etiam diuersa præparationis ratione lædi conspicitur, quæ quidem abnegare extremæ esset dementiæ cùm in dies illud quiuis in ægris curandis etiam parùm exercitatus obseruare ualeat. Et quàmuis hæ functiones prĩcipes (ut diximus) in ipsius cerebri corpore perficiantur, non exigua tamen oritur in earum læsione differentia, cùm uidelicet cerebrum ipsum secundùm diuersas eius partes primò afficitur. Cuius rei non immemor Gal. 3. de lo. aff. testatus est cerebri affectus non tantùm inter se differre mixtionis uarietate, aut eo ꝙ magis minùsue intenduntur eorum causæ, uerũ etiam quia uentriculi cerebri interdum afficiuntur, interdum eius uasa uniuersa, interĩ humiditas quæ per eius corpus dispersa est, aut cum ipsummet cerebri corpus intemperatum redditur: non enim uerendum est quòd pro ratione diuersarum cerebri partium primò affectarum possint & ipsius uaria oriri uitia, ac diuersæ functiones lædi, quãuis hæ in ipsius cerebri corpore ab anima exerceantur. Nã

alia ra-

alia ratione consentit cerebri corpus cùm eius uentriculi primò afficiuntur, alio modo cùm eius uasa seu humiditas, quæ per ipsum dispersa est: Diuersa quoq; ratione ipsæ functiones lædentur si ipsius cerebri corpus præternaturā primò afficiatur: qua insuper ratione euenit ut interdū una, interdum alia noxam suscipiat, & si sedibus non seiungātur. Ex quibus satis admodum demonstratum esse censeo Gal. duce atque autore qua ratione contingat unam interdū uel alteram functionem principem turbari, aut quouis modo offendi altera illæsa permanente, quamuis in uno eodemq; loco consistant (ut diximus) ac ab ipsa anima in cerebri corpore exerceantur. quæ cùm hucusq; à quibusdam percipi non potuerint, conati fuerunt ad Gal. mentem ut ipsi fatentur, licet falsò, prædictas functiones locis ac sedibus seiungere, maximam Galeno iniuriam inferentes, cum id apud eum scriptum nullibi reperiatur, quinimò ab eiusdem monumentis alienum, eiusq; sententiæ pugnans omnino est, ut ex his quæ suprà diximus liquidò constare potest.



QVOD NATVRALIS SPIRITVS IN GALE=ni Doctrina Admictatur: & non omnino abolendus sit ut quibusdam uisum fuit.



VI Naturalem spiritum in Gal.doc.tanquam non necessarium abnegant, hac prima ratione id probare conantur. Spiritus naturalis (inquiunt) si necessarius sit nō propter aliud utiquè, nisi ut uehiculum naturalium facultatum existat (altricis præsertim) ad membra ipsa. Atquì hæ cognatæ cunctis partibus sunt,ueluti magneti lapidi uis qua ferrum attrahere potest,Gal.authore primo de lo aff.circa fi.quare ut eis ab aliqua parte uis hæc īfluat superuacaneum est: Non ergo spiritus naturalis ad partes ipsas naturales facultates suppetit, & propterea neq; necessarius existit. Potest & hæc eorum ratio corroborari Gal. auctoritate lib.artis medi.ubi de partium differentijs loquutus,quasdam dinumerauit,quæ nec aliarum gubernationi præsunt,nec aliunde gubernantur: cum insitas habeant à natura potentias à quibus reguntur:ut cartilago, membra=

na, os, ligamentum &c. At si spiritus naturalis nutriendi uim ad corporis partes deferat, nulla daretur prænarratæ differentiæ pars. & Gal. tanquam superflua ponens condēnandus esset. Insuper cum partium essentia permanens non sit, sed continuè diffflet ac mutetur, uenis & arterijs (Gal. teste primo de lo. aff.) indiguerūt, ut nutrimentum eis deferatur, ac innati caloris temperies seruetur. At per uenas nutrimentū eis distribuitur, per arterias caloris symmetria seruatur: nullo ergo alio tertio nec spiritu naturali opus erit.

Deficit quoq; materia pro spiritus naturalis generatione, ut hi opinantur: Nam si qua esset materia ex qua naturalis procrearetur spiritus, ea uitalis spiritus esset, ex quo ēt animalis gignitur: Huius uerò generatio prima in corde fit, & ab eo in uniuersum corpus per arterias diffunditur, qua de re cùm multò plures sint nostri corporis partes, quæ ui egent naturali quàm quæ animali, necessarium utiq; esset magnas, immò maximas arterias ad iecur peruenire, tantā uitalis spiritus copiam suppeditantes, quæ pro naturalis materia sufficere posset: At per corporum dissectionē & Gal. 4. de usu part. constat ad simas tantum iocinoris partes, & eas quidem ualde paruas, arterias inseri, per quas tanta spiritus uitalis copia ut ex ea naturalis gigni posset non defertur: quam tamen multam esse oportuisset, si ex ea naturales spiritus gigni deberent. At si quispiā dixerit non hanc esse spiritus naturalis materiam, sed sanguinem qui in iecore fit: eum esse non posse arguunt, cū is crassus ac turbulentus, nec dū ab alijs humoribus emundatus sit ut idoneus fiat ad eius generationē: deficit ergo materia. Sed nec locū ī iocinore eē in quo possit naturalis spiritus generari, utpotè cùm nulla in

eo sit cauitas ueluti in corde & cerebro manifestè cernitur, qua de re deest & locus pro eius generatione. Praeterea canales seu meatus suppetunt per quos ubi genitus iam fuerit, ualeat ad membra deferri. Nisi quispiã dixerit per uenas unà cum sanguine spiritum transire, quod tamen nec corpus uenarum patitur unica tantùm tunica contentum, nec motus seu pulsus indicat, qui uenæ non secus, ac arteriæ adesse deberet. Vltimo loco non dari spiritum naturalem probant, cùm nulla uia pateat, aeri quo is nutriri ualeat, uelu ti animalis & uitalis, deficeret ergo unus eius nutrimenti modus. Qua de re cùm nec finis adsit ob quem eum gigni oporteat, nec materia ex qua uel generari, uel cõseruari possit, nec locus idoneus in quo gignatur, nec uia per quã ad mẽbra mittatur, ex prædictis probabilibus rationibus, iure omitti ac negari ad eorum mentem potest. Vt autem rei propositæ dilucidiùs ueritatem assequi ualeas, quid per spiritum intelligendum sit animaduertas oportet. Est autem is ad Gal. mentem corpus quoddam calidum, tenuissimæ ac leuissimæ substantiæ, ex aere, et tenuissima, leuissima, ac syncerissima parte sanguinis, seu seminis genitum. Quod corpus sit calidum patet. 5. de Simp. med. fa. quo loco innatum spiritum calidum appellauit: & commentario aduersus Lycum: ita de alijs dicendum cùm ab eo calidaq; materia originem ducant. At quòd substantia eius sit leuissima ac tenuissima apud eundem authorem patet. 3. de nat. facul. ubi asseruit omnium, quæ in corpore sunt leuissimum tenuissimumq; esse spiritum. Quòd ex aere ac sanguine halituoso & tenui gignatur, decretũ reliquit Gal. 6. de usu part. xi. ac. xij. meth. med. ac sexcentis alijs locis. Quòd uerò ex se-

mine.14.de usu part.& li.aduersus Lycum patet. Huius spiritus duæ primæ differentiæ iuxta eiusdem autoris sententiam assignari possunt, nam quidam fixi ac stabiles sunt, qui innati ab eo appellantur.5.de Symp.medi fa.quidam uerò uagantes ac errantes sunt & influentes. Hi uerò spiritus qui insiti ac innati dicuntur, cùm in omnibus animantis partibus contineantur, non tamen undequaq; similes ueluti nec est sanguis, adeò ĩ simplicibus ac primis, solidisq; animalis partibus fixi ac implantati sunt (ex sanguinis ut diximus & seminis leuissima, ac tenuissima parte geniti) ut toto uitæ curriculo iidem permaneant: & si eorum substantia quolibet ferè momento tum minor, tum maior conspiciatur, nunquam tamen in totum dissipatur. Nec parua eorum substantia in spatijs inanibus dictarum partium inest: immò potius ea ueluti materia quædam, læuissimã etiamnum mutationẽ exposcens est, ad innati spiritus qualitatibus suis absoluti generationem. poterit autem hæc substantia spiritus innatus appellari, cùm admodum ad naturalia opera perficienda cõducat: prout.5.de simpl.medi.facul.Gal.uisum est. Hunc spiritum innatum in semine contineri, spumosoq; corpore, elemento stellarum proportione respondentem, primumq; fœtus principium esse Arist.2.de genera.anima.scriptum reliquit. At Gal.ut qui non tantum semen effectiuum generationis fœtus principium, uoluit esse, sed & materiale: sic nec sanguinem menstruum materiale principium, sed effectiuũ quoq;, licet ualidissimum sit in semine effectiuum, materiale paucissimum, in sanguine contra, quod ad materiam spectat plurimum, quod ad uim & facultatem imbecillimum. Hunc innatum spiritum, non tantùm ex seminis parte leuis-

sima ac tenuissima, uerùm & sanguinis menstrui simili substantia gigni uoluit, licet ex semine magis: qua ratione sæpe apud eum reperies (ut primo de sanit. tue. & 2. de natu. facul.) semen opificis rationem obtinere, sanguinem uerò materiæ, ab eo quod in eis præualet, ipsis principij denominationem tribuens: ita ut ex utrisq; simul permixtis, uelut unum fiat agens, unum motus principium seu effectiuum, ut utrunq; in unum motum conspirent ac principium motus sit idem: ut patet ex eius mente. tum. 2. de Sem. tum. 14. de usu part: quanq; hæc uis seu facultas in semine magis principatum obtineat, ut diximus: est nanq; ipsius animæ instrumentum primum, & si stoici ipsius substantiam esse autument. Hic spiritus est qui omnes actiones naturales adauget, qui cùm in pueris copiosissimus sit, caliditate symetrus, ab Hippo. Apho. 14. pri. lib. calor innatus appellatur, & si is uerè in triplici substantia contineatur, ea quam diximus ac reliqua, tum sanguinea, ex qua carnosæ partes generantur, tum serosa seminis parte, ex qua solida finguntur. Quapropter Gal. hoc innatum calidum quod ἀρχήγονον idest primogenium uocare Hip. consueuit, nil aliud esse quàm sanguinem menstruum, semenq; retulit lib. aduersus Lycum: asserens se nihil nouisse præter hæc tertium, & propterea ijs qui crescunt plurimus inest, & ijs qui consenuere minimus. Errantium autem spirituum differentiæ à Gal. 7. de Hip. & Plat. decretis, duæ conscribuntur, una quarum uitalis spiritus, altera animalis dicitur: Vitalem appellat eũ qui in corde & arterijs continetur: est enim cor eodem autore. 6. eiusdem, sicuti arteriarum ita & uitalis spiritus, fer

uentisq; sanguinis principium, & fons: quo spiritu uitalẽ medio cor, ceu fons (ut diximus) insiti caloris, facultatem quadam singulis partibus transmittit, per quam & earum possit intimi caloris temperies seruari, cuius gratia spiritus is à corde confluit caloris delator. Quanquàm & alia quoq; ratione, pulsu uidelicet, prædictum innatum partium calorẽ custodiat: prout patet lib. de usu puls. Proinde actiones suas perficiunt singulæ partes, peculiari cordis temperie, qua pereunte ipsarum quoque actiones perire necesse est: prout ipse, 5. de lo. aff. testatur. Alia differentia animalis appellata, non quòd substantia animæ sit (ut Stoicis placuit) sed quòd primum eius instrumentum in cerebro continetur, præsertĩ in eius uentriculis posteriori & medio: hoc siquidem cùm ipsa uoluntarijs actionibus unà cum sensibus præsideat, ad sensus omnes, tum ad eos motus, qui à consilio & uoluntate prodeunt, utitur, ad prædictorum instrumenta eo medio facultatem suppeditans. An uerò tam uis seu facultas, quã substantia, ad prædicta sensus & motus instrumenta influat, uel uis tm̃, aut ad quædã uis, ad quædã uerò et substantia et facultas, cùm ad rem propositã scire non conferat, iure prætermittam. At lib. 12. method. meden. cùm de prædictis spiritibus uerba fecisset, asseruit, quòd si naturalis quoquè aliquis est, utiq; is in iocinore & uenis continebitur. Quo loco & si ipsum dari non affirmet, nec omnino negauit, locum tamen signauit diuersum à prædictis, iecur uidelicet & uenas si daretur: Est nanq; & ipsum inter tres principes partes dinumeratum, quibus animal gubernatur, altricis facultatis principium & ueluti fons, sicut cor caloris, & cerebrũ sentiendi atq; mouẽdi ab electione, Gal. teste cũ. 9.

meth.med.tum, 5.de lo.aff.& 7.de Hip.& Plat.decr. De hoc ergo principio altricis seu naturalis facultatis in dubium uenit, nunquid instar aliorum duorum principiorum, cerebri uidelicet & cordis, alijs corporis partibus spiritum aliquem suppeditet, loco & usu ab animali & uitali diuersum, genere tamen eis consimilē ut qui uagans et errās dicitur, qua rōne ab innato discrepet, naturalis appellatus ut qui à principio naturalis facultatis genitus, iecore uidelicet, per eiusdem proprios canales, uenas. s. in totum corpus diffundatur: quo medio naturales partium potentiæ seu facultates, conseruentur, quemadmodum à uitali à corde transmisso intimus earum calor, in Symetria conseruatur. Quòd autem spiritus hic naturalis tanq; necessarius in Galen. doctrina concedendus sit, ex infra dicendis, cui uis, non tantùm tibi, si admodùm duræ ceruicis nō fuerit, probare conabimur, præsupposito priùs eo quod Galen. 11. meth. med. decretum reliquit. Natùram ex tribus partibus constare spiritu, substantia carnosa, & ex ijs quæ uerè solidæ dicuntur, singulaq; istarum trium propriam habere pro sua natura cùm qualitatē tum quantitatem: ac qualitas earum ex congrua temperie calidi, frigidi, humidi, & sicci consistit: quantitas uerò solidarum partium par semper manet numero duntaxat his qui inaugentur, qui uerò absoluti sunt etiam magnitudine, sed carnosæ substantiæ magnitudo uariatur etiam si animal non augeatur: pari modo & ipsius spiritus substantia tantùm non quolibet momento tum minor tum maior conspicitur. Virtus quoq; dictarum partium, uel in his tribus simul enumeratis additur, uel in eorum proprio temperamento cōsistit, perpetuò sui custodiam requirens: custodia uerò simi-

lium exhibitionem indicat, uelut sublatio contrariorum. Proinde uirium substantiam, quæ ex spiritu (ut diximus) carnosa spetie, ac solidis ipsis completur, si eam custodire uelimus, ex his quæ similia sunt moliri cuiq; suam custodiam conuenit, nempe ei quæ terrea est, eorum quæ magis sunt terrea, & ei quæ humida, eorum quæ sint humidiora: ad eundem modum & ei quæ magis aerea, eorum quæ plus huius substantiæ in se habent, ut propria cuiq; mensura seruetur, adhibenda sunt. Galen. auctoritate eodem. xi. meth. med.

Ad hæc nulli in dubium uenit (prout primo de sanit. tuend. & . 12. met. Gal. scriptum reliquit) fieri non posse ut cõtinuò nostri corporis substantiæ quicquam non uacuetur aut immutetur, ueluti nec ullo alio generabili corpori contingit. Proĩde medici officium est ut quæ substãtiæ portio defluit, eam apponendo resarciat: quod alterascit in debitam temperiem per contrariam alterationem uindicet, utrorumq; materiam naturæ propriam subministrans. Harum porrò trium substantiarum nulla prorsus & alterationi & dissipationi promptiùs subest, quàm ea quæ spiritus, ut quæ tenuior & halituosior sit: qua de re si assiduè ex ipso calore aliqua portio digeritur, simulq; ab alijs causis & alteratur, simili corrigenda uenit substantia: aliàs uerendum esset ne assiduè dissipata, nec per aliquod simillimum substantiæ priùs euacuatæ, uel alterata et in debitã temperiẽ per cõtrariã alterationem non deducta, ut tum quantitas, tum qualitas quòad fieri licet naturaliter se habeat, uirium essentia quibus corpus regitur totum, & quæ uis eius pars uitietur, ac animal pereat: uel pars aliqua deperdatur. Ea de re libro. xi.

meth.Galen.spirituum custodiam moliri ex respiratione ac transpiratione & qui ex sanguine attollitur uapore, uel eius attenuatione seu in halitum solutione & quasi aeratione,inquit,tanquàm hæc sit eorum spirituum omnium substantia simillima. Particulatim autem uitalis spiritus irrigatur ac alitur siue nutritur ex inspiratione & sanguine: animalis uerò ex inspiratione,ac sanguine tenuiori,quem reticularis plexus suppeditat,prout.12.method.patet & .7. de Hippo.& Plat.decre.dixit, spiritum animalem ex uitali per fectiùs concocto oriri: Ac.6.de usu part.hunc animalem spiritum asseruit exhalationem quandam esse sanguinis benigni. Ex quibus patet,quòd quamuis ex respiratione seu transpiratione simulq; & sanguinis exhalatione (ut ita dixerim) spiritus quicunq; gignitur, nutritur ac custoditur, præcipua tamen eius custodia ac nutritio est, ex eiusdem sanguinis attenuatione seu aeratione: in quo(mea quidem sententia) tum insiti seu innati,tum uagantes omnes seu errantes spiritus,quodammodo conueniunt cùm hæc sit maximè similis ac familiaris eorum materia,potissimùm innati: unumquodq; n. ea substantia qua primùm genitum est ali etiam perpetuò consueuit,prout Gal.asseruit libro primo de semi. circa finem,licet ex aere eorum qualitas æquè,uel fortè magis,custodiatur,quod uoluit Hippo.innuere lib.de alimento dum dixit.principium alimenti spiritus,os,guttur,pulmo & alia respiratio. Nec te præterit innatum spiritum uelut in alijs corporis partibus,ita in iocinore contineri. Non enim fas est in alijs & non in iocinore reperiri, eiusq; iocinoris naturam facultemq; in hoc potissimùm spiritu consistere,uelut de alijs partibus supra relatum est. Quinimò consonum

est iecur ipsum uelut altricis seu naturalis facultatis princi-piũ unum, ex tribus corpus nostrum gubernantibus, multam copiam spiritus innati in seipso continere: Non enim sibi ipsi duntaxat gubernando dat operam, sed tanquàm principium obtinens, alijs partibus materiam ad alimentum idoneã procurat. Amplius scio te nõ ignorare, quòd ĩnatus hic spiritus tam in iocinore, quàm in alijs corporis partibus assidua custodia egeat, cùm tota moles animaliũ in perpetuo fluore sit, & ni similis altera substantia pro ea quæ defluxit, restituta sit (ut diximus) ac Gal. primo de sanit. tuen. testatur, euaporabitur certè atq; dissipabitur uniuersa, præsertĩ substantia hæc spiritus, quæ promptè propter sui tenuitatẽ euaporat, ac dissipatur. Verùm eius non tantùm in quantitate iustus modus seruandus est, sed etiam in qualitate, quæ similis eius temperiei subministrari debet, quoad fieri posset. & si quale erat ipsum quod effluxit, tale prorsus adiungere aglutinareq; ei per totum liceret, optimum id saluberrimũq; planè esset: Hic autem iustus seruandi modus non aliter fieri ualet Gal. teste primo de sanit. tuen. quàm cibi, potionis, respirationis, & arteriarum motus, ope. Vltimo non te fugit quòd licet cor ueluti principium & fons (ut priùs diximus) innati caloris medijs arterijs ab eo ortis, aliarum partiũ innatũ calorẽ seruet, non tantũ earũ arteriarũ motu, uerũ ẽt medijs spiritibus, in sinistro eius uentriculo ortis, qui ueluti uehiculum caloris à corde confluunt, Gal. autore lib. de usu puls. ex his tamen spiritibus calorẽ uehentibus, nullũ aliud cõmodum partes, ad quas defertur, suscipiunt, quàm ut intimi caloris temperies in eis seruetur. Hæc custodia non tantũ pulsu, uerùm etiã ex abundante naturæ gratia à prædictis

confluentibus spiritibus fit: nam propter hoc naturam in partibus inseruisse arterias Gal. ostendit. 4. de usu part. Quare non ab re eundem usum præstabit hic spiritus uitalis innato spiritui. & non alium: ipsum in propria temperie seruans ac qualitate decenti. & propterea uoluit. 7. de Hippo. et Plato. decre. eo probè concocto animalem spiritum generari & non innatum. Immò. 6. de usu part. propterea purum sanguinem inquit, ac tenuem in arterijs contineri oportuit, quoniam spiritui animali & non alijs partibus alimentum erat suppeditaturus. Excipiendæ sunt tamen fortè partes quædã, quãuis paucissimæ: ut pulmo qui uaporosiori ac tenuiori sãguine pro eius nutrimento indiguit. Is nanq; sanguis spirituosus et feruens in corde genitus, non etiam, uelut qui è iecore ortus est, in alimentum proficiscitur omnibus corporis partibus. 6. de Hippo. & Plato. decre. pari ratione nec uitalis spiritus, qui ueluti cordis caloris uehiculum, partium ad quas defertur symmetriam, proprij calidi, custodit: & proinde innati spiritus earum in quo potissimùm essentiam habet, in alimẽtum non proficiscitur, sed eum contemperando seruat, animalis tantùm materia ac alimentum: iuxta Gal. sententiam præcitato loco: nec solùm ipsius innati spiritus, sed carnosarum ac solidarum partium caloris Symmetriam conseruat, à corde transmissus. Nec quispiam fateri audebit animalem spiritum à cerebro diffusum, in innati spiritus alimentum transire. Nam hic (ut calles) primum animæ instrumentum est, ad Gal. mentem. 7. de Hippo. & Plato. decre. tum ad sensus onneis, tum ad motus qui ex appetitione fiunt perficiendos ut. Reliquum est præter eam quam ex aere habet custodiam insitus spiritus, ut aliqua substantia ei quã simile

lima reperiatur, postquàm ea quæ est uitalis, aut animalis spiritus non est, uelut aĩalibus spiritibus inuenta est, nec minus & ipsius uitalis spiritus materia ac simillima substantia inueniri debet, ex qua præter aerem gignatur ac custodiatur. His iactis fundamentis, pro spiritus naturalis necessitate, talis prima potest erigi ratio: In quacunq; corporis parte spiritus innatus reperitur, is præter aeris inspirationẽ seu transpirationem, quadam sanguinis exhalatione, aut (ut ita dixerim) aeratione pro eius nutrimento ac custodia indiget: uelut quiscunq; alius spiritus, Gal. decre. 11. meth: Sed in iecinore quod una est corporis pars, eaq; princeps innatus spiritus reperitur, in quo potissimùm eius natura consistit ac uirtus, ut superius ostendimus, quare & custodia & refectione eget, ut quæ difflatur portio eius quoad fieri liceat reficiatur: hæc non est alia à sanguinis exhalatione quam spiritum uocamus, nec is uitalis est, quia non nisi in corde & arterijs continetur & Symetriam tantùm partium seruat, nec animalis propter prædictas causas: quare iure naturalis appellandus erit, cùm præter hos nullus alius reperiatur spiritus, & ipsemet Gal. 12. meth. asseruit Quòd si naturalis quoq; aliquis spiritus est, utiq; is iecinore & uenis continebitur. Præterea si iecur principium altricis seu uegetabilis facultatis est, propterea quòd materiam procurat idoneam ad alimentum toti corpori, ad Gal. mentem. 6. de Hippo. & Plato. decre. iurè omnibus eius partibus id suppeditare debet: At cùm partium in triplici substantia consistat (ut prædiximus) spirituosa carnosa & solida, singulis simillimum alimentum impartiri debet: quare insito spiritui idoneam præstat materiam, ueluti & carnosæ & solidæ parti.

Sed hæc non est alia quàm tenuissima & leuissima san-
guinis pars, quam etiam spiritum nominamus, nec is uitalis
aut animalis est, iurè ergo naturalis appellandus. At si quis-
spiam dixerit iecur idoneam materiam ad alimentum pro-
curare tantùm carnosarum & solidarum partium, & non
insitorum spirituum: præter id quòd minus scitè dixerit, duo
sequuntur incommoda. Primum, quòd iecur non sit sufficiēs
principium altricis facultatis, cùm singulis partibus sufficiēs
alimentum non suppeditet: & præter hoc aliud assignandū
esset principium, quod spiritui innato materiam præstet: hoc
autem quantùm à ratione alienum sit, cuiq; patet: præsertī
in Galen. doctrina exercitato: Vniuersam nanq; in animali
nutricationem iecur procurat, ut. 7. de Hipp. & Plat. decre.
scriptum reliquit. Ad hæc accedit ꝙ sicut se habet spi-
ritus uitalis ad animalem, qui perfectiùs concoctus in ipsum
uertitur, ut patet. 7. de Hip. & Plato. decre. sic se debet ha
bere alius spiritus respectu uitalis, ex quo perfectiùs conco
cto ipse oriatur. Sed hic non potest esse alius quàm natura-
lis ergo pro ortu, generatione, ac custodia uitalis spiritus,
præter aerem, necessarius est spiritus naturalis, præsertim
cùm is quoq; animalis spiritus generationis materiam ha-
beat, præter eam quæ ex inspiratione et humorum exhala
tione ut Galen. testatur eodem loco. Amplius, sicut san-
guis tenuis, purus & uaporosus in corde & arterijs conten
tus ex eo gignitur sanguine, quamuis crassior sit, qui priùs
in iocinore confectus ad cor per uenas distribuitur, perfe-
ctiùs tamen in eo elaboratus ac concoctus, sic spiritus uitalis
præter aerem, materiam ei quàm simillimam: prædicti san
guinis exhalationem suscipiens perfectiusq; elaborans cor

in ipso gignitur. 7. de Hippo. & Plate. decr. quæ non nisi per easdem uenas ad eum peruenit in iocinore genita, & per uenas distributa, quanquam crassior & caliginosior sit. At quòd hanc sanguinis exhalationem intra uenas contentam, spiritum naturalem nominemus, alienum non est cùm & animalem. 6. de usu part. Gal. dicat esse exhalationem quandam sanguinis benigni, qui tamen & syncerior & tenuior naturali existit. Insuper si nihil in nostro corpore planè est syncerum, sed omnia omnibus mixta, non tamen æqualiter (ut Gale. testatur authoritate Hippo. libro de alimento. 6. de usu partium) iurè in uenis ipsis non tantùm sanguis, uerùm etiam spiritus continebitur: uelut in arterijs non tantùm spiritus sed sanguis, prout ipse aduersus Erasistratum probauit. At is qui in uenis spiritus continetur nec animalis nec uitalis dici potest, cùm unus in cerebro, alter in corde & arterijs contineatur: meritò ergo naturalis dici debet. Vltra hæc si in uenis aliquis continetur spiritus, is naturalis dici debet, cùm. 12. meth. med. Galen. dixerit si naturalis aliquis spiritus est, utiq; is in iocinore & uenis continebitur, sed in ipsis spiritus continetur, ut idem. 6. de usu part. scriptũ reliquit dùm asseruit arteriã tenuem ac purũ & uaporosum sanguinẽ cõtinere, uenã aũt paucũ eundẽq; caliginosum aerẽ, seu spiritũ: consueuit nanq; hæc Gal. confundere, ut patet pri. de diff. feb. meritò ergo naturalis ẽ & dici debet, præsertim cũ eodem libro inquiat quòd reliquæ particulæ oẽs omniũ sunt participes & Venæ & Arteriæ, quarũ hæ quidẽ exigui et eiusdẽ tenuis atq; uaporosi sanguinis, Illæ uerò paucissimi et ipse spiritus uerùm caliginosi & crassi. Cùm præterea tria sint principia quæ ad Gal.

mentem corpus gubernant, & quodlibet ipsorum propriam continet facultatem diuersi generis inter se, ac toti corpori quæuis ipsarum ex suo ueluti fonte distribuatur, ut patet 6. meth. & primo de arte cur. ad Glau. si cerebrum & cor proprijs spiritibus uelut instrumentis utentes, suas proprias suppetunt facultates, iecur pariter suam dispensans facultatem suo utetur proprio spiritu tanquam instrumento, cùm et ipsum inter tria principia, non minùs quàm reliqua, corpus gubernet: At cùm naturalis facultatis sit principium, etiam spiritu naturali medio toti ministrabit, uelut cerebrum animali, & cor uitali: Epar enim, cor, cerebrum, & testes communiter uniuerso corpori principia sunt uirtutum: ut Gale. inquit. 2. de arte cur. ad Glauc. At si quispiam dixerit contrarium sentire lib. artis medi. & primo de lo. affect. ex his quæ paulò post dicemus responsio patebit. Spiritum ergo naturalem ad Gal. mentem & dari, & necessarium esse prædictis hisce rationibus probatum esse reor: cùm. n. propter insiti iocinoris spiritus & aliarum partium instaurationem ac custodiam, tum ut materia sit uitalis spiritus, uelut & is animalis: in iocinoreq; generari tanquàm naturalis facultatis seu altricis fonte ac principio, alijsq; partibus per uenas transmitti pro earum prænarrato usu. At si quispiam adhuc eum inficiabitur asserens propter quid de eo ambiguè Gal. loquutus fuerit. 12. meth. cùm dixit. quòd si naturalis quoq; aliquis spiritus est, utiq; is quoq; in iocinore & uenis continebitur. Ei responsum sit, primò eo loco Gal. spiritum naturalem non negasse. secundò sub conditione loquens, locum in quo contineretur assignasse. tertio quòd non mirum si sub conditione de eo uerba fecit, nam si de

uitali

uitali ſpiritu qui euidentior erat non æquè aſſeruit euidenⷍ tem eſſe demonſtrationem ueluti de animali, eò minùs euiⷍ dens demoſtratio eſſe poterat ipſius naturalis, qui & puriⷍ tate & tenuitate ab ipſo uitali deficit: eſt nanq; craſſior ac caliginoſior ueluti & ſanguis qui in ipſo generatur craſſior & rubrior: at qui in corde tenuior et flauior eſt. 6. de Hip. & Plato. decre. neq; euidentis alicuius motus (ut cerebrũ & cor) exiſtit iecur ipſum, eodem teſte præcitato libro, quò euidens quoq; naturalis in eo pateret ſpiritus. non ab re igitur ſub conditione de eo uerba fecit, propterea quòd de eo ſatis euidentem demõſtrationem non habere, & non ut ipſum pœnitus negaret, ut quidam uolunt. Conſueuit nanq; de his rebus quarum euidentem demoſtrationem non habeⷍ ret, nil temerè pronuntiare ſed ſub dubio loqui, ueluti & de animæ ſubſtantia, & cauſa fœtuum formatrice, ubiq; locoⷍ rum & præſertim lib. de fœtus formatione, & .9. de Hipⷍ po. & Plato. decre. ambiguè loquutus eſt. Non igitur in Gale. doctrina abnegandus eſt naturalis ſpiritus, quinimò propter prænarratas cauſas, ac uſus, tanquàm neceſſarius admittendus. Et ſi linearibus exquiſitis demoſtrationibus ac euiⷍ dentibus confirmari nequit, ſatiùs eſt probabilibus credere & acquieſcere, quàm ipſum pœnitus negare: præſertim cũ nec ueritati nec Gal. doctrinæ repugnet. Quinimò cùm. 9. meth. fateatur, tres diuerſi generis facultates animal gubernare, qualibet toti corpori ex ſuo ueluti fonte diſtributa, de naturali facultate minime id uerificari poſſet, cùm ſingulis partibus ſit cognata ad eius mentem, niſi ſpiritus hic natuⷍ ralis uniuerſis à iocinore ſuppeditaretur, quo innati earum ſpiritus, quibus potiſſimùm naturales perficiunt ac proprias

functiones, seruentur: ut paulò post dicemus. Reliquum est rationes eorum qui contrà sentiunt, quas supra portaui=mus, diluere: quod quidem admodùm erit facile. Nam ad primam qua tentant spiritum naturalem destruere propter ea quòd uehiculum non est naturalium facultatum, cùm nu=triendi uis cuicunq; parti insita sit: dicimus ad Gal. mentem quòd è uestigio cùm nostri corporis partes constructæ sunt, cognatas habent eas quas diximus uires naturales, et prop=terea ut eis à iocinore per naturalē spiritum deferātur opus non habent. At cùm earum essentia & natura permanens non sit, iurè præter id quòd à corde eis confluit, iocinore in=digent, quòd alimētum eis suppetat: est enim ipsum propter=ea altricis facultatis principium. Hoc alimentum, ut supra probatum est, non tantùm carnosis & solidis partibus, imò etiam innatis earum spiritibus suppeditare debet: ex quo di=stributo alimento conuenienti & simillimo, ut opus est, par=tium tum natura, tum uirtus, quæ in prædictis tribus consi=stit, potissimùm tamen in spiritibus, conseruetur. Naturalis ergo spiritus appellatur, non quòd naturalis potentiæ sit ue=biculum, sed quia ad ipsas partes distributus, alimētum præ=stans innato spiritui, quo præcipuè operationes naturales per=ficiuntur, ipsas facultates seruare ac in partibus custodire uidetur. Ex quibus dicta Gal. 9. method. primo & secun=do de arte cura. ad Glauc. & si pugnantia asserere appa=reat, cum his quæ primo de lo. aff. asserit, & lib. artis me=dici. concordari possunt. Nam licet insitæ sint partibus qua=tuor naturales facultates, quas ex propria earum essentia & natura perficiunt, præsertim spiritu eis insito, quia ta=lis natura seu essentia permanens non erat, aliquo indigue=

runt principio inter reliqua, quod idoneam alimenti materiam suggerens, tam carnosæ & solidæ, quàm insiti earum spiritus substantiæ essentiam ac naturam earum conseruaret, & per consequens uires ac naturales facultates earum quæ in his consistunt: hoc autem iecur est, hac ratione naturalis seu altricis facultatis principium, ac spiritum naturalem suppeditans, & quodammodo uim seu naturalem facultatem toti corpori distribuens. ut. 7. & 9. meth. et primo de arte curat. ad Glauc. sentire uidetur Galenus. suppeditatur deniq; ab hepate spiritus materia propriè & non naturalis facultas: uelut à cerebro animalis facultas & non materia, præterquàm ad oculos: et à corde pro caloris Symmetria conseruanda, utraq;, materia uidelicet & uis seu facultas princeps: nanq; principium nuncupamus, non modo quòd uim seu facultatem, uerùm etiam quod materiam suppeditat, ut patet. 6. de Hippocr. & Plato: Decre. Pariter ad Gale. auctoritatem libro artis medi. liquet responsio, nam neq; nos negamus quasdam partes à seipsis gubernari insitas à natura potentias habentes, à quibus reguntur: uerùm eas alimento non indigere alienum à ratione est asserere, cùm iecur ipsum toti corpori idoneam procuret materiam ad alimentum: nec eas innato spiritu carere quispiam dixerit, cùm in hoc earum potentiæ præcipuè essentiam habeant. Non immeritò ergo, cùm huic quoq; spiritui innato, alterum iecur pro eius alimento ac conseruatione naturalem pariat, eo indiguerunt, pro seruanda earũ partiũ natura. At si quispiam obiecerit non posse hunc ad eas peruenire, cũ uasa ad ipsas non perueniãt. Responsum uolo eas permanere non posse citra alimentum, conspicimus nanq; in dies

eas nutriri, quare ad eas illud deriuari necessum est, & si neq; uena eis inseri conspiciatur, prout Galen. asseruit. 3. de natu. faculta. circa fi. per quandam tamen quasi traditionē uel porrectionem (quam græci διάδοσιν appellant) alimentum ad eas transumitur seu transfertur. quare eò magis spiritui innato earum diffunditur naturalis pro eius alimento, quò tenuior ac leuior ē quàm reliqua sanguinis pars, quæ pro carnosa ac solida earum reficienda substantia trās funditur: quàmquàm patentes ductus non sint. Quod autem Galen. scriptum reliquit primo de lo. aff. asserens, quòd si partium essentia permanens fuisset, neq; arterijs neq; uenis indiguissent: uerùm quia nutrimento egent, seruareq; oportet intimi caloris temperiem, hanc ob causam & uenis & arterijs indigebant: nihil obstat quò naturalis spiritus dari non debeat, nam per uenas per quas carnosis & solidis partibus alimenti materia distribuitur, per easdem spiritibus ipsis innatis idonea diffunditur materia qua alantur, nec minus & spiritui uitali, ut diximus, quæ sanguinis in ipsis contenti exhalatio quædam est, purioris ac syncerioris substantiæ, quam substantiam, spiritum appello naturalem, Simillima existēns & pro innati & uitalis alimento: hæc ergo congrua fuit eorum spirituum uia (per uenas uidelicet) uelut & aliarum partium nutrimenti. Pro eo etiam quòd materia desit pro spiritus naturalis generatione, ut ipsi opinantur, ipsum negare ausi sunt. At nos cum ipsis assentimus, spiritum uitalem nec posse esse, nec esse spiritus naturalis materiam, immò è contrà hunc illius: uerùm cùm asserunt neq; sanguinem qui in iecore conficitur posse esse,

cùm is crassus ac turbulentus sit, longè dissentimus. Nam licet qui in iecore generatur sanguis ex propria eius carnosa parte, quæ rectius parenchyma dicitur, ac in uenis continetur crassior & turbulentior sit, quàm is qui in arterijs conspicitur: tamen negandum nequaq; erit ex eo posse naturalem generari spiritum, qui pari ratione à uitali declinat, qui in corde & arterijs continetur, uelut & sanguis. nam & proprio eius temperamento ac natura, peculiariq; cordis temperie, qua medijs arterijs participat, & si exiguæ sint, quia tamen seruant caloris in eo Symmetriam, ut patet. 4. de usu part. potest propterea proprijs suis uiribus utens quæ non minùs in eius spirituosa potissimùm parte consistunt alimenti materiam ad seipsum delatam assimilare, pro eius alimēto primò, secundariò uerò quod in eo redundat, uelut ipsi superfluum toti dispensans. In hac assimilatione quis negaret simillimam spiritui innato ipsius substantiam conficere, pro prædicti insiti spiritus custodia ac alimento hæc autem ab eiusdem sanguinis qui in eo conficitur exhalatione alia esse nequaquàm potest. Nàm hæc sexcenties dicta est, simillimam esse spiritui substantiam, ex sanguinis tenuiori ac sinceriori parte genitam. At quæ sufficiens est pro ipsius insiti spiritus alimento ab eo reponitur, quod autem redundat, ueluti & reliquum sanguinem ab eius parenchymate genitum, ad alias partes propellit tanquàm superfluum: qua ratione ipsum iecur in numero trium principiorum corpus dispensantium reponitur. Hæc est illa materia conformis ac simillima pro generatione ac alimento innati ac uitalis spiritus: qua de re non tantùm sanguis, qui in iocinore conficitur, idonea potest esse materia pro naturali in eo spiritu gene-


rando, uerùm & eius causa efficiens similis ac proportiona
ta pro eiusdem spiritus generatione ĩ eo reperitur. Spiritus
siquidem innatus eius, in quo eiusdem iocinoris natura præ
sertim consistit, qua ratione spiritus quoq; naturalis appella
ri meretur, ab ipso quoq; spiritus uim accipiens, ueluti & is,
qui à propria cordis natura & potissimùm ab eius spiritu
insito gignitur, uitalis, & qui à cerebro animalis dicitur.
adest ergo pro spiritus naturalis generatione iocinori abun
dans ac apta materia, nec minus & potens causa efficax.

Cùm autem nulla adsit in iocinore cauitas, ueluti in cor
de & cerebro, in quo posset naturalis spiritus generari, illũ
quoq; hac ratione negarunt. At nos dicimus quòd uelut in
eo uiscere pro sanguinis generatione natura magnum unum
sinum ueluti cisternam quandã nõ fabricauit, ne breuissimo
tempore in eo ad ipsum transmissus succus mansisset, ac in
sanguinis absolutionem transmutari non potuisset, raptus si
quidem ab impetu distributionis: & propterea ut diutius in
eo persisteret, ac perfectè alimentum alteraretur, ac in san
guinem mutaretur, machinata natura est trãsituum seu uia
rum angustias, quemadmodum in alijs locis hoc machinata
est: ut in uentriculo pyloron, in intestinis inuolucra, ante te
stes arterias & uenas inuolutas, in capite plexum retifor
mem. In quibus partibus cùm natura uoluerit diutius mate
rias morari, transitum ipsis difficilem molita est. ut tradit
Gal. 4. de usu part. Pari ratione nec pro spirituum natura
lium generatione talem in iocinore sinum natura non fabri
cauit, cùm materia eius diutius in eo non mansisset, tum quia
attingi minimè potuisset ab omnibus insitis iocinoris spiri
tibus, à quibus ipse naturalis gigni oportebat: Et propterea

aut prædicti naturalis spiritus generatio prohibita esset, aut deterior fieret. Non ab re ergo permanens diutius sanguis in tenuissimis iocinoris uasis, & perfecti sanguinis generationis causa fuit, & absoluti spiritus naturalis. Quinimò & in generatione animalis spiritus ex ipso uitali hoc idem natura machinata est, reticularem plexum constituēs, in quo diutius uitalis spiritus permanens ualeat perfectè in animalem transmutari. Sicut ergo ex iocinoris propria carnosa substantia seu parenchymate alimentum in tenuibus eius uasis detentum, potest perfectè in sanguinem uerti: sic ex eiusdem iocinoris insito spiritu tenuior prædicti sanguinis pars, diu in ipsis detenta, ualet in naturalem spiritum uerti. Accedit ad hæc, quòd nec ipse adeò lucidus & syncerus esse debebat, uelut animalis aut uitalis, sed quantùm uitalis ab animali deficit, tantū naturalis à uitali: ut possit ille æthereus, uitalis aereus hic (cùm uaporis similitudinem gerat) uaporosus appellari: non ergo deficit locus pro eius congrua generatione. Dum autem spiritum naturalem destruere conantur quoniam canalis aut meatus aliquis non suppetit, per quem ualeat ad membra deferri cùm genitus fuerit: satis admodum ad hoc Resp. patet. Nam ueluti per arterias à corde ortas uitalis spiritus ad membra defertur, ita & per uenas, à iocinore ortas, naturalis ad eadem membra pertransit. Et si dixerint in uenis eum contineri non posse, cùm unicam tantùm habeant tunicam: dicimus nos eam sufficere pro naturalis spiritus detentione: Nam cùm is non tenuis ac aereus sit, ueluti animalis ac uitalis, sed turbulentus ac uaporosus, utpotè ex crassioris sanguinis attenuatione seu halitu ge=

nitus, propterea dissipari, ac difflari per uenarum tunicas nequit. & cùm asserunt oportere insuper easdem tunicas pulsare, ueluti & arterias, non possum tantos uiros non mirari supponentes per hæc uerba, propterea arterias continuo motu agitari, quia spiritus continent, at hoc quantùm à Gal. mente alienum sit, quilibet lib. an sanguis in arte. natura contineatur, & .7. de Hipp & Plato. decre. percipere potest. quibus locis aduersus Erasistratum arterias, non propterea quòd spiritus in earum cauitatibus continent, moueri, scriptum reliquit, sed ob uirtutem à corde in tunicas ipsarũ trãsmissam. Nam ueluti substantiæ ipsarum initium cor existit, ita ab eo illico motrix facultas ad ipsas delegatur, quæ ipsi cordi innata est. At cùm innatus motus, distensionis uidelicet, iocinori non adsit, pariter nec uenis ab ipso ortis, & si spiritum naturalem in eo genitum contineant, haudquaquàm eo motu agitabuntur: cũ nec arteriæ propterea quòd spiritus sunt receptacula, distensionis & contractionis motu moueantur, sed quia talem suscipiunt in earum tunicis à corde facultatem, utpotè ab eo ortis: Sufficientes igitur canales ac meatus naturalis spiritus uenæ sunt, cùm & crassius eisdem naturæ is sit, nec propterea eas continuè distensionis motu agitari opus est, ueluti nec arteriæ quia spiritus uitalis receptaculum sunt, propterea mouentur, ut diximus. Vltimo loco quia nec aeri patere uiam conspicitur, ut eo ueluti et reliqui spiritus, is qui naturalis dicitur, nutriatur: hac quoq; ratione ipsum destruere conãtur. Cui responsum uolo quòd nec hæc nutritionis uia spiritui naturali deficit, nam ad simas eius partes arteriæ inseruntur, ut Gal. patet. 4. de usu part. non propter aliud nisi ut refrigerationem eis partibus

ſuppeditent. quem uſum & gibbæ hepatis partes quodam=modo ex continuo ſepti tranſverſi motu eis uicino ſuſcipi=unt. quod quidem abundans eſſet ſpiritui naturali in iocinore contento, pro aeris participatione. Nàm cùm craſſiuſculus ac uaporoſior, is ſit, ſanguinis potius exhalatione, quàm aere alitur, & præter hæc nemo unquàm negabit, apertiones orificiorum arteriarũ ad uenas, quas Græci ἀναστομώσεις appellant, præter alios, quos præſtant uſus propterea factas eſſe, ut reſpirationis ac pulſuum utilitas, non tantum cordi & arterijs, ſed cùm eis, uenis etiam diſtribueretur. prout decretum reliquit Gal. 6. de uſu part. per quas iecur quoque promptè & reſpirationis & pulſuum utilitatis particeps eſſe poterit. Per dictas ergo reſerationes poſſunt, & natu=rales ſpiritus in uenis & iocinore contenti, tanta aeris utilitate participare, quanta egent pro eorum alteratione ac alimento. Ex his ergo patet, quanti momenti ſunt eorum rationes, qui naturalem ſpiri=tum ad Galeni mentem pœnitus negarunt.



QVOD EXQVISITA TERTIANA AD GAL. SENTENTIAM IN GENERE ACVTORVM MORBORVM REPONENDA SIT.



AVD Iniuria medicorum plurimis hæsitare contingit num tertiana febris in acutorum morborum numero connumeranda sit. cùm & tertiana ipsa non uno modo dicatur, nec acuti morbi simplicis, ac unius tantùm naturæ in Hippocr. & Galeni doctrina esse reperiantur. Duo hæc igitur primam, atq; præcipuam dubitandi causam præbuerunt. Adde tertium, quia nec alicubi ferè compertum est Hip. aut Gale. de hac re certã proferre sententiã: Quapropter uolens ipse propositi quæsiti ueritatem indagare simulq́; (ab eorundem decretis non decedens) quid sentiam asserere, terminorumq́; primò exactam notitiam tradere, rationibus deinceps & prædictorum præsertim authoritatibus quam sentio ueritatẽ fulcire conabor, & demum quas aduersus in medium afferre consueuerunt dubitationes, soluere nõ grauabor: ut exinde irrefragabilis propositæ rei ueritas cunctis pateat.

De febre ipsa (quoniam eius essentia iuxta Gale. sententiam. 6. de morb. uulg. non secundùm Hip. modò ac præclarissimos medicos, sed etiam secundùm communem omnium hominum consensum, est præternaturam caliditas, maximè quidem in totum animal diffusa, sin minus aut omnino

uel in pluribus partibus uel in nobilissimis accensa) uelle nos modò, ut rem longissimis uerbis tractare uideamur, disserere, num eius caliditas fuerit eadem uel diuersa cum naturali caliditate, & si eadem, nunquid numero uel specie aut genere eadem, & si diuersa, quibus differant, pœnitus abstinere decreuimus: cùm & præter morem nostrum sermonē protelare opus esset, studiosisq; confusionem potius, quàm doctrinam pareremus, & quæ ab alijs sexcentis in locis prius tradita sunt, nulla exinde utilitate percepta, hic conscriberentur. Iure igitur hæc res Consiliatori, Gentili, Niccolo, ac huius classis alijs tractanda relinquatur. Tantùm cùm Gal. lib. de ca. morb. dicamus febrem esse totius animantis calorem immodicum: Vel, ut. 8. meth. med. asserit, febrem calorē esse adeò immodicè auctum, ut & hominem offendat & actionem lædat: Vel ut com̃. apho. 16. pri. lib. ubi febrem retulit esse conuersionem natiuæ caliditatis in igneā. Huius tria esse genera primo de diffe. feb. scriptum reliquit pro ratione triplicis substantiæ, quæ nostri corporis naturam constituit Hip. authore. quas substantias cōtinentia, contēta, & impetum facientia nominauit. Continentia, appellans ipsius corporis partes solidas, contenta humores, & impetum facientia spiritus: febrilis nanq; dispositio aliàs ex alio de prædictis incipit, prout una magis quàm altera substantia, ab una uel altera causa præter naturam, calorem suscipere parata est. In quacunque enim earum primùm suscipitur præter naturam caliditas, genus aliquod febrium constituitur: ut si in spiritibus diaria dicta febris generatur, si in humoribus, putrida, si in partibus solidis hectica gignitur: spiritus dico, humores, & partes solidas cordis & non

aliarum partium, cùm & si spiritus omnes totius corporis & humores uel solidæ partes præternaturam calfactæ sint, quæ uerò in corde continetur, non adhuc, neq; febris dici potest, neq; est: pro ut Gal. sexcentis in locis, præsertim eodem libro primo de diff. feb. testatus est. Ipsius nanq; cordis aliquam prædictarum substantiarum calfactam esse præter naturam opus est, si febris gigni uelit: spiritum uidelicet si diaria, humores si putrida, & partes solidas si hectica. Quãuis non semper prædictæ cordis substantiæ pro febrium generatione primò afficiantur oporteat: contingit nanq; sæpe numero, non in diaria duntaxat, ut spiritus alij primò calfacti sint præter naturam ut animales, aut naturales, uel uitales illi qui in arterijs continentur, ex quibus deinceps ad eos pertransit, qui in corde continentur, quo tempore & diaria febris constituitur. Quem admodum de ea diaria, quæ ex inguinum inflammatione, æstu, uel frigore ortum habet Gale. scriptum reliquit primo de dif. feb. ac primo de arte cur. ad glau. & ea quæ ex cruditate excitatur. 8. meth. meden. ex his nanq; causis alij spiritus primò præter naturam caliditatem suscipiunt, demum per consensum ad eos qui in corde continentur transfluens diaria generatur febris. At si ex ira diaria febris excitetur, hi qui in corde spiritus continentur, primò afficiuntur. uerùm hoc idem obseruare licet in putridis febribus quotiens putrescentes succi aut intra uasa continentur, uel in una eius determinata parte aut inflãmationem parientes, uel citra phlegmonẽ in ea, ueluti in fosco quodam detenti, febrem efficiunt. Nam cunctis hisce modis putrida febris generari potest Gal. teste 11. meth. med. Hi nanq; putrescentes succi, primò præter naturam calidi

tatem excipientes, ijs qui in corde continentur humoribus, de inde impartiunt, ac proinde febris generatur putrida. Quo fit, ut in hac febre ea pars primò afficiatur, in qua putrescēs succus continetur, aut inflammatio oritur, ex qua cor demū simul afficiatur, oportet, dico secundum humores eius, quo modo de diaria quoq;, de qua suprà narrauimus existimandum est. Pari modo de hectica febre dicēdum erit, nā hæc interdum fit, præternaturam calore, primò partes solidas, iecinoris uidelicet uentriculi, aut renum, uel aliarum partium, depascente, & demum ipsius cordis: quo tempore hectica febris dicitur, ut Gal. uisum est. 10. meth. med. licet igitur nullum febrium genus generari ualeat, nisi cordis substantia aliqua in calfactio esse, posita sit, ut spiritus eius in diaria, humores in putrida, & solidum corpus in hectica: non tamē perpetuo, indictarum febrium generatione prædictæ cordis substantiæ, primò afficiuntur, neq; ipsum cor, sed sæpenumero euenit (uelut in singulis febrium generibus ostendimus) ut affectis spiritibus, uel humoribus, aut partibus solidis aliarum partium primò, ad eas, quæ in corde sunt substantias, communicata affectione, febris pro ratione substantiæ diuersæ, præter naturam calfactæ, generetur. Hoc tanquam ualde necessarium ac utile pro dictarum febrium curatione, nec à quàmplurimis hoc sæculo obseruatum præter mittere nolui: cùm eam partem quæ primò afficitur, omnino inuestigandam esse, pro optima cuiusq; uitij curatione Gal. ubiq; præcipiat. 2. præsertim & . 3. lib. de lo. aff. ei nanq; auxilia adhibenda sunt, ut morbus curetur. Curationem uerò pro ratione diuersæ partis affectæ, uariandā esse. x. meth. med. Gal. edocuit, dum de hectica uerba faciens asserit, alia

debere remedia adhiberi si cor, alia si iecur uel uentriculus aut renes primò afficiantur, alijsq; partibus topica remedia applicanda sunt, nam semper ei quæ primò affecta est. Hoc etiam in putrida & diaria febre obseruandum est, saltem pro topicis applicandis remedijs, qua ratione tot tantáq; topica remedia, pro curandis febribus deseruientia, inuenta fuerunt. Non enim indistinctè partibus applicanda sunt, prout maior medicorum pars hisce temporibus consueuit: Sed ut cognita parte quæ primò afficitur, eidem cùm opus est adhibeantur: non tamen propterea ipso corde, tanquàm in febribus aut per essentiam aut per consensum necessariò affecto, ac membro existente principi derelicto: sed ipsi semper in febribus succurrendum quoq; fore censemus, uerùm non ut perpetuò eo primò affecto, ut malè quidam sentiunt, asserentes in febribus semper eam primam partem affectam esse. Nam neq; in diarijs nec putridis aut hecticis sempiternæ ueritatis esse suprà ad Gal. mentē ostendimus. Interest itaq; medici exquisitè in qualibet febre partem, quæ primò afficitur, dignoscere, ut ei etiam primò curatio dirigatur: nec in omnibus indistinctè asserendum esse (ut ex his quæ diximus constat) cor primum esse semper quod afficitur, ut nostro æuo maior medicorum pars uno ore fatetur: semperq; de eo sollicitos nos esse debere, utpotè quòd princeps membrum existat, necessarioq; in cuiusuis febris generatione afficiatur, licet non semper primò. In numero uerò febrium, quæ quidem ex humorum putredine consistunt, tertiana existit: neq; enim magnus earum numerus est, ut Galen: inquit 2. de crisibus & 2. de differ. feb. sed omnes tres existunt, biliosa uidelicet, melancholica, & pituitosa, hoc est tertiana

quartana & quotidiana. Harum uerò cuiusq; differentia duplex existit, intermittens uidelicet, & continua, ita ut omnes simplices febrium putridarum differentiæ sex numero sint: quàmuis aliquæ aliæ differentiæ illis accedant, ex humoris. s. copia, quantitate, & qualitate putredinis, modò motus, & parte in qua humor putrescit, ut idẽmet Gal. testatur co. 2. de diffe. feb. Et ut ad tertianam ueniamus, de qua uerba facturi sumus, alijs derelictis, præter id quòd quædam est continua, sic dicta nomine generis, (multas tamen circuitiones particulares continens & non unam tantùm, sicut uera continua, quæ continens dicitur febris, cuius omne tempus una accessio est ab initio usque ad finem, siue ea æqualis persistat, aut paulatim decrescat, uel paulatim crescat,) quædam uerò intermittens seu ad integritatem desinens: ipsam intermittentem, quæ tertio quoq; die infestat, pro ratione diuersæ longitudinis uel breuitatis accessionis eius & intermissionis, uarijs nomenclaturis appellari apud Gal. inuenio, cùm. 2. de diffe. feb. tum primo, & 6. de morbis uulga. Nam cui & accessionis tempus breue est, & initium cum rigore, & cum sudore solutio, bilisq; uomitu, uel etiam inferne aluo biliosa deijciente, huic exquisita tertiana nomen inditum est: cui autem horum aliquid deest non amplius exquisita, sed tertiana simpliciter uocatur: Verum si & intermissionem minorem habuerit, scilicet accessione, tertianam hanc productam nominare licet, tametsi hæc maioris minorisq; ratione differentiam magnam obtineat, cum & magis productam unam, admodum productam aliam, & maximè seu plurimum productam reliquam nominet. Verùm eas hoc modo diffinire quodammodo obscu-

rum est, cùm & recentiores medici de eis quotidie certent atq; contendant, ne id quidem agnoscentes, se de nomine contendere: talem igitur nominum subtilitatem quærere necessarium medicis non est, cùm & rectè curare tertianam ualeant, ac eius euentum præsentire, inspecta tantùm accessionis & intermissionis longitudine, & spetie seu forma eius, quæ in ipsis tertianis uariari contingit, uelut in alijs quoq; febribus per circuitum repetentibus, aut ex parte redundantis succi, & hoc uel quantitate uel qualitate ipsius: Nam uelut copiosior bilis longiores, pauca breuiores efficit accessiones: sic tenuis quàm crassa breuiores, crassa uerò quàm tenuis longiores parit. Vel uirium ratione, nam uirium robur breuiores, eæ uero imbecillæ multò longiores accessiones efficiunt. Totius quoq; corporis constitutio causa est ut interdum breuiores, sæpenumero longiores fiant accessiones. Corpus nanq; rarius quantùm in se est breuiores, densius autem longiores efficit· facultas nanq; ualida promptiùs à se expellit id quod alienum est, corporis autem raritas minimè detinet id quod effertur. quo circa ita affectis cito euacuari excrementum necesse est, si etiam alia similia existunt. Pari ratione quibus èconttrario corpus afficitur, ijs necesse est longiorem esse excrementorum excretionem, debiliter expellente facultate, detinente autem ea quæ efferuntur meatuum angustia ac corporis densitate: omnibus autem prædictis insimul concurrentibus aut breuissima aut longissima accessio fit. Nam ob paucitatem, bilisq; tenuitatem, robur uirium, & uiarum amplitudinem, breuissima fit accessio: longissima autem ob copiam, eiusq; crassitiem, uirium imbecillitatem, meatuūq; angustiam, seu corporis densitatem. Si uerò prædicta

rò prædicta omnia haud concurrant, sed eorum quædam, pro cõmunicantium causarũ diuersitate, accessio magis uel minus longa erit uel breuis, in medio longissimæ & breuissimæ non paruam secundum magis & minus differentiam suscipiens. liquet igitur ex his tertianæ accessionem propterea non semper esse æqualem, quia non perpetuò eadem bilis copia, eiusdemq; substantiæ putrescit, nec in corporibus eandem semper constitutionem ac uires æquales habentibus: & propterea hæc inspiciens medicus, causam promptè inueniens longitudinis uel breuitatis accessionis eius, ritè eam curabit, eiusq; finem prænuntiabit, etiam si quouis nomine ipsam appellet. At ut clarior nostra euadat oratio, quia singulis tertianis iuxta Gal. doctrinam suum cuiq; nomen imposuimus, prout magis uel minus earum accessio prolongatur, cùm sermo noster de ea erit tertiana, cuius accessio duodecim horas non pertransit, quæ maxima est eiusdem accessionis longitudo, eam uel exquisitam tertianam, uel absoluto sermone simpliciq; appellatione, tertianam nominato, prout & græcorum consuetudo est altero duorum modorum indifferenter eam appellare, ut sexcentis in locis præsertim Cõmento apho. 59. 4. li. testatur Gal. Cuius insuper differẽtiæ, quædam ex longitudine & breuitate accessionis eius ortum habent, eius nanq; accessio interdum usq; ad duodecim horas prolongatur, sæpenumero ad decimam, & quandoq; ad sex uel octo tantùm, uel etiam ad pauciores: prout dicta flaua bilis ex qua excitatur in maiori fuerit uel minori copia, crassioris uel tenuioris substantiæ, ac in corporis dispositione rara uel densa, & uires robustæ uel imbecillæ fuerint. Verùm quoniam hæc tertiana de numero est morbos

rum qui per circuitus repetunt, quærendi propterea occasio oritur, quamobrem febres quædam (in quarum numero tertiana est) per circuitus repetant. Huic Gal. 2. de diffe. feb. paucissimis uerbis satisfacere uidetur, nam circuituum repetitio, inquit, aut oritur ex fluxione quæ ex robustioribus partibus ad imbecillimas fit, cùm uidelicet in aliqua parte excrementum ex quauis causa generatur, demùm eiusdem partis expultrice facultate ualida existente reseratis uijs, ac eodem excremento non admodum crasso nec multo existente ad alias transmittitur, ac ex illis ad alias quoad ad unam quandam deueniat, quæ cunctis alijs imbecillior sit: quò loco decumbens, præter naturam calfactum ac putrescens febrem excitat, tantoq; tempore per circuitus repetit quanto eædem dispositiones in mittentibus & suscipientibus partibus permaneant: Interdum etsi pars quæ excrementa transmittebat amplius non mittat, qua ratione neq; ab alijs suscipiat, remanet tamen in ea parte quæ prius excipiebat imbecillitas quædam, quo fit ut febris oriri possit quoniam sibi ipsi excrementa generat etsi ab alijs non excipiat, uelut si ea ab initio imbecilla fuerit sibi ipsi excrementa generans eaq; expellere non ualens, cum imbecilla ea sit, excrementum uerò fortè multum aut crassum uiæq; obseratæ, fit ut sibi ipsi initium febricitandi afferat, seruabiturq; non minus eiusdem febris circuituum repetitio quoad in prædictis partibus similes dispositiones permanserint. Accidit & tertio quòd quædam partes nec ab alijs suscipiant excrementa, utpote nulla existente parte quæ ea transmittat, uerùm præternaturam affectæ, ut cùm supra modū calfiant, aut doleant, ad seipsas excrementa trahunt, proinde

fit ut ubi putrescant qui trahuntur succi febrẽ excitent. hoc modo fluxione orta tam si corpus plenum sit excrementisq; refertum, quàm si eisdem uacet, admodũ tamen larga existente fluxione ubi plenum, pauca uerò ubi excrementis uacet: nec secus tandiu per circuitus repetet dicta febris, quã diu calor aut dolor in eisdem partibus perseuerantiam habeat. Tribus igitur modis iuxta Gal. sentẽtiam. 2. de dif. febr. quæuis putrida febris generari potest, quæ per circuitus redit, quàmuis interdum eueniat quòd non una tantùm sed plures prædictarum causarum communicent in febrium putridarum generatione, quæ circuitione fatigant, ut puta fluxio in aliqua parte ab alijs mittentibus excipiatur, & eiusdem adsit imbecillitas, ita ut non tantùm suscipiat sed & sibi ipsi excrementa generet, quibus in ea parte putrescentibus si febris gignatur, duplicem habebit & generationis & per circuitum repetitionis causam, prout Gal. 2. de diff. feb. scriptum reliquit. Causæ igitur quòd febres quædam per circuitum repetant, ac quiuis alij morbi tot ac tales sunt At quòd ad integritatem aliquæ earum accessiones desinãt, non difficile est inuenire, nam cùm prioris accessionis tempus adeò breue fuerit, ut priusquàm secunda incipiat, iam prima desierit, medium interuallum inter secundæ accessionis principiũ et prioris finem totum sine febre existit: at ubi secunda prius incipiat quàm prior omnino soluatur, nihil harũ medium relinquitur quarè ad integritatem nõ desinet. quærimus itáq; nos de ea tertiana febre nunquid sit morbus acutus, quæ tertio quoq; die per circuitus repetens eius accessio duodecim horas non petransit, quod tempus longissimũ est, omninóq; intermittit: eam pro clariori doctrina indifferens

ter aut absolutè tertianam, aut cum additione exquisitam quò ab alijs differat, nominabimus. Hæc causam habet flauam bilem superabundantem in toto corpore latam ac motam, quo fit ut in ea uehemens fiat rigor, bilis superueniat uomitus aut alui deiectio biliosa, urinæ ac sudores biliosi, ab acutissimis continuis maximèq; adurentibus febribus hoc tantùm discrepans, quod in illis biliosus succus unà cum sanguine intra uenas contineatur, in hac per totum corpus defertur, ac per singulas eius partes disseminatur, distãt ergo hæ febres inter se locis tantùm, in quibus superfluus contrahitur humor, conueniunt uerò in causa, utraq;.n. à flaua bile gignitur, ut Gal. inquit. 2. de crisibus, pri. de morbis uul. com. apho. 59. 4. lib. & sexcentis alijs in locis. Num autem hæc & quælibet alia febris interdum Symptoma & non morbus dici & esse possit, adeò quòd ut uulgus medicorum asserit febris accidens & non morbus dicatur, non minimã difficultatem habet, cùm apud Gal. compertum sit nonnunquàm febrem Symptoma nominare, præsertim cùm inflammationes sequitur, ut patet commento apho. 44. 6. lib. cùm de ea febre loquitur quæ ad inflammationem uesicæ consequitur, asserit enim eam esse casum eiusdem inflammationis, & . 3. de lo. aff. de febre phreniticis orta inquit, eam unum quoddã Symptoma seu casum censeri cerebri dispositionum: idem quoq; fateri uidetur & primo de arte cur. ad Glauc. circa finem, & secundo eiusdem circa principium, & primo de diff. feb. circa finem cùm de diaria disseruit, quæ ex æstu uel frigore ortum habet, febrem dixit interdum esse Symptoma solius in capite dispositionis, prætermittendo pro nunc ea quæ scripsit com. apho. 66. & . 73. quarti lib. et. 43. sep-

timi lib. cùm ad mentem antiquorum & non iuxta propriã sententiam illud conscripserit, uelut liquidò cuilibet eius scripta inspicienti patere potest. At nos prædictis haudquaquàm obstantibus cum eomet Galen. indubitanter affirmare audemus nullam febrem quouis modo genitam posse nec dici, nec esse symptoma, sed semper, quæcunq; ea sit, morbus est & dicitur: illud tantùm animaduertentes in eiusdem Gal. doctrina quòd cùm de Symptomate bifariam loqui possimus, generatim. s. & spetiatim sumpto, ut patet libro de diffe. Sympto. quando dicimus febrem nõ posse dici nec esse Symptoma, de eo intelligendum erit speciatim & non generatim dicto, nam neminem præterit non febrem tantùm aut quemuis alium morbum, Symptoma dici posse generatim sumptum, sed & morborum causas, & uniuersaliter quicquid præter naturam corpori accidit, siue morbus sit, siue causa, siue Symptoma propriè dictum fuerit: uerùm de eo symptomate intelligendum erit, quod spetiatim sumitur, hoc autem trifariam distinguitur à Gal. eodem libro de diffe. sympto. aliud nãq; affectus nostri corporis est, aliud functionum noxa, & reliquum excrementorũ ĩmodica excretio aut suppressio. Quo supposito tanquàm uero, Gale. decreto quòd quæuis febris perpetuò morbus sit & non symptoma sumpta ipsius morbi definitione quæ à Gal. non modò lib. de diffe. morb. & symptο. uerùm sexcentis alijs in locis conscribitur absq; ulla difficultate probari potest. nam cùm morbus sit præter naturã affectus, à quo primò actiones impediuntur, febrisq; perpetuò huiusmodi sit, semper enim functiones per se primò lædit, necessariò sequitur semper esse morbum. Ad hæc si omnium medicorum consensu febris essentia est præter natu-

ram caliditas in totum animal effusa, uel ĩ plurimis, aut sal tem nobilissimis partibus accensa, ut. 6. de morbis uulg. Ga. testatur, ergo perpetuò morbus erit in intemperie, uelut ipsemet libro de diffe. morb. sentit: hæc autem intẽperies uniuersi febrium generis est calor eod. teste. 11. meth. quo fit ut frigidis semper curetur tanquàm contrarijs ei existentibus: Erit igitur quæuis febris semper morbus ĩ intemperie eáq; calida, talis nanq; est eius propria essentia, ut diximus. Rursus si symptoma sit febris spetiatim sumptum, cùm id triplicem habeat differentiam, necessariò in earum aliqua reponi deberet: at quòd in nullo Symptomatum genere ea collocari possit facilè deducitur, cùm nec in genere noxæ functionum esse poterit, nam ipsa per se primò functiones lædit & non est aliqua functionum noxa, ut patet per omnes functiones discurrenti: nec in genere affectus corporis connumerari poterit, cùm hæc Symptomata functiones non offendant nec per se primò: uerùm febris ipsa est quæ per se primò functiones lædit: In genere autem retentorum uel excretorum immodicè quis adeò erit insulsus ut febrem reponat? nemo inquàm, & si per cuncta excremẽta discurrat: Cũ igitur in nullo Symptomatum genere reponi febris ualeat, relinquitur ut nullo pacto quocunq; modo ipsa oriatur Symptoma propriè dictũ appellari possit, sed semper morbus in intemperie eáq; calida. Et si qui eam quandoq; morbum, interdum Symptoma appellant, id faciunt quoniam febris essentiam atq; propriam naturam ignorant: nec minus, eos præterit quibus morbus à Symptomate distet. & propterea unum cum altero cõfundunt. Quòd si Galenus præcitatis locis & alijs quibusdam interdum febrem Symptoma

alicuius præter naturam affectus appellarit: non propterea illico febrem esse Symptoma dicendum erit spetiatim dictũ, cùm hoc & eius doctrinæ, et ueritati satis pugnet, ut supra monstratum est. Sed attendendum Symptoma nomen græcum à græco uerbo συμπίπτω deductum apud eosdem græcos nonnullas habere significationes: nam uelut uerbum ipsum συμπίπτω significat quandoq; contingo, concido, interdũ incurro, cõpeto, cõsequor &c. sic Symptoma id quod contingit, concisionem, concasum, incursum uel alicuius rei assectã significat: Quo fit ut cũ Symptoma dixerit febrem esse alicuius dispositionis præter naturã, nil aliud uoluisse intelligere, quã eã contingere cũ dicto affectu, uel eiusdẽ esse asseclam, seu ad eũ consequi, ut dilucidissimè constat ex eius uerbis in fine primi libri de arte cur. ad Glauc. et principio secundi cũ de febribus quæ inflãmationibus accidunt seu cõtingũt uerba facit: Illud quod nec ignorauit doctissimus Leonicenus, qui hoc modo nomen illud Symptoma lib. pri. de diff. feb. iuxta finẽ interprætatus est, cũ dixit Eorũ uerò nonnullis febres solũ capitis dispositionẽ consequi, & non dixit eiusdẽ dispositionis esse Symptoma, uelut Laurẽtianus, quod parũ doctis non parui erroris causa esse potuit, prout quibusdã usq; ad nostra tẽpora fuit. Febrẽ igitur aliquã esse Symptoma propriè & spetiatim dictum tanquàm erroneum in Gal. doctrina, à ueritateq; ualde alienum quiuis asserere caueat Nam qui arbitrantur interim eam symptoma censendã esse ob id sunt accusandi, ut Gal. inquit lib. de diff. morb. ꝙ nõ expectãtes donec ab alijs confutẽtur ipsi seipsos reuinciũt ꝙ si illud repiatur cõscriptũ, mõ quo exposuimus erũ ĩ

tellligendum, nisi fortè Galenus ad aliorum mentem loquatur, ut in quibusdam prædictorum locorum patet. erit deniq; propterea tertiana febris morbus: nùm uerò acutus uel non acutus nondum liquet. Pro huius dilucidatione animaduertas oportet Gale. tertio prognost. scriptum reliquisse duas esse temporum præfinitiones in morbis, qua ratione acuti aut diutini dicuntur, qui quidem sic ab eo sæpenumero illustrioris disciplinæ gratia nominantur: uerùm cùm non duæ tantùm re uera morborum differentiæ sint, sed per multæ admodũ, iccirco nec eos laudat secundo de diebus decreto. qui duas uniuersas morborum species ponunt, neq; utranq; deinde diuidunt, nec illos probat qui tot esse dicunt quot dierum decretorium circuitus: acutos propterea sub hac ratione subdiuidẽs eodem loco asseruit quosdam acutos esse, quosdam uerò per acutos iterum peracutos subdiuidit in exactè peracutos, qui quartam diem attingunt, & peracutos non exactè, qui ad septimam usq; producuntur. deinceps inter acutos ait alios esse exactè acutos qui usq; ad decimam quartam producuntur, alios non exactè qui usq; ad uigesimam durant, quanquàm & hi quoq; acuti sint: est insuper aliud morborum genus quod ex delapsu acutum, ad quadragesimã usq; diem peruenit, ita uocatum quòd acuto quodam imperfectè iudicato intra diem uigesimum, deinde uehementia eius confracta, reliquum eius intra quadragesimum diem dissolui consueuit: nonnulli autem statim ab initio uelut prohibiti tardèq; moti & nullam interea subitam mutationem moliti, ad quadragesimum diem producuntur: duplex autem horum quoq; natura est, uel enim accessionum remissiones in integritates finiunt, uel cõtinua febris semper perdurat, tales etenim (ut ipse

asserit) acutorũ morborum naturæ adhærere uidentur. iam alij manifestò sunt utiq; diuturni, qui iterum pro diuersa secundùm tempus eorũ præfinitione diuersas habere possunt species seu differentias, quas omnes, in uarijs tamẽ locis, Hippo. in omnibus admirandus conscripsit, ab ipsis euidentibus sermonem capiens. Exactè nanq; peracutorum memoriam habet apho. 7. primi libri dum dixit. Vbi morbus peracutus est, statim extremos habet labores & extremè tenuissimo uictu utendum est. per extremos labores, ut Galeno uisum fuit, intelligens accessiones & casus omnes maximos atq; uehementissimos, cùm in ipsis statim morbi incidat uigor, in primis uidelicet eius diebus, hoc est circa primos quatuor dies, uel paulò ulterius: in quo morbi summo uigore prædicta duo maxima ac uehementissima fiunt, accessiones scilicet, et casus uniuersi: peracutorum autem non tamen exactè libro primo de ratione uictus in morbis acutis sub his uerbis meminit. Sorbitionem dare oportet neq; multam, neq; crassam, sed post septimam uel nonam si ualidus sit. & iterum Quibus utiq; uel quinto, uel septimo, uel nono fieri debeat morbi iudicatio &c. at de exactè acutis in aphorismo. 23. secundi lib. sub his uerbis scripsit. Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur. acutorum uerò non exactè tertio prognost. oblitus non fuit, cùm inquiat. Itaq; primus impetus hunc in modum finitur, secundus uerò ad septimum producitur, tertius ad undecimum, quartus ad decimum quartum, quintus ad decimum septimum, sextus ad uigesimum. Hi ergo ex morbis acutissimis per quatuor ad uiginti ex additione terminantur. Et eorum qui ex delapsu siue decidentia acuti nominantur primo prognost. mentionem fecit, dum talia pro-

tulit uerba. Spirationis facilitatem existimari oportet perq; magnam uim habere ad salutem in omni morbo acuto qui cum febre infestet, & quadragesimo die, iudicetur: quin etiam sexagesimi, octuagesimi, & centesimi rursus primo de morb. uulg: meminit, & aphorismo. 28. tertij libri scriptum reliquit nonnullos puerorum affectus diebus quadraginta finiri, quosdam septem mensibus, reliquos septem annis, nonnullos uerò ad pubertatem usq; peruenire, quæ omnia simul ad clariorem disciplinam & ægrorum usum admodum utilia sunt, etenim sua cuiusq; uictus species est. At quoniã medicorum plurimis, qui ex sola temporis præfinitione morbos diffiniunt, aberrare contingit, non tantùm circa eorum appellationes, uerùm & rerum quoq; ipsarum dignotiones cõfundunt: nam paruas & à periculo remotas febres diarias ex frigore quodam seu, æstu, uigilia, ebrietate, uel ira aut alijs similibus causis ortas, & si circa primos dies terminẽtur, nemo tamen uel idiota uel medicus peracutas febres seu morbos peracutos uocare consueuit: nec secus morbum aliquem cùm segni lentoq; motu cum interuallis à febre remissis si usq; ad quadragesimũ extẽdatur nemo sanæ mẽtis acutum ex decidentia nominauerit: nec si in decimoquarto finit acutum nuncupabit: quos tamen, si nudas temporis præfinitiones obseruarit, acutos uel peracutos eos appellare cogetur. propterea Galen. 2. de diebus decre. Archigenem laudabat, qui non solis nudis temporibus, sed motu, & natura magis acutum uel peracutum morbum appellauit, cum talem esse asserens qui propter motus uelocitatem periculosus existit: quapropter lucidissimus Gal. cunctos qui in hac re prouenire potuissent errores euitans, eodem loco dicebat, ui-

dies igitur nos, cùm solutio interdum eandem temporis præfinitionem habet, uel acutum morbum uel non acutum nuncupare: eodem modo quandoq; alium acutum alium diuturnum ipso solo motu distinguentes: contingit nanq; morbos quosdã quarto, septimo, decimoquarto, uigesimo uel quadragesimo die terminari, qui non statim acuti uel peracuti dicendi sunt, nisi eorum motu priùs obseruato, hic si celer seu uelox fuerit, sic appellandi sunt, iuxta Galen. sententiam: sin autem segnis & lentus nullo pacto acuti dicendi, sed alio nomine nuncupandi sunt etiam si intra terminum acutorum(ut diximus) finiant. Quare ex motu præsertim, & non ex tempore tantùm, morbos præfiniri iubet Gale. ut tertio de diebus Decreto, circa finem decretum reliquit: Nam qui breui tempore terminatur morbus, non autem celeriter mouetur, ut diaria febris, hũc græci βραχυχρόνιον hoc est breuis tẽporis morbum, non autem acutum appellant. huic contrarius est quem græci πολυχρόνιον, nos diuturnũ siue longi temporis morbum appellamus, siue quomodocũq; aliter quis uocare ipsum malit. At acutus morbus licet omninò brachichronius quasi exigui temporis sit, non tamen hac ratione acutus nuncupatur, sed propter eius motus celeritatem acutus dicitur. quia uerò ipsum celerrimè quiescere oportet, ut qui ad proprium finem properat(nam idem est celeriter moueri, ac ad terminum properare) erit propterea acutus morbus omninò & brachichronius hoc est exigui temporis: Propter motus ergo celeritatem acutus dicitur: quòd uerò diu morari(eo quòd celeriter mouetur) non potest, brachichronius appellabitur: ipsi uerò acuto morbo tardus

oppositus est, ut qui non celeriter sed segni & tardo motu moueatur: hic omninò polychronius non est, & si quilibet polychronius morbus sit tardus, accidit enim ut propter uirium robur aut corporis raritatem, paucitatem, ac tenuitatem humoris ex quo fit, interdum brachichronius sit: ita nec quilibet brachichronius acutus est, licet quilibet acutus exigui temporis omninò sit, febres namq; diariæ morbi sunt exigui temporis, non autem acuti morbi dicuntur, cum non celeri motu moueantur, neq; magni sint. Liquet igitur ex his quòd licet quilibet morbus acutus sit exigui temporis seu brachichronius, non tamen hac ratione acutus appellatur, sed talis dicitur quia celeriter mouetur uelociter. s. tempora eius propria pertransiens, ac ad summum uigorem properans: hac ratione is morbus ei opponitur qui tardus dicitur, quoniam segni & lento motu mouetur, & propterea unus ab altero iuxta Gal. sententiam solo motu distinguitur: quod quidem confirmauit. 6. de morbis uulg. cùm dixit. Acutos morbos dicimus, quicunq; propria tempora usq; in finem uelociter pertranseunt, & propterea non mirum si ijdem ipsi acuti morbi pro diuersa motus eorum celeritate magis & minus acuti dicantur, nam ubi statim circa primos uidelicet quatuor dies extremos labores habeat, in summoq; uigore consistat, talis morbus cùm uelocissimi seu celerrimi motus sit, exactè peracutus morbus dicetur: quòd si in septimo consistat die peracutus non tamen exactè nominatur, uelocioris quidem & ipse motus existens, non tamen adeò ut is qui in quarto, uel paulò ulterius consisteb it, si autem in decima quarta die casus uniuersos ac accessiones extremas habeat, & proinde in summo uigore consistat, simpliciter acutus morbus nuncu-

pabitur, celeriter quidem & ipse propria tempora pertransiens: uerùm non adeò ut qui in quarta uel septima consistebat. At si quidam morbi debiles ac parui circa primos dies existant, uerùm quarta aut quinta die continui uehementes, acuti, seu celeres fieri incipiant, aut sexto uel septimo die tales fiant, acuti sed non simpliciter dicuntur, ad uigesimum usq; diem uel decimum septimum iudicati: adeò ut morbi cõtinui acuties nunquàm possit plures quàm quatuordecim obtinere dies ut liquet comen. apho. 23. 2. lib. & propterea hi quoq; acuti sunt, quidam uerò celeriter à principio moti imperfecteq; intra diem uigesimum iudicati, deinde confracta eius uehementia reliquum eius intra quatragesimum diem dissolui consueuit, & propterea acuti ex delapsu seu decidentia aut acuti qui in quadraginta diebus iudicantur, appellari consueuerunt. Sola itaq; motus spetie acutus morbus quocunq; modo talis dicatur à diuturno, seu tardo distinguitur, iuxta Gal. doctrinam. 2. & . 3. de diebus decreto & . 6. de morbis uulg. cùm ille ueloci seu celeri, hic uerò segni & tardo motu moueatur, quamuis omnis acutus morbus exigui tẽporis sit ac celer, omnisq; diuturnus. i. longi temporis necessariò tardus: non autem è contra ut supra diximus. Proinde cum Gal. citra omnem ambiguitatem ac controuersiam audacter fateri audeo, tertianam febrem esse acutũ morbum, nec scio si quispiam uel idiota uel medicus reperiatur, qui hoc idem confiteri uereatur. Nam si apud eum acuti morbi solo motu à diuturnis distinguntur, & propterea hi acuti dicuntur quia propria tempora usq; in finem uelociter pertranseunt: quòd tertiana sit huiusmodi cunctis liquet. etenim celeriter mouetur, adeòq; uelociter propria tẽpora per-

transit, ut interdum suo motu celeri septem periodos non expectans (quod tempus ei longissimum est, ut patet aphor. 59. 4. lib.) neq; etiam ultra tertium progrediatur circuitum, uelut Gal. inquit. 2. de crisibus: quare erit tertiana febris morbus acutus. At si quispiam dixerit adhuc eam non esse morbum acutum, quæritur in quo morborum genere debeat reponi? non quidem inter polychronios, cùm hi multi tẽporis morbi sint, tertiana uerò exigui: non in numero eorum qui tardi appellantur, nam ea celeri motu, hi uerò tardo & segni mouentur: neq; brachychronius morbus dicendus erit, quia, præterquam quòd exigui temporis tertiana morbus sit, etiam celeriter mouetur, quod brachychronijs nullo pacto competit, hi enim pauci & breuis temporis sunt tantùm, non autem celeriter mouentur, ut est uidere in diarijs uocatis febribus: Qua de re cùm neq; brachychronius, neq; polychronius morbus tertiana sit, neq; tardus qui uerè acuto opponitur iuxta Gal. sententiam. 3. de diebus decretorijs: necessariò sequitur quòd in numero acutorum sit, nam præter has nulla alia repetitur morbi differentia apud eum. Quòd si hi morbi, qui celeriter iudicantur & ad suum uigorem celerrimè properant ac magni sunt, à Gal. in comento aphor. 19. & . 23. 2. lib. acuti dicuntur atque sunt, tertianam quis negabit acutum morbum & esse & dici, cùm celerrimè iudicetur, & magnus morbus sit? quòd autem celerrimè iudicetur cuiuis patet: magnum uerò morbum esse ei patebit qui quos magnos morbos Gal. appellat. 4. meth. med. cõsiderabit: Trifariam enim dicit morbum esse magnum, uel propter affectæ partis præstantiam, uel propter affectus magnitudinem, uel quia cacoethe. At tertiana non una tantùm ratione

magnus morbus dici debet, ut puta quia princeps pars in ea læditur cor uidelicet, cùm hæc cuiuis generi febrium communis sit, ac propterea quia febris ei hæc magnitudo aduenit, Galeno auctore octauo meth. med. uerùm & propter affectus magnitudinem morbus magnus appellari debet, est si quidem tertiana magna & uehemens febris: quare præter id quòd febris est, illi quoq; magnitudo adeò notabilis accedit, ut relatione aliarum febrium magna & uehemens dici possit, præsertim si ad diarias, hecticas, & putridas eas, quæ ex frigidis succis ortum ducunt, comparetur. Cùm igitur duplicem habeat magnitudinis causam, & non unam tantùm tertiana ipsa, celerrimèq; sua pertranseat tempora, ut prius diximus, iurè morbus acutus appellãdus erit, si quæ Gal. asserit comento apho. 19. & 23. 2. lib. de acuto morb. uera esse concedemus. Eodem quoq; com. apho. 19. 2. lib. duplicem fatetur esse acutorum morborum naturam cùm febre præsertim: nam uel in humoribus calidis solis, qui nullum obsedere locum sed æqualiter in omnibus animalis partibus apti sunt ex sua natura generari, uel loco aliquo patiente fiunt, ut in morbo laterali, pulmonis inflammatione, & angina, cũ ipsa tertiana ex calidis succis, biliosis uidelicet, generetur, (calidioribus existentibus cunctis alijs qui in corpore sunt, qui nullum obsedere locum determinatum sed per totum corpus deferuntur, ut patet. 2. de crisi.) quis adeò erit insulsus qui ipsã negabit esse morbũ acutũ secundũ primã saltim eorũ naturã? cũ Gal. huiuscemodi morbos acutos nũcupet, qui ex calidis humoribus solis generãtur citra aliquẽ determinatũ locũ patientẽ (quõuis nõ ipsis secundũ naturã se habẽtibus sed putrescẽtibus tertiana fiat) ut Ga. uisũ ẽ. 2

de crisibus, cùm dixit quòd febris acuta, uel aliquo humorũ putrescente, uel membro inflammationem patiente generatur. Verùm cùm nec pituita nec melancholicus succus putrescens acutas febres pariat, ut cuiq; liquet, ex his nanq; morbi longi seu diutini fiunt eodem Gal. authore com̃. apho. 19. 2. lib. sequitur quòd ex bile putrescente febris acuta generetur: qua de re tertiana febris acuta erit, cùm ex bile putrescente ortum habeat. Ad hæc quis unquam tertianã esse morbum acutum dubitabit, si Gal. uerba inspiciet & intelliget, quæ comẽto apho. 59. 4. lib. scripsit? sunt autem talia. Sicuti igitur in morbis cõtinuis acutorum quidem morborum terminus est quartusdecimus, peracutorum uerò septimus, sic in intermittentibus longissima tertiana febris terminum habet circuitum septimum: Rursus autem sicuti in peracutis morbus poterat iudicari quinto, quarto & tertio die, sic & in tertiana eisdem circuitibus fieri solutio potest non expectante natura septimum. Cùm igitur Gal. dixerit sicuti in morbis continuis acutorum quidem morborum terminus est quartusdecimus, peracutorum septimus: & demùm addidit sic in intermittentibus: quærendum est de quibus intermittentibus loquitur, de acutis uidelicet an de tardis & diuturnis. Nõ est dicendum de tardis & diuturnis cùm tertiana nõ sit huiusmodi, præter id quòd falsum esset illud quod asserit, longissimum. s. terminum earum esse circuitum septimũ, cũ multæ non exquisitæ tertianæ reperiantur, adeò tamen diuturnæ ut non modo ultra septimum circuitum protendantur, sed ultra decimum, uigesimum, & interdũ quadragesimũ. Nec ualet si dixeris, de intermittentibus brachychronijs eũ fuisse loquutum, quoniam & comparatio frustra esset, &

nihil

nihil utile concluderet Gal. in prædictis uerbis acutos morbos continuos cum brachychronijs intermittentibus comparans, qui alterius generis sunt morbi, præter id quod iam probatum est tertianam de numero eorum non esse. Quare uelis nolis fateri cogeris quòd de intermittentibus acutis loquatur cùm dixit, sic in intermittentibus longissima tertiana febris terminum habet circuitum septimum, tertianam ipsã exquisitam acutum morbum intermittentem nũcupans: quod insuper uerba eius sonant, nam cur prius oportuisset dicere sicuti in morbis continuis acutorum quidem morborum &c. frustra utiq; apposuisset uerbum illud continuis, sed satius fuisset dicere, sicuti in morbis acutis: uerùm quoniam percipiebat Gal. quòd in numero acutorum morborum comprehenduntur & continui & intermittentes, propterea utrosq; comparauit, significans quòd uelut se habet decimusquartus dies in acutis continuis, quia ultimus est eorum terminus, sic in intermittentibus acutis, ut in tertiana ipsa, ultimus terminus est circuitus septimus, quod enim in continuis una dies ualet, hoc intermittentibus accessio: & propterea tertiana poterit ante septimum circuitum iudicari ut puta in tertio, quarto, uel quinto circuitu, uelut peracutus morbus in eisdem diebus septimum diem non expectans, erit deniq; tertiana exquisita acutus morbus intermittens, si præposita Gal. uerba ueritatem contineãt. Rursus si uerum est biliosum semper acutos morbos operari Gal. decreto com̃. apho. 32. 7. li. qui tertianam negabit esse morbum acutum eius sententiæ ac ueritati ex aduerso pugnabit, cùm & ipsa ex bile ortũ habeat: quin imò si quis ualet ex syncera bile morbus gigni, ille præcipuus erit exquisita tertiana. At fortè dices

Gal. pro semper intellexisse ut plurimum, ut sensus sit uerborum eius biliosum semper, hoc est ut plurimum operari acutos morbos: possent fortè Gal uerba hoc modo exponi nisi usus fuisset aduerbio græco (ἀεὶ) quod nullibi compertum est aliud latinè significare quàm semper, quapropter hic pro semper exponere ut plurimum, siue magna ex parte pœnitus falsum ē, ut cuilibet qui græcas literas callet manifestò liquet. Erit itaq; ob id acutus morbus tertiana, quia biliosum semper acutos morbos operatur. Quòd insuper tertiana febris acuta sit, patet ijs qui Gal. uerba inspicientes. 6. de morbis uulg. ea intelligere uelint: nam textum Hip exponēs in quo febrium differentias conscribit super Hip. uerba, aliæ uerò acutæ, inquit Gal. de caliditate celeriter manui occurrente, suumq; ipsius uelocem motum ostendente te intelligere opus est. ex quibus uerbis constat quòd eas febres acutas Hip. & Gal. appellant, quæ sua caliditate celeriter manui occurrunt, suumq; uelocem motum ostendunt. Atqui tertiana huiusmodi est, ipsius nanq; caliditas non uelociter modò sed uelocissimè manibus occurrit, quod cum pateat ad sensum, alia probatione minimè indiget: tùm igitur quia suum ipsius uelo em motum ostendit, hacq; ratione eius caliditas celeriter manui occurrit, tum etiam quòd septenis circuitibus, quod tempus longissimum est, iudicatur Hip. authore aph. 59. 4. lib. erit tertiana febris acuta. Libro quoque. 8. de Hip. & Plat. decr. redarguens Plat. Gal. de causis generationis febris tertianæ atq; quotidianæ inquit, acutissimas & ardentissimas febres à flaua bile oriri & tertianā ex ardentium genere esse. at si tertiana ex genere est ardentium febrium, necessariò et acuta febris erit.

neq;.n.una ardens febris est quæ non acuta dici possit, ut in expositione febris acutæ patet. hoc idem confirmauit lib. de Palpi. trem. rigore & conuulsione dum dixit. tritæi quidem exacti si qua nota euidens sit est à rigore: quòd cùm uehementibus rigoribus inuadant paroxysmi, nullus autem uel non sanæ mentis febrem hanc in succo frigido fieri affirmet. cũ genere ardens sit. 2. c. Vides igitur quo pacto tertiana cùm genere sit ardens, acuta quoq; febris dicenda erit, nisi asserere audeas ardentem aliquam febrem non esse acutam, quod pœnitus Hip. et Gal. doctrinæ ac ueritati pugnat, nam quæuis ea sit ex calidis procreatur succis biliosis præsertim quorum natura est acutos morbos generare, qua ratione fit ut cùm ardens febris à Gal. dicatur tertiana, nõ minus & acuta dici debet, cùm enim ex bile ortum habeat febris utiq; erit multam & acrem habens caliditatem eodem teste. 4. de rat. uictus cuius naturæ acuta febris est. Amplius cùm quælibet continua febris idem habeat genus cum singulis intermittentibus, ut puta quotidiana continua cum intermittente, & quartana continua cum intermittente, & exquisita tertiana, ut decretum reliquit Gale. 2. de crisib. & cùm quatuor in uniuersum sint morborum genera ex motu & tempore distincta eo. Gal. teste tertio de diebus decr. duo uidelicet ex motu præcipuè, & duo ex tempore, de necessitate sequitur quòd in eo genere, in quo reponitur quælibet prædictarum continuarum febrium, in eodem & intermittens reponatur sibi correspondens, at cùm in genere acutorum morborum, acutarumq; febrium, quæ exquisita ardens est omnium consensu contineatur, in eodem quoque genere exquisitam tertianam contineri oportet, alias diuer

sum haberet genus ab ipsa exquisita ardenti febre, quod manifestè Gal dictis pugnat, præter id quòd in nullo aliorum genere contineri posset, ut superius ostensum est. quapropter optimè Gal. eodem secundo libro de crisibus dicebat, acutissimas maximeq; adurentes febres hoc solo à tertianis differre, quòd in his flauæ bilis humor in uasis unà cum sanguine continetur, in tertianis uerò, cum uehementer moueatur, per singulas corporis partes disseminatur, quàm uis in eo qui utrunq; facit morbum humore communicent: Idem est ergo earum genus, eadem ambarum causæ, ambæ ex necessitate acutæ secundùm magis & minus tantùm ratione locorum diuersorum discrepantes, qua ratione exquisita febris ardens poterit acutissima atque ardentissima nuncupari prout Galen. eam appellat, ipsa uerò tertiana acuta atq; ardens, prout ubiq; locorum eius uerba sonant. Nec minus tertianam esse acutum morbum ex his quæ Gal. secundo Prognost. asserit percipere possumus, quo loco discrimen afferens inter extremarum partium refrigerationem in diutinis morbis, & eam quæ in acutis accidit circa accessionum principia, duplicem naturam acutorum conscribens qui cum febre fiunt, unam cum inflammatione in uisceribus, & reliquam sine ea, dixit quòd in morbis acutis cum inflammatione propter inflammationis magnitudinem in uisceribus fatigantis, parùm sanguinis in omne permeat corpus, plurimum uerò eius in parte inflammatione affecta includitur, & ob eam rem licet extremæ partes frigidæ sint, mediæ tamen corporis partes quæ sunt thorax & uenter admodum calent. Horum morborum idemmet Gale. meminit comento aphorismi. 48. quarti libri, & primo septimi

libri eandem eorum afferens rationem. Demum subdit. at ue rò per morbos acutos interdum annotatio cum rigore præ- bendens aut refrigeratione, non solum extremas corporis partes sed etiam cutem circa costas ac uentrē frigidas red dit, ea quidem circa uiscera uitium non ostendit. Cùm ī hac uerborum serie acutorum morborum Gal. meminerit in qui bus annotatio cum rigore præhendit, quærendum ab eo de qua febre loquutus sit? non erit dicendum quòd de quartana quoniam licet cum rigore inuadat, inter diuturnos morbos connumeratur: Ergo de tertiaua, nam hæ duæ tantùm fe- bres cum rigore inuadūt: At si de tertiana quæ cum rigore inuadit Gal. intellexerit, cùm hoc proprium sit ipsius exqui sitæ tertianæ, quis audebit eam negare esse morbum acutū? Dicet fortè quispiam Galenum per rigorem horrorem uolu uisse intelligere: & propterea peracutam febrem cum rigo re præhendentem semitertianam significauit: quæ quidem ex Hip. sententia primo de morbis uulg. acuta est, aut de aliqua alia continua quæ cum horrore inuadit intellexit, pos- sunt enim quædam esse huiusmodi Hippocrate authore pri mo de morb. uulg. & Galeno primo de arte cur. ad Glauc. Huic obijci uolo nullibi Gal. per rigorem horrorem intelle- xisse, imò inter eos lib. 10. meth. med. & 2. de cau. sympt. discrimen non minimum conscripsit, asserens, rigorem prop ter multitudinem, ac excrementorum acrimoniam impetusq; celeritatem, cùm per sensibilia corpora ferantur, atq; ob la borantis uirium infirmitatem fieri: contrà horrorem excita- ri ubi & qualitas eorum & impetus uelocitas est remissa, cum etiam copia minor, ac uis naturalis tristanti obsistit: ex diuersis deniq; causis omninò cùm fiant rigor & horror,

nequaquàm poterit nec à Gal. nec ab alio quouis alterum cū altero confundi: qua de re nec de semitertiana Gal. dicta uerificari possunt cùm eius non tantùm, cum horrore præhendat accessio, imò horrifica sit, maiori scilicet accessionis parte ab horrore occupata, qui medium est rigoris & frigoris, nec de continuarum aliqua intelligi possunt cùm omnis cōtinua febris (ut idē testatur secundo de diffe. feb.) suaptenatura, si exquisita est, horrorem non habeat neque rigorem: quàmuis Hip. primo de morbis uulg. & Gal. primo de arte cur. ad Glauc. aliquam ex continuis febrem incipere posse cum paruo rigore affirmauerint, qui tamen rigores paucissimi ac minimi sunt, ut Hip. eodem loco testatur, quem Gale. exponens asseruit per paucissimos rigores Hippocratem horrorem uoluisse indicare: cùm nanq; scriptum reperitur paruus seu minimus, aut paucissimus rigor, possumus imò debemus horrorem intelligere, at non possumus si simpliciter rigor compertum sit. Cum rigore igitur retulit Gale. secundo prognost. annotationes peracutos morbos præhendere & non cum paucissimo siue paruo rigore: qua de re de horrore minimè intelligendum erit, sed de uero rigore qui non nisi in tertianis & quartanis, cùm earum accessiones inuadunt, conspicitur: at cùm nequeant eius dicta de quartana ueritatem habere, non enim est ipsa morbus acutus, necessariò de tertiana uerificabuntur, & propterea inter acutos morbos connumeranda erit. Vlterius si Hippo. primo de morbis uulga. semitertianam febrem appellat horrificam, continuam & acutam, cùm horrorem suscipiat à quotidiana & tertiana simul quoniam medium quoddam est inter tertianæ rigorem & frigus quotidianæ eueniens, cōtinua autem sit prop

ter quotidianam quæ continua est, quæret quispiā à qua istarum febrium acuitatē habeat? & nō erit dicendum quòd à quotidiana, nam ipsa inter tardos morbos ac diutinos cōprehenditur (etiā si continua sit) et non inter acutos, quoniā non est celeris motus, nec ab utrisq; simul uelut horrorem suscipit, nam quod ex sua natura quotidiana sola non habet, etiā cùm alteri coniūgitur ex se tribuere nequit, at acuitatē ipsa nequaquàm habet, cùm nec ipsa febris acuta sit, ut tum ex eius motu, tum ex eius caloris qualitate constat, ergo nec cū alteri febri copuletur acuitatem illi præstabit: relinquitur ob id propterea acutam febrem semitertianam dici, quoniā tertianam habet coniunctam, qua ratione fit ut si per eam semitertiana acuta febris dicatur, ꝙ ipsa quoq; tertiana febris acuta sit: congruum insuper erit cùm tria in se cōplectatur semitertiana, horrorem uidelicet, continuitatem, & acutiem, unum habeat ex quotidiana, continuitatem uidelicet, rel quū ex tertiana, acutiem scilicet, tertium uerò horrorem ab utrisque. Quæ omnia confirmare uidetur Gal. secundo de diffe. febr. dum inquit quòd ubi tertiana exuperat febris, magis erit horrifica semitertiana, & aliquid rigoris in accessione assumit, statim itaq; calidior talis est & ardentior, ac celeriùs peruenit ad consistendi uigorem. ubi uerò pituitosus exuperat succus, frigus extremarum partium exuperabit, & horror paruus erit, pulsusq; contractio fortior ac diuturnior est, & lentè accessio increscit, multoq; post tempore uiget, non tamen sitim efficit neque ardorem: & post pauca subdit, incrementum uerò post initium propter tertianam facilè suscipit caliditatem, atque ad consistendi uigorem festinat, propter pituitosum autem tardè, citiùs igi

tur aut tardius deuenit ad summum uigorem semitertiana, potissimùm quæ non exquisita est, p out tertiana magis uel quotidiana in ea exuperat nam exuperãte tertiana celeriùs ad summum rigorem accessio deuenit, statimq; calidior & ardentior erit talis febris at si quotidiana, & diuturnior erit lenteq; accessio increscet, & multo post tempore rigebit, ut ex prædictis Gal. uerbis constat: quo fit ut nullo modo acuta appellari possit semitertiana propter quotidianam, cùm ex ea oppositas pœnitus conditiones excipiat, tardum uidelicet motum, diuturnitatem, & neq; sitim neq; calorem causet: à tertiana uerò celeritatem motus, ardorem, caliditatemq; maiorem ac sitim suscipit, quæ omnia acutis febribus insunt: quarè cum propter tertianam, quam coniunctam habet semitertiana, acuta febris dicatur, & ipsa quoque tertiana acuta febris erit. Quòd si dixerit quispiam copulatam tertianam cum quotidiana quando semitertiana fit, non esse exquisitam sed notham: in idem incidet, nam nec acuta dici potest notha tertiana, nisi propter biliosum succum qui in ea redũdat, qui cùm sincerior sit in exquisita tertiana, quàm in non exquisita, acutior erit semitertiana quæ cum exquisita tertiana composita est, quàm si cum nõ exquisita componatur: & si cum non exquisita copuletur quotidiana, licet ab ipsa tertiana acuitatem habeat, quæ non exquisita est, præcipuè tamen eam acquirit, propter flauam bilem redundantem in ipsa tertiana notha, & non propter permixtionem alicuius alterius succi melanchonici uidelicet uel pituitosi: ex quibus, ut declarauimus in Gal. doctrina, diutini & non acuti morbi excitantur. Idem quoq; Hip. 3. Progn. tertianam morbum esse acutũ aperte ĩnuit nam cum de dolore capitis per si brẽ

acutā non exitiosā uerba faceret ait, hæc accidūt uiris et mu lieribus potissimū ī tertianis minoribus natu, ēt in illis magis uerò et in feb. continuis, & in ueris tertianis: tertianas itaq; absq; cōtrouersia hoc loco Hip. īter acutos dinumerauit morbos, est etenī liber Progn. de morb. acutis, ut ipsemet ī prīcipio dicti libri fatetur, et Gal. pri. de crisib. ac eodem lib. Prognost. confirmauit. At quid amplius in hoc tempus tere re opus est, diuersisq; rationibus & auctoritatibus ueritatē hanc fulcire tento, cùm ipsemet Gal. eam comento aphor. 29. tertij lib. apertissimè fateatur, quo loco cùm Hippocr. in aphorismo conscripsisset nonnullos morbos qui iuuenibus eueniunt inter quos febrium meminit acutarum, exponēs Gal. Hippocratis uerba inquit. cùm uerò non sat plenè de acutis febribus dixisset, neq; enim dicere simpliciter oportebat acutas. quæ & in pueris nihilominus fieri uidentur. sed ex acutis tertianas maximè & febres ardentes. hæ enim præ cæteris febribus sunt biliosissimæ & plurimæ iuuenibus accidunt, quoniam & flaua bilis hac ipsa superabundat ætate, in qua morbi tales in summo uigore consistentibus accidunt. per quæ uerba liquidò ostendit Gal. tertianam esse in numero acutorum morborum acutarumq; febrium: & reddēs causam cur ipsa & ardens febris plurimùm iuuenibus accidunt, dixit quoniam tertiana & febris ardens inter cæteras febres sunt biliosissimæ, bilis uerò plurima iuuenibus ratione ætatis redundat. Ex quibus uerbis colligo biliosas febres esse acutas omnes, & quantò biliosiores fuerint, tantò acutiores. At si quispiam forsan dixerit Gal. de cōtinuis tertianis & non de intermittentibus loqui, cùm dixit, sed ex acutis tertianas maximè: Ei responsum sit, nullibi comper-

tum esse apud Galen. per tertianam absolute prolatam intel lexisse continuam, ueluti neq; per quotidianam uel quartanam, sed perpetuò cum appositione continuam, ut in sexcentis locis patet, immò comento aphor. 59. quarti lib. asseruit non modò Hippocratis, sed omnium Græcorum consuetudinem esse, tertianam ipsam aliquando cùm adiectione exquisitam, aliquando simplici appellatione, tertianam scilicet tantùmmodò nominare, uelut ipse quoq; cōsueuit primo de morbis uulg. & secundo de diffe. feb. non duntaxat eam simplici appellatione nominare. Qua de re siquis uellet in prædictis Gal. uerbis per tertianas, continuas intelligere, non modò Hippocratis et omnium Græcorum consuetudinem euerteret, uerùm eundem Galenum destrueret eum non intelligendo, eiusq; dictis falsum omninò ac contrarium sensum tribuens: cùm igitur per tertianam absolutè prolatam in Hippo. & Gale. doctrina continuam intelligere omninò quispiā nequeat, eāq; dixerit esse Gale. acutum morbum, ac acutam febrem, uelut etiam fusissimè nonnullis rationibus probauimus, ualeant perpetuò qui eam non esse huiusmodi pertinaciter sibi ipsis persuaserunt, suam ipsorum opinionem quibusdam Gal. dictis fulcire cogitantes: quæ quo ueritas promptiùs pateat, in medium afferre ac exponere non piguit, simulq; eorum rationes, quibus ea tueri conantur soluere non prætermittam: interim Arabum principem, qui Galeni opinioni ac ueritati adhæret non prætercam, potissimum cum Galeni se esse interpretem fateatur. libro enim quarto fen. prima tract. primo capi. quarto, inquit & tertiana pura, & causon sunt de acutis non ualde: & eodem libro. & fen. tract. secundo capi. quarto dicebat, & tertiana quidem pu-

ra est acuta propter subtilitatem materiei, & eius caliditas est magna mordicatiua propter fortitudinem cholerae. Qui tamen tertianam contendunt non esse morbum acutum, hac prima ratione credunt id confirmare, de ratione nanq; morbi acuti si cum febre sit, inquiũt, est, quòd sit cum febre continua, sed tertiana non est huiusmodi, igitur non est morbus acutus. maiorem esse Gal. asserunt in cõmento apho. 30. quĩ ti libri, quo loco dixit: si enim sit cum febre morbus necesse est ipsum febres habere cõtinuas: talis enim est morbus acutus. Huic primò responsum sit, falsum esse, quòd de natura omnium morborum acutorum, etiam eorum qui cum febre sunt, sit: esse cum febre continua & cùm illud confirmant Galen. auctoritate dicimus, quòd uelut apud Hip. illud uerbum graecum ἀνάγκη quod latinè sonat necessariò non facit enuntiationem talem, quòd impossibile sit aliter se habere seu perpetuam, ut idẽmet Gal. testatur cõm. apho. 58. sexti lib. sed ꝗ magna ex parte solet ita accidere, et propterea non tantũ in aphorismo. sed in alijs quibusdã eo utitur, quãuis res ipsae non semper eodẽ modo eueniãt, & si figura dicendi perpetuitatẽ quandã indicet. Sic apud Gal. dicendum erit quòd per illud uerbum ἀνάγκη uoluit intelligere quod magna ex parte consueuit accidere, ut sensus uerborũ eius sit. si enim sit cũ febre morbus, necesse est ipsũ, hoc est magna ex parte, febres habere continuas, nõ propter hoc abnegans febrẽ aliquã intermittentem esse morbũ acutum: uel & rectiùs dicendum falsum esse id quod primò asserunt, ac Gal. auctoritatem haud esse ad propositum: Nam cùm duplex sit acutorum morborum cum febre natura,

unà in humoribus calidis qui nullam obsedere propriam sedem altera cùm loco aliquo patiente, utpotè ortis in uisceribus inflammationibus quibusdã, eodem Gal. authore comm. apho. 19. secundi lib. cùm Galen. dixit, si enim sit cum febre morbus, necesse est ipsum febres habere continuas, talis enim est morbus acutus, de eis intellexit morbis acutis, qui aliquo loco patiente fiunt, inflammatione uidelicet uiscus aliquod & præsertim princeps fatigante, quorum morborum natura est quòd necessariò atq; perpetuò sint cum febre cõtinua, & non de eis uerba fecit qui in humoribus calidis fiunt qui nullum obsedere proprium locum: id autem ostendũt apertissimè uerba eius dum asseruit: si enim sit cum febre morbus, ut secluderet eos ab his, qui sine febre fiunt, parte etiam aliqua patiente, ut apoplexia, necesse est inquit hunc eundem morbum febres habere cõtinuas: præsupponit itaq; primò aliquem fieri morbum acutum ad quem febris sequatur, illam demum, asserens, ex necessitate debere esse cõtinuam, quod quidem in nullo alio acutorum morborum genere ueritatem habere posset, nisi in his, quæ suprà diximus inflammationibus ortis uidelicet in uiscerum aliquo, ut ĩ morbo laterali, pulmonis inflammatione, angina, & alijs huiuscemodi morbis, quasdam determinatas sedes fatigantibus. Ex quibus constat Galen. non id asserere, quod isti putant ĩ prædictis uerbis, febrem uidelicet omnem acutam necessariò esse cõtinuam, sed eam dixit necessariò esse continuam, quæ ad aliquem morbum acutum sequitur, ut puta qui aliqua determinata parte patiente fit, uelut in alicuius uisceris inflammatione conspicitur, non propterea negans per hæc uerba, quòd aliqua febris acuta, ut diximus, possit esse inter

mittens: & propterea hoc falsum est quod isti dicunt omnium acutorum morborum naturam propriam esse, ut febrem continuam habeant, cùm in ea acutorum natura quæ in humoribus calidis fit solis, qui nullum obsidere locũ, sed æqualiter in omnibus animalis partibus apti sunt ex sua natura generari, ueritatem haud habeat, ueluti supra probauimus. At mox quæ diximus oppugnabit quispiã, nullibi (asserens) horum morborum Hippo. nec Gal. meminisse. Cui responsum dabimus & horum ambos mentionem fecisse, ut liquet his qui non corticem tantùm, sed internam medullam eorũ uerborum gustarunt. nam cum Hippo. primo prognost. ait, spirationis facilitatem existimare oportet perquàm magnam uim habere in omni morbo acuto, qui cum febre infestat et quadragesimo die iudicatur. non ne eorum morborum meminit acutorum qui etiam cum febre intermittente fiunt dum asseruit. qui cum febre infestat, non addens continua? At forte diceret quispiam, quòd licet illud non apposuerit, tamen de continuis tantùm uoluit ĩtelligere: uerùm hic præter id quòd uerba Hip peruerteret, ac ea falsè intelligere ostenderet Galeno quoq; è directo pugnat, cùm si de eis tantũ loqui uoluisset, apposuisset utique continua, haud ignorans quòd per febrem simpliciter dictam intermittentem, & continuam, ac fortè magis intermittentem qui uis intelligere posset. pugnat quoq; Galeno qui secundo de diebus decreto. Hippocratem à quorundam calumnijs defendens, qui eidem imposuerant sibi ipsi pugnantia scripsisse de morbis acutis, cùm aliter in aphorismis, aliter in prognosticis ab eo scriptum reperiatur, ponderans prædicta Hip. uerba de facili spiratione in morbis acutis, inquit quòd nisi ipse Hippo. cognouisset acutorum

duplicem naturam, non sane distinxisset cum appositione quadam suam sententiam, uerùm simpliciter dixisset, quòd facilis spiratio in acutis morbis magnum ualde momentum ad salutem habere putanda est, nunc autem cùm huiusmodi dictionem simpliciter acutos declaraturam sciret non tamen ita, uerùm, cum his etiam alia complecti uellet, non sine ratione apposuit, primum, quibus febris copulatur non adscribens continua, quòd absolutè acutorum erat proprium: quibus uerbis causam Gale. reddit cur in prædicta dictione cũ dixit qui cum febre infestat, non addidit continua, inquiens, quia uolebat Hippo. id non tantùm uerificare ĩ absolutè acutis uerùm in alijs: nam si uoluisset eius dicta ueritatem habere in absolutè acutis tantùm, opposuisset illud uerbum continua, quod absolutè acutorum erat proprium. cùm igitur illud non absolutè adscripserit, & propterea ut inquit Gal. dictũ Hip. quod de facili spiratione scripsit in alijs acutis uerificatur, necessariò sequitur aliquem acutorum morborum, non tamen absolutè & simpliciter esse cum febre intermittente iuxta Hippo. sententiam. Sed mox quispiam rursùs instabit inquiens, hoc quod diximus Hippocrati pugnare, qui primo de rat. ui. in morbis acutis fatetur acutorum morborum febres omninò esse continuas: huic responsum uolo primò Hippo. eorum meminisse acutorum morborum, quos prisci acutos nominabant, ut pleuritides, peripneumoniæ, phrenitides &c. & propterea ad eorum mentem dixit, horum omninò febres esse continuas, nam hi tantùm à priscis acuti morbi nuncupabantur. uel dicas si ex propria sententia illud senserit uerbum τοῦ πάντων non semper omninò, sed inter

dum magna ex parte latinè sonat, quare in morbis acutis magna ex parte febres esse continuas Hipp. retulit, id quod nec nos suprà negauimus. uel & rectiùs quòd de his acutis morbis ibi loquitur, qui propriè & absolutè acuti nominantur, hi sunt cùm determinata parte affecta inflammatione uidelicet orta in aliquo uiscerum, uelut series uerborum eius sonat, ut quiuis poterit uidere, quos insuper idem Hippo. primo de morbis uulg. acutissimos nuncupat maximos ac grauissimos, in his nanq; omninò febris est continua, at in alijs qui alterius sunt naturæ non inconuenit interdum febres esse intermittẽtes, uelut suprà declarauimus. Nõ ergo Hippocrati pugnat dicere aliquem morbum esse acutum cum febre intermittente, modò de absolutè acutis non intelligatur, maximis ac grauissimis morbis, uelut ipse primo progno. in prædicta dictione, tacitè confessus est ut Gal. placuit: Verùm quouis loco eum fateri inueniatur, acutos morbos omninò esse cũ febre continua de absolutè acutis, maximis grauissimis & acutissimis intelligendum erit, hi nanque sunt qui omninò cũ continentibus febribus fiunt, ac propriè acuti nominantur ut Gal. uisum fuit libro tertio de difficult. respi. ea parte qua Hippo. uerba primo de rat. ui. conscripta hoc modo exponit. Quòd uerò aliqua intermittẽs febris acutus morbus sit, apertissimè Gal. ostendit secundo prognost. ut diximus supra, insuper & secundo de diebus Decre. dum inquit nonnulli autem statim ab initio morbi uelut prohibiti tardéq; moti & nullam interea subitam mutationem moliti ad quadragesimum producuntur: duplex autem horum quoq; natura est, uel enim accessionum remissiones in exactã integritatẽ finiunt, uel continua febris semper durat: et subdit, tales etenim

acutorũ naturæ adhærere uidentur, iam alij manifestè sũt
diuturni, connumerat hic, ut liquet, Gal. morbos acutos cum
febre intermittente, nam de his sermonem faciens ultimo lo
co dixit, alios ab his quos conscripserat omnes esse diuturnos:
hoc idem patere poterit cui uis eius uerba inspicienti quæ as
serit de acutis morbis in comento apho. 19. secundi lib. et quæ
de tertiana scripsit come. apho. 59. quarti lib. Sed circa hoc
iterum hæsitare contingit, nam idem Gal. cõmen. aphori. 7.
primi lib. fatetur febres ab acutis morbis esse inseparabiles,
& cõmento præcitati apho. 19. secundi lib. in acutis morbis
dixit febres omninò esse continuas, cõmen. quoq; aphor. pri.
septimi libri auctoritate Hip. scriptum reliquit acutos uoca=
ri morbos, quorum febres omninò sunt continuæ: at si eorum
quæ mox diximus non fueris oblitus, prõptissimè hæc Gal.
uerba conciliabis, nã cùm dixit à morbis acutis febres esse
inseparabiles de absolutè ac exactè talibus loquutus est, ut
de causo, synochis, uel reliquis morbis qui cum parte poten
te fiunt inflammatione uidelicet orta in uisceribus, qui qui=
dem absolutè acuti dicuntur, & propterea nec cum eis nos
febrem intermittentem copulamus, uerùm in alia acutorum
morborum natura illud fatemur, ut supra ostendimus. Ad re
liquas Gal. auctoritates bifariã quoq; respondere possumus,
ut putà similem asserendo responsionem cum acutorum di=
stinctione, et insuper asserẽtes ipsũ uti uerbo τοῦ ϖίϖαν;
quod non modò latinè significat omninò, sed plurimùm &
magna ex parte, ut uelit Gale. non omninò sed magna ex
parte febres continuas à morbis acutis esse ĩseparabiles: quã
uis prima responsio cõgruentior sit. Atqui rursùs dices Ga
le. tertio prognosti. uoluisse morbum acutum intelligi cũ ma=
gnitudine

gnitudine quadam ac febre continua, & subdit, si enim non ita fit, quanquàm circa decimumquartum soluatur diem, aut etiam citiùs, eiusdem appellationis nequaquàm cẽsemus. At dicimus nos Galenũ eo loco narrare differentias morborum secundùm diuersas temporum præfinitiones, quapropter circa ea ambigit tum de morbo acuto qui interdum decimumquartum diem pertransit, protenditurq; usq; ad uigesimum, tum etiam quòd nonnulli alij morbi etiam si in quatuordecim diebus finiant aut citiùs, acuti non sunt appellandi, nisi hi & magnitudinem quandam habeant & sint cum febre continua: uerum nanq; fatetur, quoniam hi propriè acuti ab eodem Galeno nominantur tertio de difficulta. respira. et absolutè acuti nuncupantur secundo de diebus decreto, quòd alij sint qui non ita propriè absolutè seu exactè acuti dicantur non negans, quinimmò & secundo prognost. & secũdo de diebus decreto ac cõmento. 19. apho. secundi lib. sæpius citati, sexcentisq; alijs in locis illorum meminit; qui autem exactè seu absolutè acuti dicuntur hi & magnitudinem habeant, ac febrem continuam oportet: at qui non ita absolutè sunt, satius erit quòd ad summum uigorem celerrimè properant, ac magni sunt iuxta eiusdem Galeni sententiam commen apho 23. secundi libri, siue continua fuerit febris siue intermittens. Et ne sæpius eadem repetantur, dicimus quòd ubicunq; in Hippo. & Gale. cõmentarijs fuerit compertum acutos morbos omninò esse cum febre continua, perpetuò de exactè seu absolutè acutis intelligendum erit, quos morbos Hippo. primo de morbis uulga. acutissimos maximos ac grauissimos nuncupauit, & ut Gale. exponit tum ĩ febribus eueniunt, quæ uocantur propriè sinochi, tum in alijs iuxta quæ

ſingulis progrediuntur acceſſionibus ac initia efficiunt, incre menta, uigores, & inclinationes manifeſtas, nec tamen ad in tegritatem ueniunt inter quos nolumus tertianam connume rari, uerùm fatemur in alia acutorum morborum natura cõ præhendi, nec id eorum dictis pugnare, immò ſatis conſonũ eſſe cenſemus, ut abundantiſſimè probatum eſt. Non eſt igi tur de ratione cuiuſlibet acuti morbi ꝙ ſit cum febre conti nua iuxta Hip & Gal. decreta, ſed eorum tantùm qui exa ctè ſeu abſolutè tales dicuntur, quàmuis quidam ſibi ipſis falsò illud perſuaſerint. Amplius tertianam non eſſe morbum acutum alia ratione probare tentant, nam cùm acu ti morbi ex eorum natura periculoſi ſint, ipſa uerò tertiana periculo uacet, ut patet auctoritate Hip. apho 43. quarti li bri & Gal. cùm in eius cõmento, tum etiam primo de arte cura. ad Glauc. dum aſſerit eam eſſe mitiſſimam, & mini mè periculoſam, utpotè quæ nec ex inflammatione aliqua, neq; ex maligna humorum putredine occaſionem habeat, propterea quia intermittit, qua de re non erit morbus acutus: at quòd periculoſi ſint acuti morbi cum Hippo. confirmare conantur, qui primo de rat. ui. inquit eorum plurimos eneca re, & primo de morbis uulg. eos aſſerit præ cæteris omni bus eſſe lethales: hoc inſuper corroborant Gale. auctoritate ſecundo de diebus decreto, qui Archigenem ſummopere lau dabat quòd acutos morbos non nudis temporibus ſolis ſed mo tu & natura appellauerit, eos uidelicet quibus motus uelox & ſubitò pericula adueniunt, hos quoq; cum periculo coniũ ctos eſſe, teſtatur idem Gal. ex propria ſententia eodemmet lib. primo de morbis uulga. At ſi eorum memineris quæ pau lò ante diximus de acutis morbis facillime huic rationi uelut

friuolæ & exigui momenti responsio patebit. diximus namque eorum morborum naturam duplicem esse, unam citra aliquem determinatum locum affectum, reliquam cum loco aliquo patiente, seu inflammatione affectio, præsertim si princeps uiscus fuerit & inflammatio magna. in his itaq; qui sunt prioris naturæ, ut qui non ex inflammatione originem ducant, sed ex humoribus calidis solis, si neq; ex maligna humorum putredine occasionem habeant qui plurimi sunt, proprium non est cum periculo esse, quinimmò ferè cuncti qui huius naturæ sunt morbi periculo uacant, præsertim si intermittant, uelut Galeno uisum fuit cõm. præcitati aphorismi. 43. quarti libri, horum quoq; annotatio interdum cum rigore præhendit, aut refrigeratione uelut Gale. sentit secũdo libro prognost. reliqui uerò acuti morbi, qui loco aliquo patiente fiunt, & prorsus febres habent continuas absolutè, ac exactè acuti appellati, immò ab Hip. primo de morbis uulg. acutissimi, maximi, & grauissimi dicti, non modò periculosi sunt, ut placuit Archigeni & Galeno, uerùm præ cæteris omnibus sunt lethales, ac interficiunt, eodem Hippo. authore primo de morbis uulg. & primo de rat. ui. in morbis acutis, cuius naturæ acutos morbos cum periculo coniunctos esse nemo sanæ mentis negare audebit. At quod de his & non de alijs loquatur Hippocra. ex uerborum eius lectione præcitatis locis cuilibet uel parum erudito liquet, uelut etiam doctissimus Gale. exponit. Quòd uerò Archigenes secundo de diebus decreto. de his quoq; sermonem faciebat, cui non patebit, si Gal. uerba inspiciat ac intelligat? dicebat enim quòd Archigenes laudandus erat, qui non solum temporibus solis nudis sed motu & natura magis acutum, uel peracutũ

morbum appellauerit, cui uidelicet motus uelox & subita pericula adueniunt: non enim Archigenes quemlibet acutũ morbum, sed magis acutum, uel peracutum his conditionibus describebat, ut Galeni phrasis indicat: atqui huiusmodi morbos neque nos negamus cum periculo coniunctos esse, sed alterius naturæ morbos acutos qui non ita absolutè ac propriè acuti sunt, & propterea nec acutissimi, maximi, ac grauissimi appellantur, qui quidem in humoribus calidis solis fieri consueuerunt, qui nullum obsedere locum, hos inquam fatemur interdum periculo uacare præsertim si intermittant, ut tertiana de qua loquimur, propter iam traditas causas. Nõ ẽ igitur de ratione cuiuslibet morbi acuti esse cum periculo uelut quidam imaginati sunt, sed tantùm quòd sint uelocioris motus et magnitudinem habeant Galeni decreto cõm. aphoris. 19. & . 23. 2. lib. sæpius citati. Etsi apud eius scripta compertum fuerit quandoq; asserere acutos morbos cum periculo esse coniunctos, de his intelligendum erit qui absolutè tales sunt, acutissimi, maximi & grauissimi, uelut Hippocrates & Archigenes quoque sentit. At denuò aduersus ea quæ diximus instabunt, Hippocratem dicentes ac Galenum nullibi horum acutorum morborum qui sine periculo sunt meminisse, immò semper de acutis uerba facientes illos periculo coniunctos esse dixerunt. Respondebimus nos & horum quoq; non omninò esse oblitos, sed interdum sermonem fecisse, nam Hippo 3 prognost. cùm inquit, simplicissimæ enim febres (hoc est placidissimæ ac mitissimæ ut Galenus exponit) & signis firmatæ securissimis, quarto die aut citius desinunt, de acutis febribus simplicissimis ac securissimis loquutus ẽ, quas dixit iudicari quarta die aut citius. Sed dicẽt

forte non de acutis febribus intelligere per hæc uerba, sed de diarijs. Atqui hoc asserere est Hippocratem nō modo, nō intelligere, sed eius omninò uerba peruertere, cùm & ipsemet ut superius annotauimus circa finem eiusdem libri fateatur se cuncta eo libro conscripsisse, de acutis morbis & alijs quicunq; ex his consistunt: cùm uerò febres diariæ nec acutæ sint ut diximus, nec ex eorum morborum numero qui ex acutis cōsistunt, quoniam nec quarto die aut citius desinerent, sed ultra protenderentur. sequitur ergo quod inter acutas connumerari debent prædictæ febres quas simplicissimas, ac securissimas Hippo. nuncupauit. At quid alia opus est ratione ad probandum Hippocratem de acutis febribus in ea uerborum serie loqui, si Gale. hoc modo eadem uerba exponit primo de crisibus asserens, ea de acutis febribus intelligi debere: quòd si ita est, meminit igitur Hippo. febrium acutarum quæ sine periculo sunt in prædicta uerborum serie, quapropter apud eum non omnis febris acuta erit cum periculo coniuncta, immò si liceat Hippocratem per Gale. exponere forte per prædictas febres exquisitæ tertianæ intelligendæ sunt, cum has Gal. primo de arte cur. ad Glauc. mitissimas ac breuissimas appellauerit, præter id quòd minimè periculosæ sunt, alias dicant quæso de qua alia febre Hippocratis dicta uerificari ualeant, nisi de tertiana ipsa exquisita seclusis diarijs (de quibus ut diximus impossibile est Hippocratem loqui) cùm inter acutas febres nulla alia reperiatur quæ mitior & simplicior (ut ita dixerim) ac securior ea sit? præsertim si febres quarto die aut citius desināt ut tradit Hip. At si uelis aliquam aliarū acutarum febrium uoluisse Hip. intelligere & non exquisitam tertianam: satis

erit, me mostrasse Hippo. febres acutas citra periculum interdũ scripsisse, & non cunctas (eius sententia) periculo coniunctas esse, uelut quidam ad eius mentẽ falsò sentiunt. Gale. insuper Hippo. ac eorum, quæ diximus non immemor, primo de diebus decretoriis talia uerba retulit, si quis primo die acuta febre infestetur, nullum autem periculosum signum ipsi attulerit, sed in urinis aliqua concoctionis nota inuenta fuerit, non extra quartum diem morbus soluetur: quin etiam si multa lethalia. 1. die statim deprehendantur, morietur planè non extra quartum diem: et subdit, at si acutè febricitet, nullum uerò lethale adsit, immò nec aliqua cõcoctionis nota, fieri non potest, ut hic quartanus decedat. Et lib. 1. de crisi loquens de præcognitione futuri uigoris, quod quidem medicus minimè ignorare debet, aliàs per multum errabit, inquit ipse, quid enim si aliquis primò statim die nullum habens signum periculosum, uerùm insuper omnia salutaria, acutè quidem febricitet, urinam autem mingat bene coloratã, ac mediocriter crassam an non in propatulo est medico, qui in artis operibus est exercitatus, hunc in primis quatuor diebus crisim habiturum? & eo magis si nebula aliqua uel suspensio ibi adesset, atq; etiam tantò plus si bona subsidentia: & post pauca iterum dicebat sicuti igitur quæ omnia habet signa tutissima febris acuta in primo periodo decretoriorum dierum solutionem habet, sic quæ isti proximè adiacet diem septimum non transcẽdet. Nõ igitur proprium est acutarum febrium omnium esse cùm periculo, sed earum quasdam esse simplicissimas ac tutissimas satis admodum cum Hippo. & Gal. probatum esse censeo, uelut nec eas pœnitus cùm febre continua esse nisi acutissimæ maximè uehe

mentissimæq; sint, nanque de his ueritatem habent Hippo. Galeni unà & Archigenis dicta si apud eos compertum sit acutos morbos cum periculo coniunctos esse ac cum febre continua non de his qui alterius naturæ sunt ut probauimus. Hac itaq; ratione conciliari possunt quæcunq; in eorum commentarijs scripta de acutis morbis comperta sint. cùm non uno modo de eis ubiq; locorum sentiant, ac pugnantia asserere uideantur: nam interdum de absolutè acutis uerba facientes pericula & febres continuas habere asserunt, sæpe numero citra periculum ac febrem continuam morbos quosdã acutos esse affirmãt, cũ uidelicet non de absolutè seu exactè acutis loquuntur, quamuis ipsi decimum quartum diem non excedant, in quorum numero exquisitam tertianam connumerari audacter affirmamus. Est nanq; ipsa in numero acutorum morborum simpliciter dictorum non tamen absolutè & exactè talium, sed eorum qui non absolutè tales dicuntur cùm non sit febris continua, quapropter & periculo uacat, uti diximus, & septem circuitibus quod tempus longissimum est terminatur. quod etenim in cõtinuis una dies potest, hoc in intermittentibus accessio Gal. authore. 3. prognost. & com̃. apho. 59. 4. lib. illud nanq; quod omnium acutorũ morborum naturam complectitur, est motus celer & magnitudo, cuncti etenim & magni sunt, & celeriter iudicantur, uelut superius ex Gal. sententia com̃. apho. 19. & 23. 2. libri probatum est. quod nanq; cum febre continua sint uel non, cum periculo uel absq; eo, magis uel minus acutum morbum denuntiant, seu absolutè uel non absolutè talem, ut patet apud Gal. 2. de diebus decret. cùm ex propria, tum ex Archigenis opinione, Quibus igitur rationibu[illegible]nam non esse mor

bum acutum quidam probare nixi sunt, tot et tales existunt, quæ quantum ualeant, quidue momenti obtineant, ex prænarratis liquet, per quæ nõ modo faciles rationes hæ delentur, sed si reliquas innumeras præ manibus habuerint, ex his que conscripsimus promptè responsio patebit. FINIS.

ERRATA.

Folio 7. facie. b. linea. 22. habente habentes fol: 9. a. 23. seu ceu. fol: 10. b. 28. recedit tendit. fol. 13 a. 1 nullã multã. Ibidẽ linea. 1. nunc prima. fol. 14. a. 4. quæcũq; quotcũq;. Ibidẽ b. 22. seminalẽ seminalẽ. fol. 16. b. 3. quod quo. ibidẽ li. 24. iudicare iudicari. fol. 26. a. 11. ac at. Ibidẽ b. 1. uẽtriculis anterioribus uẽtriculis. Ibidẽ lin: 18. uentriculi uẽtriculis. fol. 27. a. 5. principiũ principiũ. ibid. lin: 3. circa citra et animalis aĩales. fol. 28. b. 2. Hi. his. fol. 29. b. 2. usq; uiq;. fol. 37. b. 11. functionẽ functione. Ibid. lin: 28. Nec nec fol: 38. a 15. sedẽ sede. fol: 39. b. 14. aĩalis aĩales. fol. 42. b. 3. canales nec canales. folio: 43. b. 19. αρκή γονεν αρχή γονον Ibid. primogeniũ primogenitũ. fol: 46. b. 18. habet habent. Ibid. lin. 28. perficiẽdos ut, perficiẽdos. fol. 47. a. 26. partiũ in, partiũ essentia in. fol: 48. b. 11. Hepar Hepar. fol. 49. a. 11. habere haberet. fol: 52. b. 20. crassius eidẽ crassiusculè. fol: 54. b 7. cõtinetur continẽtur. fol. 55. b. 9. ut cognita cognita fol. 56. a. 22. scilicet producta scilicet. fol. 60. b. 28. ĩtegritates integritatẽ fol. 61. a. 28. Et At. fol: 66. a. 19. & exquisita, & exquisita febris ardens cum exquisita. fol: 68. b. 4. rigorẽ uigorẽ. Ibid. lin: 6. rigebit uigebit. fol. 69. b. 9. duntaxat semel duntaxat. fol. 71. b. 13. opposuisset apposuisset.

REGISTRUM A B C D E F G H I K

Omnes sunt quaterni præter K qui est duernus.

ce malheureux petit volume détruit en partie
par un fanatisme insensé méritait
un autre sort.

